LIBERTATIS ET GRATIAE CHRISTIANAE DEFENSIO ADUERSUS...

Jean Bagot

Digitized by Google

VIII. f. 32.
NAZIONALE 8 40 K 14 ROMA VITT. EMANUELE
F. 571.
A 1 c 34
Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

LIBERTATIS ET GRATIÆ CHRISTIANÆ DEFENSIO

ADVERSVS CALVINVM, ET PELAGIVM in Cornelio Ianſenio Batauo rediuiuos.

Vindice THOMA AVGVSTINO.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum:
& GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ ſub Ciconiis.

M. DC. LIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

HENRICO A SABAVDIA

ARCHIEPISCOPO ET DVCI REMENSI,
PRIMO FRANCIÆ PARI,
GALLIÆ BELGICÆ PRIMATI, ET SEDIS
Apoſtolicæ Legato nato, Duci Geneuenſi,
Nemoreſio, Albamarlenſi &c.

SVSCEPTÆ *libertatis, & gratiæ Chriſtianæ, iuſtiſsimæ defenſioni, quamobrem tuum quæram patrocinium*, PRINCEPS SERENISSIME, *non tam facit vel fortunæ tuæ generiſque ſplendor, vel dignitatis excellentia; quàm & ſingularis virtus, & animi, ſuper doctrinæ nouitate, tui declaratio manifeſta. Nam cur fortunæ tuæ, quæ tam ampla eſt, tutelam non implorem, excuſationem habeo, cauſæ ipſius, quam ago, rationem; cùm eiuſmodi ſit, vt fortunæ fauorem non ſpectet, ſi adſit; ſi deſit, non requirat. Vereor vt idem de*

Digitized by Google

dignitate tua poßim dicere, cùm præſertim ita ſis animatus, vt quos honorum gradus conſequutus es, plurimos autem es conſequutus, dignitatis nomen, non ipſam dignitatem poſſe retinere putes, niſi totum illud, ad auitæ religionis conſeruationem, quod tuum munus eſt, referas. Quod cùm facis, ipſe dignitatem tuam commendas; nam quod res magnas domus tuæ nomine videris adeptus, quamquam non ſine ſummis meritis eò perueniſti, tamen maxima ex parte, quæ adeptus es, fortunæ temporibúſque tribui ſolent: Quidquid autem in defendendâ religione Eccleſiæ ſubueneris, id erit totum propriúmque tuum.

Sed facit anteacta vitæ tuæ conſuetudo, vt quam, in hac causâ tuendâ daturus ſis operam, minimè dubium eſſe poßit, cùm tam manifeſtum ſit, quid feceris. Quo in loco non poſſum non magnopere tuam laudare pietatem, quæ te, dum vix per ætatem liceret, defenſorem prædicatorémque fecit eſſe virtutis. Spem quam de te puero expectationémque habebamus vniuerſi, quorum intererat vt in omni genere laudis excelleres, adoleſcens incredibili ſapientia ſuperaſti; maiora enim iam tum faciebas, quàm ſperare de te ætas ſinebat.

Non attinet commemorare hîc, quanta ingenij celeritate, atque excellentia complexus ſis

Digitized by Google

omnes artes eas, quibus informari ſolet adoleſcentia, id enim quantumuis præſtabile ſit, cùm pleraque ſint in te longè præſtantiora, vix dignum videtur, quod memorari debeat: Sed non poſſum prætermittere, quàm te, in omni doctrinæ prudentiæque laude, commendabilem exhibueris; cùm in ampliſſimis Epiſcoporum Lutetiæ congregatorum comitiis, Eccleſiæ res ita tractabas, vt eas dicendo magnopere promoueres. Quis autem omni prædicatione te digniſſimum non iudicet, quòd Regi Chriſtianiſſimo imperij habenas accipienti, Eccleſiæ Gallicanæ lætitiam, bonorúmque omnium ſpes, de regni felicitate, ad ineuntem illius gubernationem, ſuſceptas, totius ordinis tui nomine, ſummâque priuati tui gaudij demonſtratione, tam mirificè gratulatus ſis.

Audiebamus interea, quâ fide ac integritate in aulâ, vbi rara fides & integritas, quámque ſingulari prudentiâ verſabare, & admirabamur. Sed habet longè plus admirabilitatis, quòd cùm Regi ac Reginæ eſſes imprimis gratioſus, apud nullum eorum, qui frequentabant aulam, inuidia laborabas. Neque enim vllum maleuolentiæ locum reliquerat virtus tua, quæ Principis gratiam colligebat, vt eam in omnes effunderet.

Quòd autem in triſtibus, atque calamitoſis

temporibus noſtris, flagrante bello ciuili, omnium odiis in ſeſe inflammatis, pacis auctor ſuaſórque ſemper extiteris, laudem meritus videris, ſuprà quàm dici poteſt, maximam, qui inter armatas, partium ſtudio penè omnium Procerum manus, animum non modò non armatum (quod, pro temporum conditione, difficile videbatur) ſed pacatum omninò habueris. Quæ tuæ laudes licèt commendatione vigebunt apud poſteros ſempiternâ, nihil tamen (opinor) eorum peræquè mouebit admirationem, quàm cùm audient te, quem virtus ad eum dignitatis gradum extulerat, vnde humana deſpiciebas omnia, ſupra caſus omnes, ſupra fortunam ipſam collocatus, ad infimorum quorumque miſeriam, re, & conſilio iuuandam, ex ſummo illo interdum magnitudinis faſtigio deſcendiſſe. Quòd ſi eſſet in me dicendi facultas ea, quæ ſummis illis virtutibus tuis celebrandis par videretur, ſingularem hîc in leuanda miſerorum inopia liberalitatem tuam, qua nihil poteſt eſſe principe viro magis dignum, laudibus efferrem magnificentiſſimis, eximiam in iis, qui publicis cuſtodiis tenebantur, viſitandis ſolandíſque, miſerationem prædicarem, tuámque commendarem ſummam magnitudinem animi, quem non miſerabilis carcerum ſqualor, non abditiſſimorum locorum teter odor, non horror tenebra-

Digitized by Google

rum, non ipſa captiuorum illuuies, ab iſtis pietatis officiis deterrebat. His videlicet heroicæ virtutis illuſtribus exemplis totius vrbis ora, populorúmque admirationem in te conuertiſti.

Non hîc reuocabo triſtiſsimam recordationem acerbiſsimi temporis illius, quo tempore, tibi frater tuus, vir omnibus ordinibus, pro ſuis ſummis meritis, mirum in modum gratioſus, duriſsimo fato ereptus eſt, ne ipſe tibi acerbus ſim, tametſi locus ſit commendandi tui, credo, non poſtremus. Cùm enim factus eſſet Procerum, qui tunc in vrbe degebant, maximus ad te concurſus, vt dolorem tuum dolere ſe ſignificarent, ipſe erecto ſublimíque animo, in tam luctuoſo caſu, non modò non cedebas tuo iuſtiſsimo dolori; ſed Deo, à quo tantæ cladis conſolationem tibi conſtare debere intelligebas, te repræſentabas identidem, vt mœroris tui leuationem, quam vel ab hominum conſuetudine, vel à diuturnitate temporis ſperare non poteras, ab eo obtineres.

Verſabatur interea in omnium ore tuarum prædicatio virtutum, eámque latè in prouincias fama diuulgabat; quo rumore moti cum primis Remenſes, deſiderio tui differri ſe præterea pati non poterant, cùm expectationem tui aduentus præſentia ſuperauit. Quæ porrò totius populi concurſatio fieri cœpta eſt? qui lætitiæ plauſus? qui clamores iactari ab omnibus, vbi primùm

Digitized by Google

vulgata eſt aduentus tui fama? At quibus te efferebant laudibus, cùm præſentem intuebantur, quibus ſtudiis, qua lætitiæ ſignificatione, ſuum erga te ſtudium demonſtrabant? Verùm quando cœpit celebrari in vulgus tua exiſtimatio humanitatis, liberalitatis, ac munificentiæ, cæterarúmque virtutum tuarum exempla, omnibus proponi, quæ paßim commendatio tui? quæ vulgi admiratiò? quæ omnium ordinum gratulatio non conſecuta? Cùm verò tuæ pietatis eſſe exiſtimares, conceſſum tibi à Deo gregem non modò tueri, ſed etiam priuatæ omnium vtilitati ſalutíque ſeruire, tum demùm ſolari afflictos, captiuos liberare, nullius inopiam ac ſolitudinem à palatij tui aditu prohibere, facere omnibus tui copiam, inſtituiſti: quibus tam præclararum virtutum tam inſignibus exemplis, excitata primùm ciuitatis vniuerſæ ſtudia, celebratæ, populari multitudine ac frequentia, ædes ſacræ, redditi rebus diuinis, cum maiori pietatis ac reuerentiæ cultu, honores, factæ conuerſiones animorum mirificæ. Quæ cùm ipſe reputo mecum, non poſſum ſatis æſtimare, quæ futura ſit operum tuorum aliquando perfectio, qui eiuſmodi fundamenta conſtituta habeas: hoc poſſum vniuerſim affirmare, neque vllum vnquam Paſtorem fuiſſe, qui gregi ſuo charior eſſet, neque vllum gregem qui acceptior Paſtori:

quo

Digitized by Google

quo demùm perfeciſti, vt nullus eſſet honor tantus, qui in te collatus non videretur ei, qui contuliſſet magnam iudicij laudem allaturus.

Quapropter cùm de te ſentiant honorificentiſsimè virtutis & pietatis ſtudioſi quique, nunquam vel tuis meritis vel ſuis votis exiſtimabunt eſſe ſatisfactum; donec ampliſsimis honoribus ſuis auctum te, ornatúmque Roma complexa ſit. Quod ſi, pro eo ac debet, primo quoque tempore fecerit, (nam non video præterea quam retardationis excuſationem in tanta meritorum tuorum dignitate habere poſsit) non tam teipſum, quàm iudicium de te ſuum, apud omnes bonos commendabit.

Sed vt dicam aliquid ad extremum de tua, circa doctrinæ nouitatem, ſententiæ declaratione, noluiſti mentem, ſuper ea re, tuam à quoquam ignorari; qui litteras ad ſummum Pontificem dederis ampliſsimas, quibus totam illam factionem non damnabas modò, ſed à Sede Apoſtolica quamprimùm damnari debere, ne malum latiùs pateret, demonſtrabas.

His præſertim adductus rationibus, gratiæ libertatiſque Chriſtianæ ſuſceptam defenſionem, in tuam clientelam committendam putaui, ratus futurum neminem, à cuius auctoritate, maior ad cauſæ iſtius patrocinium commendationis acceſsio fieri poſsit. Quòd ſi de tua, in hac defen-

ſione ſuſcipienda, voluntate dubitarem; excitarem te Maiorum exemplis. Cùm enim in eo loco ſis, ex quo acerrimus ille auitæ religionis defenſor Hincmarus, turbulentos homines neſcio quos, in Gallica Eccleſia, nefariè noua molientes, auctoritate ſua fregit; tanti támque excellentis viri ſucceſſor factus, cum eâdem, credo, atque ille conſtantiâ & fortitudine in prouincia tua primùm, tum in vniuerſo regno, quoad licuerit, factionem iſtam diſſipabis. Nam par conſentaneúmque videtur, vt ea manus quæ Regum Chriſtianiſſimorum conſecrationi ſeruire debet, ſeruiat libertatis Chriſtianæ defenſioni; quod ſperat, expectátque, qui ſe totum tuæ fidei, ac clientelæ committit atque conſecrat

CELSITVDINIS TVÆ

Deuotiſſimus ſeruus
THOMAS AVGVSTINVS.

Digitized by Google

PRAEFATIO AD LECTOREM.

SI qui fuerint, vt erunt, qui inſtituti mei de ſcribendo contra nouam doctrinam, conſilij rationem requirant; non verebor ab initio profiteri, quid cauſæ fuerit, cur id operæ ſuſceperim. Cùm ab aliquot annis, in Auguſtini lectione, meditationéque eſſem verſatus, ferebam grauiter, nouitatem eam, quæ tenuit animos vulgi, cùm primùm emerſit, ſub Auguſtini nomine differri in circulos, & vana illa ſpecie, facilitati ſimpliciorum turpiter illudi. Demùm rei indignitate motus, exiſtimaui præterea non diſſimulandum. Sic enim ſtatui, totius doctrinæ Chriſtianæ intereſſe plurimùm, vt ab Ianſenianæ factionis vſurpatione Auguſtinus vindicaretur: hancque cœpi mecum inire rationem, Cornelium Ianſenium à ſuis iri deſertum, ſi eum, quo tam falsò gloriatur, Auguſtini præſidio, ſpoliarem. Nam quibus armis vel pugnare deinceps, vel partes ſuas tueri poterit, cui Auguſtinus erit ereptus? Sentiebat vir artificioſus, vt commentis ſuis fidem faceret, fauore ſibi opus futurum; quem, vt in causâ parùm fauorabili, & æquâ obtineret, apud religioſiores, quibus ſtudebat præſertim, ſacro Auguſtini nomine ad commendandam doctrinæ nouitatem, ſibi neceſ-

Digitized by Google

ſariò abutendum eſſe exiſtimauit. Intelligebat nimirum hoc artificio, ſapientiorum animos præmolliendos, vt aditus deinde haberet in reliquæ plebis gratiam, exiſtimationémque faciliores. Res illi ceſſit ex animi ſententiâ; & iſtâ præuaricatrice prudentiâ, tot turbas excitauit in Eccleſia, tótque fecit de ſe ſermones, vt hodie ſæculi fabula ſit.

Hanc autem celandi, occultandíque ſeſe viam cùm pro more hæreticorum omnium, qui ad aliquem locum obrepſerint, tenuerit, liquet, de illo quid ſuſpicari par ſit; hoc enim iſtiuſmodi hominibus ſemper fuit familiare, vt pro ſe quique Auguſtinum ſuum eſſe ambitioſè contenderent; adeo tam ſanctum nomen vel ad erroris ipſius commendationem idoneum videbatur.

Hoc enim factum à Pelagianis ipſis proditum accepimus, qui quantumuis ab Auguſtino magnopere diſſiderent, eum tamen ſtare pro ſe fidenter affirmabant; teſtes Prædeſtinatiani, quorum fautor Gotheſcalcus, qui ſuum vindicabant; teſtis denique poſtremis in temporibus Caluinus, qui id quoque pro ſua parte gloriabatur. Sic enim ille in reſponſ. ad l. 3. Pighij. *At nos nihil quàm Auguſtinum ſequimur.* Et lib. de æterna Dei prædeſt. pag. 693. *Auguſtinus ipſe adeò totus noſter eſt, vt ſi mihi confeſſio ſcribenda ſit, ex eius ſcriptis contextam proferre abundè mihi ſufficiat.* Quis verò neſciat, datas tantâ pompâ, tantóque apparatu, à Pelagio ad Auguſtinum litteras, turpiſſimæ pleniſſimas adulationis, vt quod ratione vincere non pote-

Digitized by Google

rat, blanditiis obtineret; ipſéque adeo ſe, partéſque ſuas, quæ tutæ eſſe poſſe non videbantur abſque tanti viri auctoritate, illius teſtimonio confirmare, vir nauiter impudens non veritus ſit?

Ex quo patet, quàm meritò, vel ipſo Auguſtini nomine, quo ſe, tanquam clypeo defendit Iprenſis, in ſuſpicionem vocari poſſit. Hanc autem præſertim hîc operam dabo, vt eundem ipſum, cuius patrocinium tam iactanter oſtentat, infenſiſſimum illius aduerſarium demonſtrem. Deinde opinionem eam Pelagiani, & Semipelagiani erroris, quam tantopere à ſe deprecatur, adeóque in alios deriuare ſolet, in ipſum reiiciam. Ita fiet, opinor, vt Auguſtini patrocinio nudus, grauatúſque Caluinianæ, & Pelagianæ hæreſis ſuſpicionibus, videatur dignus, qui turpem in modum, pro magno ſuo merito, ab omnibus deſeratur. Cùm autem in illo ſuperbiſſimo faſtu, quo ſcholam omnem contumelioſè habuit, aliquid reuerentiæ in D. Thomam retinuerit feret non duriter, ſi diuinum eum Doctorem cum Auguſtino, illi opponam. Nam præter vtrumque iſtum, neminem in huiuſce pugnæ commiſſionem adhibere mihi propoſitum eſt; in qua non tam ratione, quàm auctoritate rem geri volo. De quo, opinor, gratiam habebit mihi fortaſſe aliquam, qui nullos ei obiiciam aduerſarios, niſi quorum auctoritati quidpiam loci apud eum relictum eſſe intellexi; quam meam libertatem, ſi gratus eſſe velit, per ſuos,

Digitized by Google

cùm per ſe non poſſit, æqui, boníque conſulat. Quod facere non poterit, quin priùs rationes ſuas, quas hactenus cum Auguſtino communes eſſe, perſuadere pro ſe conatus eſt, fateatur diuerſas, quod non negabunt vel ij ipſi, qui magis perditè eius partibus addicti ſunt, ſi liberum ab opinionum præiudiciis animum, ad hanc cauſam afferre velint: velle autem debebunt, ſi quam præterea vel æquitatis, vel candoris curam retinuerint.

Digitized by Google

SYLLABVS LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. SVMMA *totius doctrinæ Ianſenianæ proponitur.* p. 1

CAP. II. *Janſenius circa liberum arbitrium Caluinianus.*

ART. I. *Quæſtio breuiter proponitur.* 4

ART. II. *Ianſenius idem liberum ac ſpontaneum eſſe vult.* 5

ART. III. *Docet voluntatem non eſſe propriè liberam niſi circa finem.* 6

ART. IV. *Indifferentiam ad ſtatum liberi arbitrij pertinere vult.* 8

ART. V. *Sola vis illa, quæ cogit, libertatem adimere dicitur.* 9

CAP. III. *De prauitate hominis ex peccato originali contracta, Ianſenius ſentit cum Caluino.*

ART. I. *Prauarum affectionum partitio.* 11

ART. II. *De reatu peccati originalis.* 12

ART. III. *De ignorantia à peccato originali profecta, quid ſentiat Ianſenius.* 14

ART. IV. *De Concupiſcentia quid ſtatuat.* 17

ART. V. *De malitia actionum omnium quid ſentiat Caluinus.* 19

ART. VI. *Quid ea de re Ianſenius ſentiat.* 21

CAP. IV. *Ianſenianæ de concupiſcentia, déque gratia Chriſti doctrinæ connexio.*

ART. I. *De peccati originalis eſſentialibus partibus SS. Auguſtini & Thomæ doctrina.* 26

ART. II. *Ianſenij doctrina ea de re proponitur.* 29

ART. III. *Cupiditatem quæ charitati Dei formaliter opponitur, in hominibus iuſtis hærere vult Ianſenius.* 30

ART. IV. *Eandem doctri-*

nam altero argumento Ianſenius probat. 32

ART. V. *Ianſenius ſe à Caluino non admodùm abhorrere profitetur.* 36

CAP. V. *Quàm meritò Ianſenius Pelagianus habendus ſit.*

ART. I. *Dogmata Ianſenij à Pelagianis non admodùm abſimilia.* 38

ART. II. *Gratiæ Chriſtianæ neceſſitatem cum Pelagianis imminuit.* 41

ART. III. *Ianſenius legi tribuit idem quod Semipelagiani.* 42

CAP. VI. *Occurritur quibuſdam reſponſionibus, quæ pro Janſenio videntur afferri poſſe.*

ART. I. *Vtrum Ianſenius omnem Chriſti gratiam, an aliquam tantùm intelligat.* 45

ART. II. *Diluuntur reſponſiones, quibus pro Ianſenio inſtatur.* 48

CAP. VII. *De gratiæ Chriſtianæ neceſſitate error Ianſenij.*

ART. I. *D. Thomæ de neceſſitate gratiæ doctrina explicatur.* 51

ART. II. *Caluini & Ianſenij de gratiæ Chriſtianæ neceſſitate dogma proponitur.* 56

ART. III. *Hoc Ianſenij dogma ad Semipelagianorum errorem proximè accedere demonſtratur.* 59

CAP. VIII. *De gratiæ Chriſti natura, & eſſentia dogma Ianſenij affertur.*

ART. I. *Quæſtionis ſtatus proponitur.* 64

ART. II. *Caluiniſtarum ſententia exponitur.* 66

ART. III. *Quid ea de re ſentiat Ianſenius.* 68

ART. IV. *Hoc dogma hæreticum demonſtratur.* 74

CAP. IX. *Errorum quibus Janſenius crucem Chriſti euacuat, & meritum imminuit, catena, atque illigatio.*

ART. I. *Errores, quibus detrahit cruci, recenſentur.* 77

ART. II. *Affertur locus quo Aduerſarij errores ſuprà poſiti continentur.* 81

ART. III. *Quædam in propoſitum teſtimonium animaduerſiones, quibus Ianſenij defenſio refutatur.* 82

ART. IV. *Ianſenius ſolam ſuam gratiam medicinalem ſtatuit.* 84

ART. V. *Aliis argumentis*

mens

mens Ianſenij de quauis Chriſti gratia oſtenditur. 86

CAP. X. *Quæ dona ob Chriſti merita Deus nobis largiatur.* 88

ART. I. *Quid ſit donum naturæ? Quid donum gratiæ?* 88

ART. II. *Gratiæ auxilium à gratia ipſa diuerſum ſtatuitur.* 91

ART. III. *Quæ ſint Chriſti Domini dona.* 94

CAP. XI. *Quotuplex donum gratiæ Chriſtianæ ſit.* 98

CAP. XII. *De gratia noui & veteris teſtamenti diſſeritur.*

ART. I. *Gratia noui teſtamenti breuiter explicatur.* 102

ART. II. *Gratia noui teſtamenti perfectior eſt.* 104

ART. III. *Eadem de vtriuſque gratiæ diſcrimine doctrina explicatur.* 107

ART. IV. *Hæc doctrina de vtraque gratia SS. Auguſtini, & Thomæ teſtimonio confirmatur.* 110

CAP. XIII. *Timor Dei cum gratia adoptionis comparatur.*

ART. I. *Timor Dei multiplex explicatur.* 116

ART. II. *Gratia adoptionis breuiter exponitur.* 119

CAP. XIV. *Errores Ianſenij de lege Moſaïca.*

ART. I. *Quid de lege Moſaïca Caluinus, & Ianſenius ſentiant, ſummatim proponitur.* 121

ART. II. *Ianſenius omnem boni temporalis amorem impiè damnat.* 124

ART. III. *Ianſenius in vetere teſtamento ſola bona temporalia fuiſſe promiſſa docet.* 131

ART. IV. *Ianſenij blaſphemia confutatur.* 135

ART. V. *De legis Moſaïcæ fine, & Dei in ea dunda propoſito vna, & altera Ianſenij blaſphemia affertur.* 137

ART. VI. *Ianſenij blaſphemia ex D. Thoma refutatur.* 139.

ART. VII. *De vtilitate legis Moſaïcæ mens S. Auguſtini proponitur.* 141

ART. VIII. *De Iudæorum proborum paucitate error Ianſenij refertur.* 145

ART. IX. *Ianſenij error allatus refutatur.* 148

ART. X. *Ianſenius cum Pelagianis conſpirat, dum omne rerum caducarum deſiderium peccati mortalis damnat.* 150

CAP. XV. *De doctrina, & ſcientia quauis dogma Ianſenianum proponitur.* 153

Art. I. *Nullam legem, doctrinam, aut ſcientiam Chriſti donum eſſe Ianſenius docet.* 153

Art. II. *Omne Pelagianæ gratiæ adiumentum Chriſti negat eſſe Ianſenius.* 158

Art. III. *Ianſenius gratiæ Chriſti, & crucis merito inimicus acerbior eſt, quàm Pelagius.* 162

Cap. XVI. *De præceptorum Dei poßibilitate.*

Art. I. *Quid Ianſenius cum Caluino ſuper ea re ſentiat.* 168

Art. II. *Nunquam præceptum Dei obligat, niſi fiat poßibile per gratiam.* 172

Art. III. *Quæ ſit circa rem ſubiectam Auguſtini mens, quæ doctrina.* 175

Cap. XVII. *De diuerſo liberi arbitrij hominis ſtantis & lapſi ſtatu.*

Art. I. *Præcipuum nouæ doctrinæ fundamentum hac quæſtione contineri.* 184

Art. II. *Pro Ianſenianæ doctrinæ examine nonnulla principia ſtatuuntur.* 189

Art. III. *Ianſenij contra Eccleſiam error impius redarguitur.* 192

Art. IV. *Ianſenianæ doctrinæ de gratia Adami, & Chriſti principium apud ſolos Caluinianos reperiri.* 195

Art. V. *Idem diſcrimen in nullo ſancto Patre, nullóque Concilio reperiri.* 198

Art. VI. *De diſcrimine inter ſtatum liberi arbitrij Adamicum, & noſtrum Aduerſarij dogma refutatur.* 203

Cap. XVIII. *De merito Adami ſtantis, & lapſi.*

Art. I. *Explicatur breuiter quid ſit meritum.* 208

Art. II. *Caluini de merito doctrina explicatur.* 212

Art. III. *Caluino Ianſenius conſentit.* 214

Art. IV. *Ianſenij de hominis merito doctrina à Conciliis damnatur.* 219

Art. V. *Auguſtinus meritum noſtrum idem eſſe voluit ac meritum Adami.* 224

Art. VI. *Ianſenius refutatur ex iiſdem Auguſtini teſtimoniis, quæ pro ſe affert.* 232

Art. VII. *Quodnam meritum humanum peccato Adæ perierit.* 234

Cap. XIX. *De gratia Angelis & Adamo innocenti data, quid ſentiat Ianſenius.*

Art. I. *Caluinianæ & Ianſenianæ doctrinæ ſumma proponitur.* 239

ART. II. *Ianſenius ſola ſua gratia excepta cætera omnia noſtræ gratiæ dona Adamo ſtanti exiſtimat eſſe conceſſa.* 241

ART. III. *Nullam voluntatis & actionis gratiam Adamo tribuit.* 243

ART. IV. *Refutatur à D. Thoma Ianſenius, qui gratiam Angelis, & primo homini debitam contendit.* 247

ART. V. *Gratiam Angelis & Adamo naturalem eſſe vult Ianſenius.* 252

ART. VI. *Ianſenij de gratia illa Angelorum naturali error Pelagianus refutatur.* 259

ART. VII. *Angelus præter gratiæ habitualis, ſeu potentialis dona, eguit auxilio gratiæ, vt vellet bonum, quod per illa iam velle poterat.* 262

ART. VIII. *De eiuſdem auxilij ope Angelis & Adamo neceſſaria S. Auguſtini, eiúſque diſcipulorum doctrina affertur.* 265

ART. IX. *Eadem doctrina ex S. Auguſtino probatur, refutata Ianſenij cauillatione.* 272

ART. X. *Gratia nec Angelo, nec Adamo innocenti naturalis fuit.* 277

ART. XI. *Afferuntur aliqua D. Auguſtini teſtimonia.* 279

CAP. XX. *Ianſenij de gratia nobis communi cum Adamo poſito in vtroque ſtatu, errores Pelagiani afferuntur.*

ART. I. *Fatetur nobis modò dari omnia dona gratiæ tam habitualis, quàm actualis, quæ Adamo data fuerant.* 286

ART. II. *Nullam earum quæ Adamo innocenti data ſunt gratiarum nobis per Chriſtum donari docet Ianſenius.* 288

ART. III. *Blaſphemiarum eiuſdem aduersùs Chriſtum Dominum ſumma recenſetur.* 296

ART. IV. *Gratiæ habitualis, virtutum infuſarum dona, eorum affectus, ſufficientiam ad bonum, eius poſſibilitatem, remiſſionem peccatorum Chriſto detrahit.* 300

ART. V. *Hæc Ianſenij doctrina Chriſti crucem vanam facit.* 303

ART. VI. *Hæc Ianſenij doctrina ex Auguſtini auctoritate vel Pelagiana, vel etiam Pelagianâ deterior probatur.* 306

ART. VII. *Ianſenij de timore pœnæ doctrina Semipelagianâ pernicioſior eſt.* 312

ART. VIII. *Ianſenius veram fidem Chriſtianam Chriſto acceptam negat.* 316

CAP. XXI. *De gratiæ Chriſtianæ ſufficientis adiutorio*

ART. I. *Super inſtituta quæſtione nonnulla obſeruanda proponuntur.* 317

ART. II. *Alia præterea obſeruantur.* 321

ART. III. *Datur aliqua inſpiratio Chriſtianæ gratiæ ſufficiens, & deficiens.* 324

ART. IV. *Communis conſenſus de gratia ſufficiente.* 326

ART. V. *D. Thomas Gratiam Chriſti ſufficientem admiſit.* 329

ART. VI. *Auguſtinus gratiam ſufficientem non ignorauit.* 332

ART. VII. *Ex Auguſtini doctrina manifeſtum eſt hominem, ſi velit, vti Chriſti gratia.* 337

ART. VIII. *Aduerſarij commenta contra gratiam Chriſti ſufficientem diſſoluuntur.* 342

ART. IX. *Vtrum omnis gratia Chriſti agat neceſſariò.* 351

ART. X. *Vtrum omnis gratia Chriſti voluntatem iuuet inſuperabiliter, & quomodo.* 354

ART. XI. *Aliud S. Auguſtini teſtimonium exponitur.* 357

ART. XII. *Vtrum Deus ita gratia ſua voluntatem noſtram agat, inclinet, & trahat, vt hæc ei non poſſit reſiſtere.* 362

LIBER SECVNDVS.

De veterum Semipelagianorum circa gratiæ Chriſtianæ neceſſitatem erroribus.

PRÆFATIO. 370

CAP. I. QVÆSTIONIS, *quæ nobis eſt cum Ianſenio, ſtatus exponitur.* 372

CAP. II. *Commentum illud de duplici genere, & errore Semipelagianorum reiicitur.* 375

CAP. III. *Quas boni reliquias in homine per peccatum vitiato ſupereſſe voluerint Semipelagiani.* 378

CAP. IV. *Semipelagiani*

cum Pelagianis de ſalutis initio conſentiebant. 383

CAP. V. Omnes Semipelagiani ſolas naturæ vires, & legis adiutorium excluſa omni alia Dei gratia ad initium iuſtitiæ ſufficere docuerunt. 386

CAP. VI. Quæ pro cauſa ſua Ianſenius affert teſtimonia examinantur. 391

CAP. VII. Aliæ aduerſariorum rationes diſſoluuntur. 393

CAP. VIII. Poſtrema aduerſarij ratio refellitur. 397

CAP. IX. Quid cenſendum de Gennadio. 399

CAP. X. Rationes aliæ Theologi expenduntur. 403

CAP. XI. De voluntate Dei. 407

ART. I. Multiplex Dei voluntas dicitur. 407

ART. II. Quænam voluntas diuina ſigni ſit. 408

ART. III. De voluntate diuina beneplaciti antecedente & conſequente. 410

ART. IV. De voluntate Dei abſoluta, conditionata, efficace, & inefficace, 413

CAP. XII. De prædeſtinatione. 416

ART. I. Quid apud D. Thomam ſignificet vox iſta, Prædeſtinatio. 417

ART. II. In quo ſubiecto ſit prædeſtinatio. 418

ART. III. Quid ſit prædeſtinatio. 419

ART. IV. Quos diuinos actus in prædeſtinatione, & quos eiuſdem effectus S. Thomas conſtituat. 422

ART. V. Quem ordinem inter illos actus, & effectus ſtatuat D. Thomas. 425

ART. VI. De conditionibus prædeſtinationis. 429

ART. VII. Ad quos prædeſtinationem illam pertinere Diuus Thomas exiſtimet. 439

CAP. XIII. Hæreticorum doctrina de prædeſtinatione proponitur.

ART. I. Quid ſenſerint ea de re Pelagiani. 437

ART. II. Ianſenius circa prædeſtinationem à D. Thoma planè diuerſus. 443

ART. III. Ianſenius triplicem prædeſtinationem temerè inducit. 447

Digitized by Google

CAP. XXI. *De gratiæ Chriſtianæ ſufficientis adiutorio*

ART. I. *Super inſtituta quæſtione nonnulla obſeruanda proponuntur.* 317

ART. II. *Alia præterea obſeruantur.* 321

ART. III. *Datur aliqua inſpiratio Chriſtianæ gratiæ ſufficiens, & deficiens.* 324

ART. IV. *Communis conſenſus de gratia ſufficiente.* 326

ART. V. *D. Thomas Gratiam Chriſti ſufficientem admiſit.* 329

ART. VI. *Auguſtinus gratiam ſufficientem non ignorauit.* 332

ART. VII. *Ex Auguſtini doctrina manifeſtum eſt hominem, ſi velit, vti. Chriſti gratia.* 337

ART. VIII. *Aduerſarij commenta contra gratiam Chriſti ſufficientem diſſoluuntur.* 342

ART. IX. *Vtrum omnis gratia Chriſti agat neceſſariò.* 351

ART. X. *Vtrum omnis gratia Chriſti voluntatem iuuet inſuperabiliter, & quomodo.* 354

ART. XI. *Aliud S. Auguſtini teſtimonium exponitur.* 357

ART. XII. *Vtrum Deus ita gratia ſua voluntatem noſtram agat, inclinet, & trahat, vt hæc ei non poſſit reſiſtere.* 362

LIBER SECVNDVS.

De veterum Semipelagianorum circa gratiæ Chriſtianæ neceſſitatem erroribus.

PRÆFATIO. 370

CAP. I. QVÆSTIONIS, quæ nobis eſt cum Ianſenio, ſtatus exponitur. 372

CAP. II. *Commentum illud de duplici genere, & errore Semipelagianorum reiicitur.* 375

CAP. III. *Quas boni reliquias in homine per peccatum vitiato ſupereſſe voluerint Semipelagiani.* 378

CAP. IV. *Semipelagiani*

Digitized by Google

cum Pelagianis de ſalutis initio conſentiebant. 383

CAP. V. *Omnes Semipelagiani ſolas naturæ vires, & legis adiutorium excluſa omni alia Dei gratia ad initium iuſtitiæ ſufficere docuerunt.* 386

CAP. VI. *Quæ pro cauſa ſua Ianſenius affert teſtimonia examinantur.* 391

CAP. VII. *Aliæ aduerſariorum rationes diſſoluuntur.* 395

CAP. VIII. *Poſtrema aduerſarij ratio refellitur.* 397

CAP. IX. *Quid cenſendum de Gennadio.* 399

CAP. X. *Rationes aliæ Theologi expenduntur.* 403

CAP. XI. *De voluntate Dei.* 407

ART. I. *Multiplex Dei voluntas dicitur.* 407

ART. II. *Quænam voluntas diuina ſigni ſit.* 408

ART. III. *De voluntate diuina beneplaciti antecedente & conſequente.* 410

ART. IV. *De voluntate Dei abſoluta, conditionata, efficace, & inefficace,* 413

CAP. XII. *De prædeſtinatione.* 416

ART. I. *Quid apud D. Thomam ſignificet vox iſta, Prædeſtinatio.* 417

ART. II. *In quo ſubiecto ſit prædeſtinatio.* 418

ART. III. *Quid ſit prædeſtinatio.* 419

ART. IV. *Quos diuinos actus in prædeſtinatione, & quos eiuſdem effectus S. Thomas conſtituat.* 422

ART. V. *Quem ordinem inter illos actus, & effectus ſtatuat D. Thomas.* 425

ART. VI. *De conditionibus prædeſtinationis.* 429

ART. VII. *Ad quos prædeſtinationem illam pertinere Diuus Thomas exiſtimet.* 439

CAP. XIII. *Hæreticorum doctrina de prædeſtinatione proponitur.*

ART. I. *Quid ſenſerint ea de re Pelagiani.* 437

ART. II. *Ianſenius circa prædeſtinationem à D. Thoma planè diuerſus.* 443

ART. III. *Ianſenius triplicem prædeſtinationem temerè inducit.* 447

Digitized by Google

CAP. XIV. *Doctrinæ de prædeſtinatione Angelorum ſumma breuiter exponitur.*

ART. I. *Ianſenius prædeſtinationem Angelorum planè negat fuiſſe gratuitam.* 452

ART. II. *Quæ Auguſtini de Angelorum prædeſtinatione ſententia ſit.* 455

ART. III. *Quæ S. Auguſtini rationes probant prædeſtinationem hominum eſſe gratuitam, eædem in Angelis locum habent.* 459

CAP. XV. *Quid de reprobatione primùm, tum quid de Prædeſtinatianis ſtatuendum ſit.* 462

ART. I. *Quid de reprobatione cenſeat Caluinus.*

ART. II. *Quid de reprobatione ſentiat Ianſenius.* 465

ART. III. *Ianſenij, & Caluini confutatio.* 471

CAP. XVI. *De voluntate Dei circa hominum vniuerſorum ſalutem.*

ART. I. *Quæ ſit ſuper ea re Caluini ſententia.* 476

ART. II. *Quæ ſententia Ianſenij.* 478

ART. III. *Pelagianorum errores in hanc ſententiam afferuntur.* 484

ART. IV. *D. Thomæ mens explicatur.* 487

ART. V. *Accedit conſenſus cæterorum Doctorum Theologorum.* 491

ART. VI. *Eccleſiæ vniuerſæ doctrina ſuper inſtituta quæſtione.* 495

ART. VII. *Patrum antiquorum in hanc ſententiam admirabilis conſenſio.* 499

ART. VIII. *Auguſtini doctrina à noſtra non abhorret.* 504

ART. IX. *Quòd Deus velit nos pro communi omnium ſalute orare, argumentum eſt eam velle voluntate antecedente.* 509

ART. X. *Auguſtinus Deum cùm nos pro communi omnium ſalute orare iubet, eandem velle arbitratur.* 513

ART. XI. *Chriſtum pro omnibus hominibus nemine excepto mortuum eſſe docet Auguſtinus.* 516

ART. XII. *Locus Auguſtini ex lib. de ſpir. & litt. cap. 33. & ſequent. expenditur.* 519

ART. XIII. *D. Proſperi de eadem quæſtione ſententia.* 525

ART. XIV. *Quid ex libris de vocatione gentium ſuper ea re habeatur.* 528

ART. XV. *Quid cæteri po-*

Digitized by Google

ſteriorum ætatum Patres ea de re ſentiant. 533

ART. XVI. *An hominum aliqui ſint, pro quibus Chriſtus non ſit mortuus.* 538

ART. XVII. *Vtrum Chriſtum pro omnibus, pueriſque etiam infantibus mortuum ſenſerit Auguſtinus.* 541

ART. XVIII. *Commemoratam tam frequenter ab Apoſtolo, prædicatámque iudiciorum Dei profunditatem, atque abyſſum apud Ianſenium planè eſſe nullam.* 544

ART. XIX. *Soluuntur quæ contra propoſitam doctrinam ab Aduerſariis obiici ſolent.* 550

LIBER TERTIVS.

De diſcrimine gratiæ Adamo innocenti datæ, & Chriſtianæ.

PRÆFATIO. 556

CAP. I. *De gratia, ſeu ſpiritu adoptionis, quem Chriſtus poſtquam receptus eſt in cælum dedit diſcipulis.* 559

CAP. II. *Quomodo Spiritus ſanctus Chriſtianis donatus ſit.* 563

CAP. III. *Adamo ſano, & felici data eſt gratia adoptionis.* 567

CAP. IV. *Gratia & iuſtitia Adami innocentis nobis per Chriſtum reſtituta eſt.* 570

CAP. V. *Quo ſenſu maior ſit gratia quæ per Chriſtum reſtituta eſt, quàm ea quæ per Adamum amiſſa.* 572

CAP. VI. *Memoratus à Ianſenio Auguſtinus non aliud inter gratiam hominis ſani, & ægri ponit diſcrimen.* 574

CAP. VII. *De Adiutorio* ſine quo non, *&*

Digitized by Google

adiutorio quo *per Chriſtum dato*, D. *Auguſtini mens explicatur.* 577

CAP. VIII. *De ſola finali perſeuerantia mentionem eo loci ab Auguſtino haberi.* 581

ART. I. *De duplici dono perſeuerantiæ.* ibid.

ART. II. *De ſolo perſeuerantiæ finalis dono dicta Auguſtini lib. de correp. & grat. eſſe accipienda.* 583

CAP. IX. *De merito perſeuerantiæ, quod in Adamo perditum, Chriſti gratia non reſtituit.*

ART. I. *Docet Auguſtinus aliquod humanum meritum periiſſe in Adamo.* 588

ART. II. *Homo lapſus perſeuerantiam finalem non meretur, quam & meritus eſt Angelus, & Adamus mereri poterat.* 593

ART. III. *Quamobrem in miſerabili, quæ nunc eſt, natura lapſa conditione, iuſtus perſeuerantiæ finalis donum non promereatur.* 595

CAP. VLT. *Ex dictis, Ianſenianæ gratiæ fundamentum conuellitur.* 597

LIBER.

Digitized by Google

LIBERTATIS ET GRATIÆ CHRISTIANÆ DEFENSIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Summa totius doctrinæ Ianſenianæ proponitur.

ETSI non ſum neſcius, eum qui ſemel à regia catholicæ fidei via deflexerit, nullúmque præter ſe iudiciúmque ſuum ſequatur ducem, non modò quæ cum veritate, ſed etiam quæ ſecum pugnent, dicere ſolitum; ídque Ianſenio cùm primùm ad illum legendum animum appuli, contigiſſe ſenſerim, eóſque adeò operam perdere, qui nexas inter ſe aptáſque tam vaſti operis partes demonſtrare cogitent; mecum tamen animo reputaui, hominem ingenio præditum fortaſſe aliquo, in ſuo opere totos viginti annos (vt ipſe de ſe profitetur) fingendo formandóque, id cauiſſe imprimis, vt ſi minùs vera, certè conſequentia loqueretur: ídque

Digitized by Google

perſuaſi mihi non difficulter, cùm à diſcipulis in eo potiſſimum identidem laudari commendaríque intellexi, quod ab inextricabili tam variarum de gratiâ quæſtionum, quaſi labyrintho Ariadnei cuiuſdam fili beneficio,ſe tam feliciter expediret. Cùm autem repeterem animo quod ab auctore vitæ illius ſcriptum obſeruaueram, cum omnia ſua dogmata ab vno quodam fonte principióque eſſe ducenda, pronunciare conſuetum, vnde omnis demùm doctrinæ complexio exiſteret: cœpi inire conſilium de verſando conſiderandóque omni illo opere, vt, pro eo ac poſſem, totius complexionis illius ordinem, primùm: tum verò primarium illud, quod tantopere commendat, doctrinæ principium, à quo pendent vniuerſa, perueſtigarem. Nec opinor in eo à me fruſtra eſt elaboratum. compertum enim tandem aliquando (ni mea me fallit opinio) quod ita flagitabam, Ianſenianum opus quandam eſſe veluti catenam, complexionémque errorum, partim à Caluino, cæteriſque poſteriorum temporum nouatoribus, partim à Pelagio repetitorum, ſed aptè ita artificioſéque conſertam, vt quantumuis opus illud varium per ſeſe multiplexque ſit, tamen quæ fuit auctoris ſolertia, vnum eſſe propè videatur.

Primum igitur noui dogmatis iſtius caput eſt, de libero hominis arbitrio, in quod, bonum malúmque cadere poſſit, & quod in vtramuis partem libuerit, ſe inclinet: ſed ita tamen vt malum à ſeipſo, bonum verò non niſi quodam diuinæ gratiæ appulſu velle & operari queat. Qui quidem ſtatus Adamo innocenti, cum Angelis viatoribus fuit communis. verùm tantùm ab illius crimine cùm ignorantiæ, tum prauæ cupiditatis pondus, tantáque peccandi neceſſitas defluxit in nos, vt in omni viuendi conſuetudine immoderatarum affectionum æſtu abrepti, omninò non peccare non poſſimus, niſi fortè diuinæ gratiæ vberior quædam vis adfuerit, quæ nos à peccato ita auertat, conuertátque ad ſeſe, vt illi reſiſtere noſtræ non ſit præterea poteſtatis; vnde factum vt omnis libertatis indifferentia tolleretur.

Eò accedit, quòd cùm ex poſito illo principio, de gratiâ primo parenti rebus adhuc integris datâ, aliter ſtatuendum ſit, ac de eâ quæ nobis datur: tantum poſuit nouus Doctor

inter vtramque diſcrimen, vt in vtraque nihil aut commercij, aut conſenſionis eſſe paſſus ſit. Illa enim, vt diſputat tam copioſè, ſanæ erat ac valentis, hæc ægræ imbecillæque voluntatis; illa dabat homini vnde poſſet agere, hæc verò vnde agat; quippe quæ adiutorium ſit quo agitur, cùm illa eſſet tantùm auxilium ſine quo non poterat agi: erat homini ſtanti gratia qua vteretur ſi vellet, homini autem reparato ſit gratia non qua vtatur ſi velit, ſed qua de facto velit.

Tum verò non poteſt dici, quàm anxiè ſollicitéque laboret in inſtituendâ temperandâque arbitrij illius, quod admittit, libertate; quam quidem tametſi negare non audeat, audet tamen omni ſpoliare indifferentiâ, in quo cùm ſcholam omnem habeat aduerſariam, ita rem temperat ac moderatur, vt ad liberi arbitrij *ſtatum aliquem*, vt loquitur, non naturam, indifferentiam pertinere fateatur, contendátque libertatem etiam ſublatâ omni electionis indifferentiâ, ſi nihil patiatur violentum, conſtare poſſe. Ita prorſus, quod cæteri doctores ſpontis eſſe dicunt, doctor Iprenſis dicat eſſe liberæ voluntatis.

Poſtremò, quod ex dictis conſequens eſt, docet cùm mortale genus in priſtinum, ex quo exciderat, ſtatum à Chriſto dicitur fuiſſe reſtitutum, id ita non eſſe intelligendum, quod ereptæ per peccatum libertatis facultas de integro reſtituta ſit, ſed quod duro illo peccati dominatu vigente etiamnum, & in nobis relicto, gratiæ, Adamo nunquam conceſſæ, maior quædam vis, nos ad bene agendum excitet, compellátque, quæ gratia licèt medicinalis ſit, immoderatæ vel cupiditatis, vel ignorantiæ vulnera minimè quidem ſanet; ſed voluntatem quantumuis ægram diuino quodam incenſam ardore ad bene agendum vi quadam inuictâ compellat, ipſáque ſit bona inclinatio ea, qua propendet in bonum, quæque voluntatem bonam, & beneuolentem, non modò in genere cauſæ effectricis, ſed & formalis faciat.

Eſt illa videlicet toties celebrata à Ianſenio Chriſti ſaluatoris gratia, quę ita efficax eſt, vt ſuo effectu nullo modo fruſtrari poſſit. Quæcumque verò à Theologis in gratiæ ſufficientis commendationem afferri ſolent, ea (inquit Ianſenius) vel omninò fictitia ſunt, vel ſi quæ ſint iſtiuſmodi, quæ à Deo den-

tur hominibus, ad Chriſti gratiam, nulla ratione pertinere poſſe, cùm nihilo plus afferre queant vtilitatis, quàm ſi cæco lumen ſolis affulgeat. Nec enim, quantùm exiſtimo quam Theologi ſufficientem gratiam appellant, à Ianſenio planè tolli videtur, cùm eiuſmodi auxiliorum in orbe Chriſtiano copiam eſſe fateatur; ſed negat eſſe ea, quæ in ampliſſimis Chriſti ſaluatoris diuitiis, ac facultatibus pro ſuo iure cenſeri poſſint: cùm in vita bene Chriſtianéque inſtituenda, non plus afferant opis, quàm conceſſa infidelibus ingenij, indolis bonæ, pulchritudinis aliarúmque dotum munera, conferre ſoleant, quibus qui carent, licèt in pœnam peccati, in ipſa origine contracti, careant; Dei tamen creatoris munera ſunt, non verò ſaluatoris.

Hæc eſt enimuerò famoſa illa ac celebris totius Ianſeniani dogmatis illigatio, hæc (vt ita dicam) catena; cuius partes, nexúſque vt multi Caluiniani ſint, contendo plurimos meritò dici poſſe Pelagianos. cùm enim & naturæ, & Deo creatori multa tribuat, quæ ſaluatoris ſunt, Chriſti crucem, ſin minùs totam ſaltem magna ex parte, vt loquar cum Apoſtolo, euacuare conatur, in quo cum Pelagio videtur conſpirare.

CAPVT II.

Ianſenius circa liberum arbitrium Caluinianus.

ARTICVLVS I.

Quæſtio breuiter proponitur.

CVM tam multa ſint in hanc partem à viris doctiſſimis, ex quo cœptum eſt de libertate diſputari, tam copioſè & abundanter diſputata; in propoſitâ quæſtione ita verſabor, vt cæteris quæ ad rem nihil attinent, prætermiſſis, illam in quampauciſſima potero, conferam, quantum ſatis erit cùm ad inſtituti mei rationem, tum ad Ianſenij diſcipu-

Digitized by Google

los, qui magiſtrum ſuum ab erroris Caluiniani ſuſpicione liberant, reprimendos. Contendunt primùm Ianſenium aliter longè, ac Caluinum fuiſſe locutum; præclarè illud quidem, ſed ad defenſionem Ianſenij parum fortaſſe conuenienter. Vt enim purgatio hæc vincat aliquid eſſe inter vtrumque diſcriminis, penes voces ipſas, certe penes ſententias nullum planè vincit eſſe diſcrimen; quod verbis diſcrepent, non nego, hoc nego, mentem vtriuſque, diuerſis licèt ſubiectam vocibus, eſſe diuerſam. Quod vt demonſtrem, totam Ianſenij de arbitrij libertate doctrinam, quatuor diſtinctam comprehensámque ſententiis, propono; tum ſubiicio, quid de ſingulis ſentiat Caluinus. ita fiet, vt quid in vtroque conſentiens ſit, quid diſſentiens; ex commiſſione vtriuſque liquidò appareat.

Sed antequam rem ordiar, vnum eſt, quod moneam, ſermonem hîc eſſe de libertate arbitrij non de quâlibet voluntatis libertate, quam interdum apud Patres, & Theologos accipi latiùs manifeſtum eſt; nec proinde vanam eſſe quorundam hominum coniecturam, qui lib. 6. de gratia Chriſti, caput 35. & quæ conſequuntur, non eſſe Cornelij Ianſenij, ſed Vincentij Lenis operâ ad reliquum opus acceſſiſſe, non immeritò ſunt ſuſpicati; cùm eò loci non obſcurè dicat, *non omne voluntarium eſſe liberum, iſtúdque cum aliquâ indifferentiâ ſemper debere eſſe coniunctum*; aliáque in hanc ſententiam non pauca, quæ à Ianſenij mente, & dicendi, diſputandíque conſuetudine planè abhorreant; niſi fortè Ianſenium in ea parte liberum accommodatè ad temporis iſtius ſenſum, &, vt cap. 36. loquitur, *vulgatiſſimo huius temporis ſenſu*, accepiſſe fateare.

ARTICVLVS II.

Ianſenius idem liberum ac ſpontaneum eſſe vult.

PRIMA igitur Ianſenij ſententia eſt, eandem liberi, ſpontanei, & voluntarij eſſe vim. *Volitionem eo ipſo quod volitio eſt, eſſentialiter eſſe liberam*; & ſi quando ſolam voluntatem deliberatam, liberam eſſe profitetur, ſic loquitur

Digitized by Google

quia exiſtimat *motus indeliberatos omnes appetitus ſentientis motus, nullos voluntatis affectus eſſe. Cùm enim intellectum rationémque vnà confundat, omnem actum elicitum à voluntate, tam rationalem eſſe vult quàm intellectiuum.* Ita ille lib. 6. de gratia Chr. cap. 2. 3. 4. Et 5. demùm ſic habet. *Libera eſt voluntas hoc eſt volitio ratione ſui, quia eſt eſſentialiter libera. Implicat enim contradictionem, vt voluntas non ſit libera. Voluntas, ſeu volitio, & libera voluntas idem ſunt, ſicut velle & liberè velle, & impoſſibile eſt, vt velle non ſit liberum.* cap. 13. Quia omnis motus voluntatis cum ratione coniunctus eſt liber, *idcircò omnes primos motus cupiditatis ſiue bonos ſiue malos ſeorſim à voluntate liberâ haberi debere aſſerit.* tum cap. 17. *motum voluntatis hoc ipſo quod voluntarius, & voluntatis eſt, eſſe liberum.* de motibus verò non deliberatis lib. 2. c. 2. idem docuerat. Libro autem ſeptimo capite tertio, *libertati arbitrij ſolam coactionis neceſſitatem* ait *eſſe contrariam, omnémque actum voluntarium, ſeu ſpontaneum hoc ipſo eſſe liberum,* conſtanter aſſeuerat; ne opinor à Caluino, cui hæret imprimis, recedat.

Is enim, liberum arbitrium, ſi idem ſit, ac voluntarium ſpontaneúmque, admittere ſe profitetur, vt patet ex Reſpon. ad l. 3. Pigh. p. 163. *Liberum,* inquit, *non ideò eſt, quòd poſſit in vtramque partem ſuapte virtute ſeſe flectere, ſed quia voluntario motu in malum* feratur. Et p. 168. *Habemus non aliâ causâ dici liberam voluntatem, niſi* quia *ſpontaneo mouetur affectu.* Omitto pleraque in hanc fermè ſententiam alia; quæ apud illos, qui hoc habent inſtitutum, vt quid inter vtrumque communionis ſit, oſtendant, legi poſſunt.

ARTICVLVS III.

Docet voluntatem non eſſe propriè liberam niſi circa finem.

HINC exiſtit ſecunda Ianſenij ſententia, qua docet voluntatem eſſe maximè liberam circa finem, non circa media, quatenus media ſunt.

Vix tenebunt riſum philoſophiæ tyrones, & ſi qui ſunt communi ſenſu præditi, qui vulgò cum aliis ſentiant & lo-

quantur, in tanta philoſophandi importunitate ſi ſibi temperent, næ, meo iudicio, erunt patientiſſimi. Sed res ad examen exigatur; lib. 7. de gratia Chriſti cap. 4. affirmat *maximam libertatem voluntatis, eſſe circa finem: medium vt medium,* inquit, *non tam voluntarium quàm neceſſarium eſſe, reſpectu alterius concupiti, quia finis maximè appetitur, maximè delectabilis eſt, & motus in finem maximè voluntarius, & ſponte, non extranea conſideratione extortus à voluntate fluit: hinc eſt, quod ille quoque motus Auguſtino* (Iprenſi videlicet) *maximè liber eſt, & in illo motu arbitrium maximè liberum, at motus in media non tam liber, neque tam voluntarius appellatur: ſicut & ipſa media ab Auguſtino non bona, ſed neceſſaria nuncupari ſolent, & voluntas, quæ medium aſſumit, vt aſſequatur finem, minùs libera eſt, ſed neceſſitate aliqua, ſeu coactione neceſſitatis extorta.* cap. 13. *Electionem, vſum, imperium miniſteriales* vocat *affectus, & electionem eſſe affectuum omnium poſtremum, viliſſimum, ſeruiliſſimum, natum obedire, non imperare, & propterea libertatis minimè eſſe capacem, & ſi quam ſuſcipit, non minùs ac bonitatem eius ex affectu principe* (ſcilicet circa finem) *deriuari & expendi debere; vt ſanè mirandum ſit, quid philoſophiæ ſectatoribus venerit in mentem, qui libertatem arbitrij, ex abiectiſſimo, ſeruiliſſimóque voluntatis actu ponderare voluerunt.*

Hominem qui hæc ſcribat, quis ſanum & temperantem, ne quid grauius dicam, eſſe iudicet? ſiue enim effata ipſa, ſiue rationes quas adhibet, conſideres, aut ſomnia delirantis eſſe videbuntur, aut ænigmata denſiſſimis impedita tenebris, quæ fabuloſæ ſphingi liceat proponere. Ego certè Oedipum expecto è Ianſenianis aliquem, qui rem explicet, doceátque, quî fieri poſſit, cur electionem & imperium quantumuis à ſapientibus ſic appellentur, Ianſenius vocet actum miniſterialem, & quia medij appetitio quædam eſt, ideo ſeruiliſſimum eſſe, viliſſimum, & abiectiſſimum voluntatis actum, minimè verò liberum libertate arbitrij, vtpote aliqua neceſſitate coactionis extortum: & media ipſa licèt vtilia ſint quæ eliguntur, nihilominus neceſſaria dici, ideóque non bona, quaſi verò illud optimum, de quo Chriſtus, quia neceſſarium, bonum eſſe deſinat.

Laudandus in hac parte Caluinus qui poſitus in lubrico,

meliùs ſe ſuſtinuerit, & certè, vt erat ingenij Ianſenio longè acutioris, non tam turpiter hallucinatus eſt, qui voluntatem non aliter liberam eſſe, quàm quia ſuæ ſpontis eſt, ſolebat affirmare, tum verò, quod conſequens eſt, illam circa finem, maximè liberam ſtatuebat; verùm cùm ille libertatem arbitrij, ſi quam admitteret, eam electioni indifferenti tribuendam eſſe diceret, maluit vim cum indifferentiâ electiuam negare, quàm ei conceſſæ, reclamantibus quotquot ea in re aliquid ſapiunt, arbitrij liberi & nomen, & præcipuam rationem adimere. Dixi vim cum indifferentiâ electiuam, quam ſolam tollit Caluinus, & cum ea libertatem arbitrij propriè dictam.

ARTICVLVS IV.

Indifferentiam ad ſtatum liberi arbitrij pertinere docet.

TERTIO loco Ianſenius contendit indifferentiam voluntatis ad ſtatum aliquem, non ad eſſentiam liberi arbitrij pertinere; vnde ſuadet vt Deum, Chriſtum, beatos abſque vlla prorſus indifferentiâ, ad amorem Dei, & quoduis aliud bonum eſſe planè libertimos, ſic nos, damnatóſque ad malum: quæ verò indifferentiæ ad bonum, & malum, vulgo libertas eſſe dicitur, eam non niſi Adamo innocenti tribuendam putat: adeovt modò ad bonum, aut malum indifferentiæ nobis relictum nihil admodum ſit: quem indifferentiæ ſtatum quia indignum exiſtimat, qui ſit in Deo, illum decernit ab eo procul amoliendum. Quî autem fieri poſſit, vt Adamo in illo felicitatis, cuius potiebatur, ſtatu, id quod tam vile eſt atque abiectum conceſſum ſit, nobis miſeris ereptum; nouum eſt & obſcuritatis pleniſſimum ænigma, Ianſenianis, quando vacuum erit, ſoluendum.

Hanc porrò doctrinam cùm libro ſuprà appellato, cap. 8. tum paſſim multis aliis in locis diſertè docet, & lib. 4. de gratia Chr. cap. 7. indifferentiæ *μορμολυκεῖον illud* in ſcholâ *adeò decantatum, quòd alioquin arbitrij libertas omnis deſtruatur, velut inane quoddam ludibrium* & ſimulacrum ridet & explodit. In quibus tum etiam in cap. 9. & 10. ita conſentit cum Cal-

Digitized by Google

uino, vt vel ab iſto illum, vel vtrumque ab vno eodémque magiſtro hanc doctrinam prompſiſſe neceſſe ſit. lib. quippe 2. inſtit. cap. 3. §. 14. cap. 5. §. 1. lib. 4. contra Pigh. pag. 175. & 176. Caluinus eandem conſtituendæ libertatis, & indifferentiæ Dei circa bonum, viam, rationémque tenuiſſe, eodem, ac Ianſenius, immutabilitatis ariete vſus videtur: nam lib. 2. inſt. c. 2. §. 4. ita Caluinus, *quaſi adhuc integer ſtaret homo liber, & indifferens eſſe dicitur.* In hoc tamen vno recedit à Caluino Ianſenius, quòd ille liberum arbitrium negat funditùs, quod indifferens non ſit; iſte etiam ſublatâ indifferentiâ ſaluum eſſe docet.

ARTICVLVS V.

Sola vis illa quæ cogit, libertatem adimere dicitur.

QVARTVM eſt ac poſtremum, ſolam coactionis neceſſitatem, liberi arbitrij eſſentiæ, perfectóque ſtatui aduerſari, quod lib. 6. de gratia c. 6. & 10. & l. 7. c. 3. conceptis verbis habet: hæ ſunt enim eius voces: *Libertati arbitrij ſolam neceſſitatem coactionis, ſeu qua etſi nolumus, efficit quod poteſt, eſſe contrariam; omnémque actum voluntatis ſeu ſpontaneum, hoc ipſo eſſe liberum.* A quibus nihil diuerſus eſt Caluinus, adeò in omnibus conſpirat cum Ianſenio. Ita enim ille lib. 2. inſt. c. 2. §. 7. negat *voluntatem à coactionis neceſſitate immunem, rémque tantulam hoc adeo ſuperbo titulo rectè inſigniri,* & quaſi iam tum quâdam præſagitione præciperet animo, nouum hoc Ianſenij de arbitrij libertate commentum, lib. 2. contra Pigh. pag. 153. ſic locutus eſt: *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium & fateor, & conſtanter aſſeuero, ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat, ſi hoc inquam ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſuâ, nihil moror.* quod fusè perſequitur ibidem p. 154. & lib. 2. inſt. cap. 2. §. 7.

Omitto quod lib. 6. de grat. Ch. c. 8. ab eodem Ianſenio dictum, voluntatem nimirum idcirco eſſe liberam, quia gratia *voluntatem nihil agentem potentiſſimè velle, & operari facit;* de hoc enim nouo dogmate Lutherano, differendi locus erit opportunior.

Digitized by Google

Cæterùm nihil attinet hîc commemorare me pluribus, quo in numero habendę ſint, quâve cenſuræ notâ caſtigandę tam parùm ſanæ propoſitiones, cùm id ab Antonio Ricardo cæteríſque, qui eâ de re egerunt doctoribus, ita præſtitum ſit, ipſis etiam non negantibus aduerſariis, vt nihil prætereà in hanc partem deſiderari meritò poſſit. Quis autem neſciat, niſi ſæculi ſui planè rudis ſit, hanc omnem Ianſenij de libertate doctrinam, communi Philoſophorum, Theologorúmque omnium ſuffragio, non ſemel erroris notatam, damnatámque fuiſſe? Vnum eſt autem quod te ex animo oratum velim, quiſquis es, qui te Ianſenij ſectatorem, defenſorémque profiteri non dubitas; vt omni rixarum partiúmque ſepoſito ſtudio, reputes apud te; num fortaſſe doctrina illa catholica, & ſana eſſe queat, quam à quingentis annis Eccleſia aut damnat, aut certè ignorat, ipſo teſte Ianſenio, tom. 2. l. proœm. c. 30. vbi opponit ſibi. *Si ſcholaſticorum ſententiæ ab Auguſtino reprobatæ, iam à quingentis ferè annis, per vniuerſam pene Eccleſiam ſunt familiares; inde ſequi Eccleſiam pene totam errorum eſſe ream. Populus enim Chriſtianus vbique terrarum tenet, quod Parochi, & Antiſtites docent: hi verò quod in ſcholis à doctoribus, vel in ſcriptis eorum traditum perceperunt: qui ſi per tot annos pleraſq; ſententias docuerunt, quas ab Auguſtino reprobatas eſſe dicitur, Eccleſia profectò ferè vniuerſa erroribus maculata fuit.* Hæc eſt communis aduerſus nouatores catholicorũ querela, & iuſtiſſima grauiſſimáque criminatio, quam ille non alia, ac cæteri omnes hæretici, ratione diluit, cùm reſpondet: quæ doctrina tot annis damnata eſt, eam primis temporibus viguiſſe: quod qui ſemel admiſerit, doctrinæ catholicæ traditionem ipsâ temporum ſerie, ac perpetuitate continuam, reiiciat neceſſe eſt. Quamobrem cùm ſibi ipſe Ianſenius hac reſponſione non faciat ſatis; tum addit; *ſi Eccleſia vniuerſa rectè quidem crederet, fidémq; ſuam palam in precibus & orthodoxis loquendi formulis fateretur, ſed tamen quomodo verum ſit quod credit, non ſatis intelligeret, nihil Eccleſiam totam vel partẽ eius in ipſa fide paſſuram eſſe præiudicij.* Quod vt breuiùs & planiùs dicatur cum Caluino, idcirco Eccleſia non poſſe deficere à Ianſenio dicitur, quia verbum Dei quod errare non poteſt in libris conſeruat. Verùm, vt notat Cornelius à Lapide, hoc ſi ita habet, Eccleſia

Digitized by Google

non columna, ſed *theca veritatis*, toto illo tempore fuit, & quam Chriſtus in Paſtoribus, & doctoribus mundo dederat, magiſtram veritatis, quámque nos omnes docentem audire iuſſit, ignara prorſus, & infans effecta, habebat tantùm libros, quos legendos catechumenis, & fidelibus traderet, nec interpretaretur, eiúſque doctores ij, quod de Iudæis olim dicebat Auguſtinus, facti erant Ianſenianorum *capſary, librariíque portantes codicem vnde illi crederent.*

CAPVT III.

De prauitate hominis ex peccato originali contractâ Ianſenius ſentit cum Caluino.

ARTICVLVS I.

Prauarum affectionum partitio.

CVM Chriſti gratia omnis, ex Iprenſis ſententia, eo duntaxat nobis conceſſa ſit, vt relictæ à peccato originis leniantur ægritudines, víſque ipſa morbi, quo miſerè conflictamur, aliquando remittat, ideóque, vt fuſiùs ſuo loco demonſtrabitur, apud eundem medicinæ nomen ſortita ſit; omne totius illius de gratiâ doctrinæ fundamentum, à vitiis, prauíſque affectionibus primo in ortu contractis, meritò videtur eſſe repetendum. Tametſi autem nec inſtituti operis huius ratio, nec propoſitę mihi ab initio breuitatis conſilium, longiorem de vitiis illis diſceptationem patiatur; tamen exiſtimo futurum à re non alienum, ſi quid de illis ſentiat Ianſenius, breuiter exequar: cùm præſertim primarium illud noui dogmatis myſterium, celebre adeò inter eius diſcipulos, & arcanâ quâdam initiatione quaſi conſecratum, in eo videatur eſſe poſitum; à quo deinde doctrinæ totius illigatio arctiſſimâ commiſſorum inter ſeſe quibus cohæret, annulorum complexione, apta nexáque ſit.

Atque vt ad rem ipſam veniam quamprimùm, quadrifa-

Digitized by Google

riàm partitur Ianſenius, eas, quę ab Adamo vitiatâque origine noſtrâ profectæ ſunt, tranſmiſſæque in poſteros, deprauatæ affectiones. Prima eſt reatus maculæ, ſeu ipſum Adæ peccatum, quod in illo perſonale fuit, in nobis originale. Secunda, quædam obſcuratio veri, & ignorantia obſita mentibus noſtris. Tertia, cupiditatis immoderatæ inſita vis. Quarta, malitia actionum omnium earum, quæ diuinâ ope gratiæ deſtitutæ, in ipſo vitæ mortalis vſu à nobis fieri ſolent. De corporis autem interitu ac ſolutione, non eſt in præſentiâ, quòd cum eo diſputem, cùm ad quæſtionem propoſitam nullo modo pertinere videatur.

ARTICVLVS II.

De reatu peccati originalis.

QVOD ad primum vitium ſpectat, D. Thomas concupiſcentiam carnis, peccati originalis partem materialem cum D. Auguſt. & peccatum illud materialiter ſumptũ eſſe fatetur 1. 2. q. 82. a. 3. *Peccatum,* inquit, *originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter verò eſt defectus iuſtitiæ originalis.* quod in q. 4. de malo, quæ eſt de peccato originis, art. 2. fusè explicat. Nec diſſentit ſynodus Trid. cùm ſeſſ. 5. docet, eam, quam in baptiſatis concupiſcentiam manere experimur, dici quidem aliquando peccatum, non quod verè in renatis peccatum ſit, ſed quia reſtat aliquid, quod à peccato profectum ſit, & in peccatum inclinet, quia per Ieſu Chriſti gratiam, quæ in baptiſmate confertur, *reatus peccati originalis ita remittitur, vt tollatur id totum quod veram & propriam peccati rationem habet.* In quo errant quàm qui maximè hæretici, qui turpem illam notam ita tolli putant, vt quaſi radatur, aut præterea illi, qui ſacro fonte expiatus eſt, non imputetur. Quæ doctrina ruat neceſſe eſt, ſi quod à Ianſenio dictum eſt, concupiſcentia ſit ipſum peccatum originale formaliter ſumptum, & in ea huius eſſentialis formaliſque ratio conſtituatur.

Reclamat enimuerò Caluinus in lib. 2. inſt. cap. 1. §. 8. & 9. quo in loco Magiſtri ſentent. cum D. Thoma in ca-

Digitized by Google

parte conſentientis *craſſam*, ſic enim loquitur vir profligati pudoris, *inſcitiam*, impotenti maledicendi licentiâ increpans, ait; *peccati originalis ſedem in carne propriè eſſe, & qui dixerunt illud eſſe concupiſcentiam, non nimis alieno verbo vſos eſſe, ſi modò adderetur, quidquid eſt in homine ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem vſque, hâc concupiſcentiâ inquinatum, refertúmque eſſe: aut, vt breuiùs abſoluatur, totùm hominem non aliud ex ſeipſo eſſe, quàm concupiſcentiam.* Ianſenius porrò rem clariùs multò, & minùs dubitanter expreſſit lib. 1. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 23. *Ad intelligendam*, inquit, *penitùs formalem peccati originalis propagationem & rationem, ſeu concupiſcentiæ reatum, non eſt inutile adhuc paululùm immorari.* Vides hominem in formali peccati originalis ratione perueſtigandâ, intentum & hærentem. Quid præterea? *Peccatum originale*, inquit, *concupiſcentia eſt.* Quàm fidenter loquitur, quàm parum obſcurè idem cap. 20. dixerat non ſemel, & libidinem ipſam peccati nomine appellauerat, huius reatum in illâ conſtituere non veritus. *Concupiſcentia*, inquit, *habitualis cum reatu ſuo in ſemine humano vitiato, virtute latens, ſimile vitium in iis, qui naſcuntur, operatur, ac demum ſeminis vi peccatum tale, quale in parentibus fuit, hoc eſt libido ream ſobolem detinens, procreatur.* Ex quibus, quid efficitur aliud, quàm, quamdiu manet libido in homine baptiſato, tamdiu peccati originalis rationem formalem, reatúmque ipſum prorſus inhærere; adeóque gratiam Chriſti, quæ per Sacramentum conferri ſolet, planè eſſe inutilem, quandoquidem id omne quod veram peccati rationem habet, relinquat. quod quàm à fide abhorreat, quàm ipſi gratiæ contumelioſum ſit, non neceſſe eſt me dicere, cùm nemo ſit, modò fuerit is myſteriorum noſtrorum non rudis & ignarus, qui id non ſentiat: ſed de iis, ipſáque adeo Ianſenij in explicanda illa concupiſcentia cum Caluino conſenſione, fuſiùs poſteà à nobis diſputabitur.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

De ignorantia à peccato originali profectâ, quid ſentiat Ianſenius.

ALTERVM peccati originalis vitium eſt ignorantia. Quæ cùm duplex ſit, legis æternæ, & naturalis altera, altera iuris poſitiui tam diuini, quàm humani, iſtâ quæ ad rem nihil pertineret, prætermiſsâ, de illa duntaxat egit Ianſenius, quam etiam bifariam diuiſit; cùm ſtatuat alteram inſitam nobis, & innatam, quam in priuatione quadam fidei, cæterarúmque virtutum intellectualium, quæ cum iuſtitia originali cognationem habebant, exiſtimat eſſe collocandam: alteram verò admittat ab hominum negligentia, & inerti quodam ſtupore prognatam; de qua monet identidem lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 5. & 6. mentionem ſibi futuram nullam.

Quantumuis autem eiuſmodi ignorantia propriè peccatum non ſit, tamen, quod ab illa etiam (vt ipſe loquitur) *inuincibili*, peccatum conſequatur, innuit veri peccati rationem habere: licétque ab humana poteſtate vinci non poſſit, *cùm & ipſam fidem Chriſti quâ ſola vinci poteſt, multi inuincibiliter, & inculpabiliter neſciant, quia tamen pœna peccati eſt, quidquid ex illa cæcitate perperam fit, ſine peccato non fit.* Cùm autem peccatum ita fit interdum, vt quòd peccantis cognitionem fugiat, ſcienter ac deliberatè non committatur, Angelicus Doctor cum omnibus paſſim Theologis docet 1. 2. qu. 21. art. 2. ab illo nihil exiſtere vel culpæ in peccantem, vel offenſionis in Deum. Contendit ex aduerſo Ianſenius lib. 1. de gratia Chriſti cap. 4. quod fide Chriſti deficiente fit, malum eſſe, *hoc eſt verè propriéque peccatum;* tum capite 5. *Omnia infidelium opera, quantumcumque ſpecioſa, & ex philoſophica virtute profecta videantur, eſſe verè & propriè dicta peccata.*

Cùm porrò in initiatis aliquid cæcitatis relictum ſit, de illis hæc habet lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 3. *Facere contra legem non eſt aliud quàm verè peccare, etſi quod lex iubeat, id*

Digitized by Google

eſt, quid faciendum ſit ſcire velint, nec poßint intelligere, quid lex fieri velit, cùm tamen interim, quantumuis inuiti ac diligentes, multa quæ ad iuſtitiam ſpectant, animo adhuc carnales neſciant, & in iſtis animi tenebris conſtituti impingendo delinquant.

O deſperatam Chriſtianorum conditionem, ſi res eſt, vt dicis, noue Doctor! ô ſpes omnium perditas! quantumuis enim ſedulò, ac diligenter ſibi conſulant, quamcumque curam adhibeant, vt à malefactis abſtineant, ſi quid propter denſiſſimas, quibus vndique circumfunduntur, ignorantiæ tenebras, excidat imprudentibus atque incautis, quod contra legem ſit, aut naturalem aut æternam; ſi in quopiam cæci offendant, peccéntque, *peccatum* eſt inquit *propriè dictum, quia ignorantia in illis pœna peccati eſt.* Quod igitur ita peruagatum eſt in omnibus cùm Philoſophiæ tum Theologiæ Scholis, quod in omnibus academiis ita iactatum. *Homo non peccat, in eo quod neque ſcit, neque ſcire potuit, nec voluntate ſua ſiue volente, ſiue torpeſcente, tali ignorantiæ cauſam dedit; hac rationis humanæ plerumque vanæ terriculamenta* lib. 2. cap. 4. appellat Ianſenius; quo ore, quámque impudenti; vel ex eo ſatis liquet, quod à Caluino mortalium omnium impudentiſſimo non paſſus ſit in hac parte ſe ſuperari. Rem enim paulo verecundiùs magíſque modeſtè definit Caluinus, cùm dicit in Antid. ad can. 7. ſeſſ. 6. Trid. & cap. 14. §. 4. lib. 3. inſtit. *Opus infidelium eſſe maledictum, nec modò nullius ad iuſtitiam præmij, ſed certi in damnationem meriti: quidquid cogitat meditatur, perficit, homo antequam Deo per fidem reconcilietur.* Quàm parcè præ Ianſenio, quàm moderatè: neque enim vſquam pronunciat peccatum illud eſſe verè ac propriè dictum, nec de baptiſatis, Chriſtianíſve quibuſlibet ignorantiæ caligine oppreſſis, mentionem eo loci facit. In quo licèt diſcrepent ambo, conueniunt tamen in eo, quòd Auguſtinum aliorſum accipiant, mentémque illius peruersâ interpretatione deprauatam, ſuas quique in partes violentiſſimis modis diſtrahant. Vt enim Caluinus in Antidoto ſententiam Auguſtini ex libro tertio ad Bonifacium capite quinto, in alienum ſenſum detorqueat, duas illius partes diſiunctas inter ſe, coniungendo; Ita Ianſenius libro 4. de ſtatu naturæ lapſæ, capite primo, & aliis

ſubinde conſequentibus; ad eas, quas vſurpat, vt fidelium opera, peccata eſſe probet, Auguſtini ſententias, aliquid addidit de ſuo; ratus in verbis ſanctiſſimi patris, ponderis non eſſe ſatis, quo mentem ſuam ſtabiliret, niſi factâ cuiuſdam quaſi adminiculi acceſſione: parum videbatur Ianſenio, quod dixerat Auguſtinus, infidelium operá quæque ex fide non fiunt, eſſe peccata, niſi addidiſſet ipſe, *veram peccati rationem habêre;* quâ ad locum Auguſtini additione factus audacior, id etiam in Concil. Arauſ. II. tentare non veretur. Cùm enim can. 22. id ſolùm haberet Concilium, *neminem habere de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*, à Concilio definitum aſſeuerat vir ſplendidè mendax, *quidquid arbitrium facit ante gratiam, eſſe veri nominis peccatum, ac mendacium.* quæ vtriuſque loci deprauationes, non poſſunt non eſſe manifeſtiſſimæ. Hæc porrò doctrina quàm friuola ſit, quàm inanis, & falſa, quámque à communi SS. PP. ſenſu, & Scripturâ ſacrâ aliena, quid eſt quod oſtendam fuſiùs; cùm nullus extiterit vnquam aut ſcriptor ſacer, aut doctor diuinus, qui legis vel æternæ, vel inſitæ à naturâ rudes & ignaros eodem in loco habuerit, ac eos qui, cæci animo & corde indurati omnibus ſeſe inquinant flagitiis; illóſque adeò malefactorum ſuorum planè imprudentes veri & propriè dicti peccati exiſtimarit coarguendos. Quid ergo cauſæ eſt, obſecro, cur Apoſtolus act. c.14.17. & Rom. 1. Philoſophos ait eſſe inexcuſabiles, *Quia*, inquit, *non ignorabant* Deum, aut certè poterant non ignorare, quia Deus eſt. nec enim ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, quia non eſt longè ab vnoquoque noſtrûm? mira habet in hanc ſententiam Ricardus lib. 1. de lib. arbit. cap. 4. ſect. 5. §. 5. & lib. 2. cap. 2. ſect. 3. & digniſſima, quæ conſulantur.

Fateor equidem Auguſtinum ignorantiam, & concupiſcentiam *actu manere in baptiſatis* teſtari ſolitum, ſed ita, vt totus earum reatus deleatur, quia vult cum S. Thoma ita peccati originalis materiam conſtituere, vt nullo modo ad peccatum *actiuum, ſeu perſonale* pertineat.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

De concupiſcentiâ, quid ſtatuat.

TERTIVM nobis ab Adami peccato inflictum vulnus eſt concupiſcentia, quam Ianſenius vnà cum Caluino (neque enim poſſunt diſſentire, qui ſemel ſocietatem inierunt) non in ſola carnis, appetitúſque ſentientis corruptela, aç prauitate poſitam eſſe voluit, verùm etiam ipſum quoque mentis, & voluntatis ſupremum apicem, ab eâ penitius infici, totúmque adeò hominem deprauari conteſtatur. ſic enim vterque pro causâ ſuâ diſputat. Quicumque actum voluntatis liberum facit, eo ipſo comparet habitum neceſſe eſt, quo deinceps ad actus ei, à quo productus eſt ſimiles, inclinetur; ita qui malitioſè, intemperanter, ſegnitérque agit, is habitibus malitiæ, intemperantiæ, & ignauiæ, per varios multiplicéſque actus impreſſis, etiam tunc temporis, cùm ampliùs non agit, iniuſtus eſt, ignauus, & intemperans, & quò actus plus habet aut libertatis, aut malitiæ, eò quoque grauiorem illius habitus plagam infligit voluntati. Quídni ergo qui letale in ſe peccatum admiſerit, & vſque ad Dei contemptum, vt loquuntur Theologi, ſemetipſum dilexerit, in voluntate habitum eiuſdem malitiæ comparare dicatur, quo fiat & amator ſui ſupra modum, & Dei oſor, contrahátque proinde habitum, qui vi ſua charitatis habitum ſibi oppoſitum expellat, abigat Spiritum ſanctum, qui per gratiam ſanctificantem inhabitans, animam ſanctificat, & viuificat; ex quo fit vt peccator ille hâc cæleſti diuinâque vitâ priuatus, mortuus cenſeatur, & planè Deo inuiſus?

Porrò doctrinam illam ita à me explicatam, veram ſanámque eſſe qui non videat arbitror futurum neminem, tum quia habituum & actuum liberorum, quibus habitus ipſi producuntur, rationi & naturæ liquet eſſe maximè conſentaneam, & ab ipſo Scholæ magiſtro ac duce D. Thoma prolixè confirmatam. Ille enim 1.2. quæſtion. 109. articulo 8. hominem qui ſemel peccauit mortaliter, facilè in idem

Digitized by Google

peccatum labi docet; *quia in repentinis homo operatur ſecundùm finem præconceptum. & ſecundùm habitum præexiſtentem; quamuis ex præmeditatione rationis, homo poſſit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus. Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, vt diu permaneat, quin operetur ſecundùm conſequentiam voluntatis deordinatæ à Deo, niſi citò ad debitum ordinem reparetur.* Ita diuinus doctor, quem cum Ariſtotele ſecutus eſt Ianſenius hactenus ſatis feliciter. ſed quò fertur, Deus immortalis! vbi primùm à ſuo duce deflexit, quos in errores, quàm perplexos, quàm miſerè & turpiter cum Caluino prolapſus eſt! amentem putes aut furioſum, qui deditâ operâ quærat arduis abruptíſque in rupibus, vnde ſe mittat in præceps.

Age verò (mi homo) redi, ſi potes, ad ſanam mentem. Nam quid cauſæ eſt, obſecro, cur te vexas? aut quid tibi vis? agam tecum indulgenter, agam amicè, & ſi res ita poſtulet, liberaliter. concedam vltro, quod tibi erat probandum, vt aliquid efficeres: Adamum, cùm primùm peccauit, quod arbitrium habuerit liberrimum, & (vt ipſe loqueris) *robuſtiſſimum*, maximóque in amorem ſui impetu exarſerit, habitum contraxiſſe longè maiorem, quàm nos ægra languentíque voluntate peccando contrahere ſoleamus. Et velut ſagitta neruo contentiſſimo intorta quoquò incubuerit, figitur altiùs; ita habitus ille peccati ab Adamo contractus, intimis viſceribus eò hæret profundiùs, quò contentiori integerrimæ, valentiſſimæque voluntatis conatu actúque productus eſt. Quam tamen Ianſenij rationem, ſi quis ad cenſuram vocet, eam fatebitur inaniſſimæ vanitatis eſſe pleniſſimam.

Agam etiam liberaliùs; & quod alioquin falſum exiſtimo, cedam non repugnanter, Adami poſteros omnes præter virtutum ſupernaturalium priuationem, ab eo tranſfuſum prauum illum, & mortiferum habitum accepiſſe, quod quia veteribus quibuſdam Theologis, aut certè quid non abſimile audio placuiſſe, licèt reuera mihi videatur eſſe falſiſſimum; tamen, quod catholicæ veritati non omninò aduerſatur, feram patienter, fidémque

Digitized by Google

quam in hac parte obtinere poter.., ei ſuam eſſe ſinam. ſed quis animo ferat ſatis æquo, eiuſmodi habitum, in quo peccati habitualis illius, quod letale eſt, ratio poſita eſſe videtur, quia gratiam ſanctificantem formaliter expellit, manere nihilominùs in homine per baptiſmi gratiam reparato? Quis intimis animi ſenſibus non perhorreſcat, cùm audit hominem ſacro fonte initiatum, innata illa ingenitâque cupiditate, ad peccatum letale, ſeu prægraui quodam pondere ita inclinari quoties agat motu voluntatis libero, ſeu ſpontaneo, vt offendat neceſſario, præcépſque ruat, niſi præſentiſſima Chriſti Saluatoris ope, & gratia, in ipſo caſu ſuſtineatur? quam doctrinam nefariam adeò, atque, vt ita dicam, crudelem, cùm Catholici omnes meritiſſimo iure reiiciant, atque in Caluino abhorreant, & deteſtentur: planè mirum videtur, quomodo Ianſenio venerit in mentem, vt eam tam arctè complexus ſit. Erat illi nimirum hoc neceſſariò faciendum, cùm ſtabiliendæ fulciendæque omnis de gratia Chriſti doctrinæ, via ratióque nulla alia ſuppetebat.

ARTICVLVS V.

De malitia actionum omnium, quid ſentiat Caluinus.

QVARTVM denique ac poſtremum, quod à corrupta origine noſtra profluxit vitium, eſt tabida illa malitiæ lues, qua non modò infidelis, in quo diuinæ opis nihil eſt, verùm etiam hominis iuſtificati opus omne inſici vult Ianſenius, dirúmque virus illud peſtifera quadam contagione in omnes vitæ partes latiſſimè propagari. In quo nonnihil à Caluino diuerſus eſt; quod ille quodlibet opus ab homine, quolibet in ſtatu conſtituto profectum, hac deprauatæ cupiditatis tabe contaminari aſſerat; Ianſenius verò paullo hac in parte religioſior, ab illa peſte, Chriſtianæ gratiæ, quam ſolam charitatem veram, perfectámque eſſe dicit, opera noſtra vindicat; ex quo fit, vt omnem, qui in nobis eſt, amorem, vel chari-

tatis eſſe dicat, vel prauæ illius, vitioſæque cupiditatis.

Atque vt appareat, in eo nihil à me dici vel rei amplificandæ gratia, vel inuidiæ Ianſenio conciliandæ, quod interdum ab oratoribus fieri ſolet, vt cauſæ ſuæ fidem faciant; vtrumque in medium adducam, vt ab vtriuſque manifeſtiſſimâ confeſſione controuerſia omnis (ſi quæ tamen in re tam plana eſſe poteſt) tandem aliquando definiatur. Primus prodeat ætate maior Caluinus, cuius hæ ſunt voces in libro primo aduerſus Pigh. de libero arbitrio pag. 141. *Dico* (inquit) *ſanctos perpetua carnis infirmitate detineri, quo minùs ea quæ faciunt bona opera perficiant, dico ambulare dum currendum erat, ſæpe etiam claudicare. Hinc fieri dico, vt nullum vnquam extiterit bonum opus, quod vndique purum, ac perfectum omni prorſus næuo careret.* Et in libro ſecundo inſtitut. capite 1. §. 8. duo docet: alterum, nos in omnibus naturæ noſtræ partibus vitiatos, peruerſóſque ob talem támque vniuerſam corruptionem damnatos coram Deo teneri; alterum, quòd peruerſitatis illius nunquam interituræ, iugis quædam perpetuitas ſemper vigeat in nobis, nouóſque identidem fructus producat. *Ea ſcilicet quæ antè deſcripſimus opera carnis, non ſecùs ac incenſa fornax flammam & ſcintillas efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit*: hîc verò adde quæ ſuprà ab eo retuli. tum §. 9. *arcem ipſam mentis occupauit impietas, & ad cor intimum penetrauit ſuperbia.* & capite quinto §. 15. quidquid *mixturæ ex liberi arbitrij virtute afferre ſtudent homines ad Dei gratiam, nihil aliud quàm eius corruptio eſt, perinde ac ſi quis lutoſa, & amara aqua vinum dilueret.* & §. 19. *ſtet nobis indubia iſta veritas, quæ nullis machinamentis quatefieri poteſt mentem hominis ſic alienatam prorſus à Dei iuſtitiâ, vt nihil non impium, contortum, fœdum, impurum, flagitioſum concipiat, concupiſcat, moliatur, cor peccati veneno ita penitùs delibutum, vt nihil quàm corruptum fœtorem efflare queat; Quod ſi quidpiam interdum boni in ſpeciem oſtentant, mentem tamen ſemper hypocriſi, & fallaci obliquitate inuolutam, animum interiori peruerſitate illigatum manere.*

Hanc autem Caluini doctrinam acerbiorem paullò, immi-

Digitized by Google

tiorémque cū cenſerent eiuſdem diſcipuli, illam demùm ita molliuerunt, vt opera vi, & ope gratiæ Chriſti facta bona eſſe non negarint: quod patet ex actis ſynodi Dordracenæ ad art. 3. & 4. pag. 672. vbi Caluiniſtæ Britanni hæc habent: *Poſt lapſum & ex lapſu ſuperaddita peccandi ſitis auida ... nec aliter poteſt ſe res habere in homine corrupto, nondum per gratiam reſtaurato: cùm ea ſit natura voluntatis, vt nuda manere nequeat, ſed ab vno, cui adhæſerat obiecto, excidens, aliud quærat, quod cupidè amplectatur. Ideò per ſpontaneam defectionem habitualiter auerſa à Deo creatore in creaturam effrani impetu fertur, ac cum ea libidinosè, ac turpiter fornicatur, ſemper auida frui vtendis, vetita moliendi, & patrandi; quid mirum ergo ſi talis voluntas, ſit diaboli mancipium?*

ARTICVLVS VI.

Quid ea de re Ianſenius ſentiat.

NVNC verò Ianſenium audiamus, & intimos hominis ſenſus inſpiciamus. Neque enim celandum eſt, quod iam diſſimulari non poteſt, ſed palàm faciendum. Ille l. 1. de ſtatu naturæ lapſ. cap. 20. docet habitualem concupiſcentiam cum reatu ſuo in ſemine humano vitiato virtute latentem, *Simile vitium in iis qui naſcuntur, operari.* & cap. 2. explicans quid ſit iſta concupiſcentia ſic transfuſa in poſteros: ait eſſe qualitatem in Adamo productam per peccatum illud grande, & per eam produci ſimilem qualitatem in ſemine, & per iſtud propagari in appetitum prolis, ac demùm in ſpiritum, ſeu animam, & ſupremam illius partem, hoc eſt mentem. *Cur autem in Adamo potiùs quàm in nobis non diſſimili ratione peccantibus vis eiuſmodi qualitatis exoriatur*, cauſam ait eſſe, *peccati illius primi magnitudinem ex ſumma animi libertate proficiſcentem. Voluntas enim Adami effrænato voluntariſſimóque impetu amauit ſe; & priuatum bonum ſuum, relicto Deo.* Cùm porrò explicat, qualis ſit amor ille ſui peruerſus, quo omnis Adæ filius, per eam prauæ cupiditatis affectionem transfuſam ſit amator ſui, hæc habet, fuſiùs fortaſſe quàm oportuit, ſed vix ſe in ea parte continere poteſt. *Amor ille ſui, qui non*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

eſt aliud quàm generalis amor mundi, in Auguſtino celebris, velut omnium Regina vitiorum, ſimul in appetitum impreſſus, ad omnia vitiorum obiecta ſibi appetenda, quâqua verſum patet, & in eorum affectus pro occaſionum diuerſitate prorumpit: omnia quippe inſtar intentionis generalis & terrenæ cuiuſdam charitatis in ſe complectitur. Vt enim cæleſtis illa charitas omnium omnino virtutum actus, vna non ſolùm imperat, ſed etiam iuxta quorundam doctrinam elicit, vel certè ſecum connexas trahit, ita iſte peruerſus amor ſui reſpectu vitiorum. Potuit ne manifeſtius vel mentem ſuam, vel inſitæ cupiditatis illius malitiam & eam, quam habet (vt ait) cum charitate cæleſti virtutum omnium parente ac regina, & conſequenter Theologica, contrarietatem declarare? Et cap. 23. pluribus perſequitur prauæ cupiditatis illius habitum ex Adamo in omnem latè poſteritatem propagatum, contendítque *eam non minùs paruulos quàm Adamum ipſum captiuos tenere, & arbitrium ita ligatum ſub ſe poſſidere, vt niſi gratia diuina vires eius fregerit, & mentem ab eius vinculis erutam, & à creaturis auerſam, in Deum creatorem eius infuſâ charitate conuerterit, nihil omnino euigilante per ætatem ratione, facturi, dilecturi, cogitaturi ſint, niſi quod rerum creatarum delectatio, ſeu libido perſuaſerit:* ſuperiùs dixerat *voluntatis apicem, quem vel conſenſum dicimus, vel cui conſentire, aut diſſentire competit ſub rei creatæ delectabilis ſeruitute eſſe captiuum, vt nihil omninò velle, nihil amare, nihil ſuſcipere poſſit niſi quod creaturæ delectatione perfuſum ſit.* Lib. de ſtat. nat. lap. cap. 7. *Omnis creatura vitioſe amari poteſt, & ex illo amore naſcitur cupiditas, quâ in eundem amorem iterandum animus poſtea, etiam inuitus vrgetur.* Nos igitur etiam inuiti vrgemur cupiditate illa innatâ, in *eundem amorem* quo peccauit Adam, qui haud dubiè mortalis fuit, *iterandum.* Et cap. 20. primum effectum quem amor rei creatæ parit in animo, eſſe cladem, & iacturam libertatis: cap. 25. *Homo lapſus ab amore Dei, in quem velut in finem qui, ſimúlque finem cui totum vltimo cederet, ferebatur, in ſeipſum non ſolùm velut omnium appetitionum præſentium & futurarum principium, ſed velut in finem vltimum ſeſe ferebatur.* Hîc vos appello, ſanctiſſimi Theologi omnes, qui ſuperioribus temporibus floruiſtis, hîc omnem eorum, qui florent etiamnum hodie, ſcholam obteſtor, num quicquam

Digitized by Google

planius dici potuerit, ad charitatem Theologicam, eiſque oppoſitam peccati mortalis affectionem explicandam. Quod ſi ita ſit, quid conſequens eſt? Alterutrum homini contingat neceſſe eſt, aut vt Deum diligat vſque ad contemptum ſui, aut ſeipſum, vſque ad contemptum Dei; cùm inter vtrumque nihil medium eſſe poſſe ſtatuat Ianſenius, non peccata venialia, quibus gratia non tollitur: non ipſos actus informes virtutum fidei, & ſpei, quibus illa non negatur. *Amiſſo enim*, addit ille, *amore Dei, in quem antea omnia velut in finem vltimum ferebantur, impoſſibile eſt, vt aliò quælibet appetita referantur, niſi ad ipſum hominem, qui ſe diligendo arctiſſimè complectitur, & ſibi ſoli incubuit.* Præterea nos *ex illo generaliſſimo ſolo amore ad omnia omnino vitia inceſſanter vrgeri* vult. *Impoſſibile eſt*, inquit, *vt amator ſui non contemnat Deum, & è contrario, vt amator Dei non contemnat ſe .... ſola enim pura dilectio Dei nullum cum eo amore præeunte commercium habet .... quidquid non ex illa diuina puriſſimáque dilectione fluit, hoc neceſſario, ex illo amore ſui, ac deſideriis eius proficiſcitur.* Lib. 1. de ſtatu pur. nat. cap. 10. *Opus gratiæ eſt officium illius altiſſima charitatis, beneficium Spiritus ſancti qui cor cæleſti delectatione mollire, erigere, & ab iniquitatis delectatione, hoc eſt, à creaturæ dilectione, ad iniuſtitiam illius dilectionis deteſtandam conuertere, & attrahere debet; quod niſi fecerit, voluntas creaturæ rationalis, quocumque ſe conuerterit, etiam tum cùm ſe legem, & iuſtitiam diligere putabit, ſiue naturaliter, ſiue quocumque alio modo: non hærebit, niſi in dilectione, & delectatione creaturæ, quod eâdem illa æterna lege damnatur.* Lib. 6. de gr. Chr. cap. 11. *Cùm ſolus ille amor puriſſimus ſuperioris boni à ſeipſa creaturam extrahat .... profectò amiſſa illa dilectione Dei, nihil ſupereſt, niſi vt ad ſeipſos referant, quidquid diligunt, & per quæcumque ſceleratiſſima deſideria amori illi ſui ſuperbiſſimo ſatisfactum velint*, reprobi ſcilicet dæmones, de quibus ibi ita mentionem inducit Ianſenius, vt idem omnibus, qui Deum ſummè non diligunt, commune eſſe perſuadeat. Si verò quicunque *ſuperbiſſimo amori ſui factum ſatis eſſe vult*, ſi qui *per legem Dei æternam damnata dilectione ſui ſe diligit*, ſi amator ille ſui is eſt, qui non poſſit non contemnere Deum, nec non letaliter peccare; manifeſtum eſt, viſum eſſe Ianſenio inter

actum puriſſimæ, altiſſimæque charitatis, & peccati mortalis, nihil omnino medium intereſſe; atque vnà cum Caluino, Lutheróque Doctorum omnium de peccatis venialibus placita, tanquam deliria, & aniles nugas ab eodem haberi.

Cùm verò ab ipſo vitę vſu, rerúmque experientia compertũ ſit, iuſtos labi interdum, nec proinde puriſſimo illo charitatis affectu in omnibus rebus agendis, Deum diligere; ſi amoris, qui charitatis huius non eſt, partus eſt peruerſæ illius cupiditatis, quemadmodum placet Ianſenio, procul dubio non infidelium modò, verùm etiam iuſtorum opera, per ſeſe erunt verè damnabilia coram Deo, licèt fortè ab eo ipſis ad damnationem minimè imputentur. Quin etiam effrænatæ cupiditatis letifera vis, quæ vt pote charitati planè contraria animam perimit, viget in illis, ac dominatur; quod quantumuis blaſphemum, Ianſenio tamen, ſi loqui nolit repugnantia, eſt neceſſariò admittendum.

Sed quid tot argumentationum, conſecutionúmque circuitionibus opus erat, vt extorquerem à Ianſenio, quod ipſe vltrò non iam obſcurè, ac diſſimulanter, ſed palàm & apertè profitetur? Nam quis neget cadere in homines iuſtos, ea quæ ab eo tam vniuersè dicebantur, *voluntatem creaturæ rationalis niſi altiſſimæ charitatis vi ad Deum conuertatur, non hærere niſi in dilectione creaturæ, quæ æterna lege damnatur: impoſſibile eſſe, vt amator ſui non contemnat Deum:* & pleraq; in hanc ſententiam alia, quæ neceſſariò mihi, ne nimius ſim, videntur eſſe pretermittenda. Verùm quid ad rem magis appoſitè potuit ab eo dici, quàm quod lib. 1. de gra. Chr. c. 4. dictum. *Ex ſola natura captiuitatis liberi arbitrij, ſub qua poſt peccatum detinetur, & oppoſitæ liberationis, per gratiam ſatis perſpicuè intelligi poteſt, quod per ſe nullum bonum voluntatis motum arbitrium poſſit operari. captiuitas enim illa in eo poſita eſt, quòd voluntas terrenæ concupiſcentiæ viſco intimè penetrata, ſemper, & in omni actu, motibus eius feratur, ac referatur imperio, eius ponderi indeſinenter ſeruiens; eodem planè modo quo voluntas beatorum in omnibus omninò motibus ſeruit diuinæ charitati. illa quippe duo directam oppoſitionem habent, eò quod non poſſit voluntas diſcedere ab amore creatoris, quin in concupiſcentiam creaturæ, hoc*

ipſo

Digitized by Google

ipſo dilabatur. Vnde ſubiicit: *quidquid gratia deficiente fit, eſſe malum, hoc eſt verè propriéque peccatum.* Adde ex ſuperioribus *quod cum Dei contemptu coniunctum eſt.*

Nec verò quis opponat l. 1. de ſtat. nat. lap. c. 23. Ianſenium velle charitatem quę per baptiſmum infunditur paruulis, mentem eorum, *hoc eſt voluntatis apicem auertere à creaturis, & retorquere in Deum, & è contrario concupiſcentiam illam medullis inſitam ante aduentum gratiæ conuerſos tenere ad creaturas, & auerſos à Deo,* atque ita docere concupiſcentiam in baptiſatis, & iuſtificatis eſſe nullam. Nam vt dicam quod ſentio, vel imprudenti Ianſenio illud excidit, quod turpe eſt, vel pugnat ipſe ſecum, vt ſemper, quod turpius; cùm præſertim ſolam dilectionem actualem Dei, Chriſti gratiam eſſe velit, vt fuſiùs poſtea demonſtrabo. & ne ab hoc in quo verſamur loco recedam, vtrumque illud de quo iam diſputatur, ibidem ab eo dici videtur, cùm ait *charitatem & cupiditatem permanenti quadam & quaſi habituali conſtitutione latere; quamdiu paruulus neque in bono, neque in malo cogitatione verſatur, quia in illo conſòpitum vacat, & bonum naturale rationis, & ſupernaturale charitatis, & malum originale peccati.*

Nec verò poſſum in hoc loco, quin requiram è Ianſenij ſchola doctorem aliquem, qui nobis myſterium illud μυσικώτατον exponat: doceret quomodo duæ illæ charitatis & cupiditatis qualitates, ita pugnantes inuicem, atque inimicæ, ſimul in vno eodémque animo conſiſtere queant; hoc enim explicatu difficile eſt: adderet, quid demum effectionis formalis ab vtrâque forma cònſequatur; num charitas iuſtum, cupiditas iniuſtum, & peccatorem conſtituat hominem eundem, in quo ſit, hi ſunt enim vtriuſque formales effectus, quos vbicumque illæ ſunt, conſequi neceſſe eſt: tum verò explicaret, an non eadem ratione macula exiſteret à cupiditate in eo, cui ſanctitatem charitas & gratia ſanctificans conferret: poſtremò aperiret, quonam pacto nihil damnationis poſt gratiam per baptiſmum collatam, in eo relictum ſit, in quo tota illa concupiſcentiæ vis, quæ peccati originalis præcipua pars eſt, & vt ipſe loquitur Ianſenius, *formalis*, reperiatur. Sed omnia quæ delirat in hac parte, dicendo velle perſequi, hominis eſſet otio abundantio-

Digitized by Google

ris: ſatis mihi fuerit vnum admonere, quod licèt factum non ſemel, videtur etiam, donec ſapiant Iprenſes omnes, faciendum; doctrinam, de qua hîc diſceptatio eſt, eam eſſe, quam in Luthero primùm, mox in Caluino, tum demum in Baio Doctores, Concilia, ſummi Pontifices ſumma animorum conſenſione iure merito condemnarunt.

CAPVT IV.

Ianſenianæ de concupiſcentia, déque gratia Chriſti doctrinæ connexio.

ARTICVLVS I.

De peccati originalis eſſentialibus partibus SS. Auguſtini & Thomæ doctrina.

CVM nullam præter actualem perfectæ dilectionis Dei, & vt loquitur ſchola, Theologicæ, inſpirationem Chriſti, gratiam, nullámque adeò eius opem, cuius vſus in hominis poteſtate poſitus ſit, admitti à Ianſenio ſit mihi deinceps demonſtrandum; nunc quæ ab omnibus paſſim doctoribus gratiæ habitualis, virtutúmque infuſarum dona, Chriſto accepta vulgò referri ſolent, illa *Adamicæ*, vt eam appellat ipſe, cuiuſdam gratiæ à Chriſtiana planè diuerſæ, atque adeo naturæ ipſius dona vulgò iactari ab eodem ſolere, oſtendendum: & quod dicere cùm & impium ſit, & Chriſto iniurioſum, haud ſcio, an in re pleriſque adeò incredibili, atque inauditâ, fidem mihi facturus ſim.

Quis enim ſibi perſuadeat, id vnquam veniſſe in mentem Ianſenio, qui toto in opere ſuo nihil aliud ſpectare viſus, quàm vt contra eos qui naturæ patrocinarentur, ipſámque adeò Chriſti crucem nefariè euacuarent, eiuſdem gratiæ diuitias pro ſua parte tueretur primùm, tum omnia ſalutis noſtræ præſidia, eidem doceret eſſe referenda? Quapropter antequàm progrediar vlteriùs; par conſentaneúmque videtur in ipſo diſputationis aditu, quid de corruptione hominis ſentiat afferre in medium. tantùm enim eſt, inter ea quæ de

Digitized by Google

gratia Chriſti ſentit, cum iſtis connexionis, vt inſigniter ſtupidum illum fuiſſe prorſus neceſſe ſit, niſi hæc ab illis conſequentia collegerit. Verùm quia Auguſtini doctrinâ ad ſuam ſtabiliendam, turpem in modum, vir fraudulentus abuti non veritus eſt; eam breuiter, vt illius pateat mala fraus, ſtatui hoc loco eſſe proponendam.

Auguſtinus vnà cum doctore Angelico, cæteríque omnes in vtriuſque doctrina non tenuiter verſati Theologi, peccatum originale cõſiderare ſolent, quoddam veluti compoſitum ex partibus, cuius forma ſit priuatio gratiæ illius quam omnes Adæ poſteri in primo ortu erant accepturi: materia verò quæ cum illa priuatione coniunctè ſe habeat, peccatúmque ipſum componat, eſt ignorantia, cum inſita mali cupiditate; quæ duę partes ſimul ita iunctæ, quemadmodum corpus peccati conſtituunt, ita ſublatâ per baptiſmi gratiam priuatione illâ, quæ formæ locum habet, manet veluti exangue quoddam, & vacuum peccati cadauer: quod ipſa bene viuendi conſuetudine, & diuturno patientiæ, cæterarúmque virtutum vſu deſtructum, vt pereat omnino, ab homine iuſto monet Auguſtinus eſſe aliquando ſepeliendum.

Tametſi autem mors, cæteræque omnes corporis ægritudines ab illo primo peccato, peræquè ac ignorantia, & cupiditas conſequantur, illiúſque ſint & pœna, & effectus, eius tamen nulla ratione partes ſunt, nullámque materialem, vt de vtroque illo vitio dictum eſt, malitiam in ſe deriuant; quapropter vt ſaluti ſedulò conſultum ſit, illa patienter tolerari debent, hæc, quantùm licet, funditus extirpari. Eámque ob rem cùm vitioſa ſint, in Chriſtum cadere non poterant; qui corporis incommoda, difficultatéſque, quòd nihil offenſionis præ ſe ferrent, paſſus eſt in ſe retineri.

Eò accedit ex Auguſtino quod per infectùm corruptúmque parentum ſemen, libidinoſæ carnis quædam cum prole fiat communicatio, vnde fiat, vt anima originali gratiâ & ſanctitate nuda, rea ſit peccati. Quemadmodum enim anima rationalis non creatur à Deo, niſi vt in materiam ſibi conuenientem, atque accommodatam inducatur; eſſet enim alienum à Dei prudentia, & præter ordinem ab eo in rebus inſtitutum, ea quæ nihil habeant inter ſe vel cognationis,

Digitized by Google

vel ſimilitudinis, velle tam arctè coniungere: ita par erat, vt animæ ab omni labe exemptæ, non vitiata, turpíſque caro, ſed ſancta, & intaminata in ſedem ſibi conſentaneam compararetur. Quod cùm ita ſit, mirum planè videri non debet, ſi carni immundæ, anima non munda, carníque peccatrici anima quoque peccatrix, & turpi hoſpitio, hoſpes ſordida deſtinetur: quæ breuiter ad perfectiſſimam rei totius intelligentiam explicanda videbantur; monendúmque, cùm præſertim ab Auguſtino, tum à pleriſque paſſim non vulgaris notæ Theologis, in concupiſcentiæ prauitate, non nudam habitudinis bonæ priuationem, ſed certam aliquam poſitiuámque ineſſe affectionem, fuiſſe obſeruatum, & illud ſanè quidem prudenter. Vnde enim exiſteret vis illa concitatior perturbationum, quibus interdum tempeſtates ita turbidæ in nobis excitantur? vnde motus animorum tam efferi, támque impotentes cierentur, æſtúſque ſentientis appetitionis violentior inſurgeret, niſi quidpiam eſſet in ipſa corporis temperatione actuoſum, vnde motiones tam variæ tanquam è ſuo fonte promanarent? nam de habituali affectione & qualitate per peccatũ actiuum ſeu perſonale nobis ingenita concedi poteſt Ianſenio, Adamum, quemadmodum & cæteros letale peccatum liberè peccantes, eam, & quidẽ vi ſua charitatis habitualis, & gratiæ ſanctificantis expultricem contrahere; ſed eam quoquo modo in pueros infantes cadere poſſe, non exiſtimo. Quòd ſi vt ſunt liberæ hominum cogitationes, eſſet aliquis qui ſecùs ſentiret, illámque prauam qualitatem pueris tribueret, meo iudicio erraret ille quidem, ſed non tam turpiter atque is, qui in ipſis etiam ſacro fonte initiatis eandem reſidere (quod id ſacrilegio eſſet proximum) ſuſtineret. Si quippe illa actus letaliter mali proprius fœtus eſt, ſi charitati Theologicæ, quod aſſerit Ianſenius, contraria, ſicut quouis peccato letali vel leuiſſimo charitas omnis quantũuis magna ſit, funditus perit; ita quâuis vel minimâ charitatis habitualis particulâ, prauus ille habitus quantus quantus ſit, omnino expellatur neceſſe eſt: cũ tantum pugnæ ſit & diſſenſionis inter vtrumque habitum illum, quantum philoſophi amorem inter & odium, aſſenſum & diſſenſum eſſe docent; vnde fit, vt ſummus amor Dei, &

ſummus amor ſui, cui odium Dei implicitum eſt, non ex ſola gradum intenſione remiſſionéve, ſed ex natura ſua pugnent inuicem, ſéque mutuò perimant.

ARTICVLVS II.

Ianſenij doctrina ea de re proponitur.

ITA porrò cupiditatem illam menti inſitam, atque vt ita loquar, ſpiritualem in baptiſatis retineri vult Ianſenius, quemadmodum nos eam quæ in carne & appetitu ſentiente ſedem habet, ſuperare exiſtimamus, ſic quidem vt aſſiduo virtutum vſu, & benefactorum longâ conſuetudine minui poſſit, non poſſit fomes ille innatus omninò aboleri. à ſimili res patebit. Aër qui ſuopte ingenio, ancipitis eſt adeò dubiæque (vt aiunt Philoſophi) naturæ, vt nihil momenti & inclinationis habeat, vnde ſurſum, vel deorſum feratur, ſi quid grauitatis receperit, iam amiſſa illa, qua, examinatis ceu vtrimq; ponderibus, conſiſtebat, æqualitate, ad deſcenſum determinatur, adeò vt quamdiu impreſſæ ſibi aliunde grauitatis retinens eſt, finem deſcendendi nunquam faciat vt lapis, donec eò conſiſtat, vbi leuius ſe ſubter ſe nihil habeat, nec ſi vi aliqua impellatur ſurſum, & externo motu efferatur, quidquã proinde inditæ ſibi grauitatis amittat. Sic planè Adamus rebus adhuc integris motu volũtatis libero, & indifferenti, vel in amorem Dei bonum, vel in malum amorem ſui ferebatur, omnibus cùm cæterarum paſſim virtutum, tum maximè charitatis habitibus, ac donis præclarè inſtructus, poterat amare Deum, ſed ita tamen, vt illis donis pro ampliſſima arbitrij ſui libertate, poteſtatéque vteretur, cùm vti non poſſet. cùm autem nefarium illud crimen in ſe admiſit, malitioſam quandam in voluntate contraxit affectionem, quâ non tantùm facultatis poteſtatíſque amandi Dei iacturam fecit, ſed eò demum adductus vt non amare ſeipſum, non peccare non poſſit; Ita nimirum prauæ affectionis illius tam altè inhærentis, ac prorſus infixæ vi & pondere depreſſus, in quouis affectu ad peruerſum amorem ſui propendeat, & vrgeatur, ni fortè quidpiam be-

nignioris auræ, cæleſtiſque Chriſti gratiæ aſpirauerit, cuius efficientiâ ſubleuetur, quæ quidem gratia licèt effectum conſequatur, non eſt tamen eiuſmodi, quâ ingenita menti humanæ cupiditas extirpetur; Sed illa licèt perſtanté vigentéque animus motu contrario, & neceſſario amoris diuini affectu rapiatur ad Deum, nec, ſi propriè loqui placet, gratia hæc animam voluntatémque, ſed ipſum voluntatis actum bonum facit, ac ſanctum; vt qui lapidem ſurſum attollit, non proinde hoc impreſſo motu leuem facit, qui per ſeſe ſemper grauis eſt. Ita fermè Ianſenius. Nunc verò quid ab habitibus virtutum diuinarum in humana mente fieri velit, nuſpiam, quod ſcio, clarè apertéque exponit, licèt aliquando varia Auguſtini teſtimonia, quibus cupiditatem caritate minui ait, proponens, ſignificet habitum charitatis, vi & efficientia ſua cupiditatem illam extinguere: id fieri ratus, eo planè modo, quo deprauata carnis cupiditas longo temperantiæ naturalis vſu, at conſuetudine minuitur. Vnum igitur ſupereſt mihi hoc loco demonſtrandum, hanc eſſe Ianſenij mentem, quòd cupiditas illa ſpiritualis, ſic enim eam appellat, quæ ſupremam voluntatis arcem occupat, in pueris iuxtà, ac in adultis quantumlibet gratia Chriſti purgatis ornatíſque reſideat.

ARTICVLVS III.

Cupiditatem quæ charitati Dei formaliter opponitur, in hominibus iuſtis hærere vult Ianſenius.

QVOD id ſentiat vel ex eo liquet, quòd eamobrem filium perduellem, ac peccati reum à parente iuſto generari velit; quia tabem qua infectus eſt ipſe vnà cum ſanguine cum illo communicet, quemadmodum vulgò fieri ſolet, vt leproſus leproſum progignat: nam quæ in ſeminibus vis eſt, & affectio, ea demum in ſatis genitíſque propagatur; nec aliter peccati illius, quod in illa cupiditate *ſpirituali formaliter* poſitum eſſe docet, propagationem explicat: quàm per certam eiuſdem cupiditatis traductionem; quod prolixè aperit lib. 1. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 17. *Peccatum ori-*

Digitized by Google

ginale aliud nihil eſt quàm concupiſcentia cum reatu, itaque vbicumque concupiſcentiam in proles ex parentibus propagatam reperit Auguſtinus, ibi hoc ipſo peccatum originale mox adeſſe non dubitat ... Iam verò magnum illud concupiſcentiæ malum quidquid tandem illud ſit .... eodem prorſus traduci modo, quo cætera corporis vitia dotéſve cum natura propagantur perſpicua & certa veritas eſt .... addit *eam tranſire non emigrando, ſed afficiendo, hoc eſt aliquid operando circa id quod gignitur, ratione cuius ſimilis in eo qualitas oriatur.* Fateor Auguſtinum id docere de concupiſcentia carnali, ſed placitum eſt Ianſenio aliquid ad Auguſtini mentem addere, cùm idem docuit de ſpiritali quæ cùm ex natura ſua (vt dictum eſt à me iam non ſemel) charitati contraria ſit, illam quæ damnationis aliquid habeat, in iuſto ineſſe poſſe, prorſus negandum exiſtimo. Neque tamen is eſt Ianſenius, qui in parente quantumuis iuſto ponendam dubitet. nam cap. 18. concupiſcentiam explicans, ait illam eſſe *qualitatem affectionalem oppoſitam charitati, cuius charitatis augmentum ſit cupiditatis decrementum, cuius perfectio cupiditatis interitus, quemadmodum cæteri habitus creſcere ac decreſcere ſolent.* In eodem igitur ſubiecto, in eadem animi parte, hoc eſt, voluntate, non in carne ſola, cupiditatem vnà cum caritate conſiſtere oportet, quod quis credat? ex quo efficit cupiditatem illam *non eſſe ſolam effrænitatem appetitus, ſiue gratiæ rectricis vacuitatem, ſed qualitatem poſitiuam affectionalem, quæ in naturam verſa, & cum natura proli communicatur & ſtabiliter animo infixa hæret.*

Diligenter autem hîc obſeruandum, Ianſenium auctoritate Auguſtini, & occaſione teſtimoniorum illius adductum hanc cupiditatem in appetitu ſentiente ponere, ſed ita tamen, vt nunquam illam in ſolo appetitu conſtituat. Nam cap. 20. ait *concupiſcentiam habitualem cum reatu ſuo in ſemine humano vitiato virtute latentem, ſimile vitium in iis qui naſcuntur operari.* Quid enim cauſæ eſt cur addat reatum latentem, niſi id quod formaliter opponitur charitati latere vult? *Nihil,* inquit, *mirum ſi quemadmodum natura ex natura, ita vitium ex vitio, vulnus ex vulnere propagetur.* Vult igitur in parente iuſto totum cupiditatis, & reatus ineſſe vitium peræquè, ac in filio: quod enim ſubiungit *vitium illud regeneratione deleri:*

Digitized by Google

quam in partem accipiat, ſuo loco poſtea declarabitur.

Neque hîc ego inficiabor, ſi quæ de peccati originalis propagatione à Ianſenio memorata ſunt, pro vocum ſignificatione attendantur, ſuper ea re quam tractamus, dubiam illius mentem eſſe poſſe, adeò dubitanter loquitur & in iis ipſis quæ dicit, tam parum ſibi conſtat.

ARTICVLVS IV.

Eandem doctrinam altero argumento Ianſenius probat.

ALIVD proponam argumentum, in quo opinor plus videtur ineſſe momenti quo clariùs probetur, inductam illam à doctore noſtro cupiditatem, quæ ipſum animum polluat, & inquinet, hominémque efficiat amatorem ſui vſque ad Dei contemptum, ab eodem homini iuſto, expiatóque tribui ſolitam. manifeſtum quippe eſt contendere Ianſenium liberum arbitrium indifferens ad bonum aut malum, in ipſis iuſtis planè eſſe nullum. Quis enim in eius doctrina vel mediocriter verſatus, qui neſciat, ea quæ de libertate, déque gratia illi accommodata, diſputantur à nobis, pro more inſtitutóque diſciplinæ Chriſtianæ, concedi à Ianſenio, Adamo ſtanti non lapſo, nec item nobis tribui? certum quoque eſt ab eodem, non aliam ob cauſam hanc nobis indifferentiam negari, quàm quia vnà cum Caluino vult eam, cum determinata ad malum voluntate, quod eſt à cupiditate effectum, nequaquam conſiſtere poſſe. Quòd ſi diutiùs in hac Ianſenij mente explicanda, probandáque hærerem, operam perdere & otio abuti meritò viderer, cùm id liqueat ex toto libro 3. de ſtatu naturæ lapſæ, & præſertim capite 2. vbi per *cupiditatem arbitrium noſtrum ſublatâ funditus indifferentiâ proximâ ad bonum & malum, non tam liberum eſſe, quàm ſeruum, hoc eſt liberum iuſtitiæ, peccati autem ſeruum*, diſertè docet capite 4. *hanc iniquitatem dominantem, non ipſam culpam, ſed peccati concupiſcentiam eſſe.* Certum eſt denique ipſo Ianſenio non abnuente, iuſtos cupiditatis vim pati, & eius dominio grauiter vrgeri, niſi actualis gratiæ auxilio ab hoc onere tam duro expediantur. ex quo

quo efficitur illud de quo quærebatur, Ianſenium velle non modò concupiſcentiam carnis, quam non negamus relictam eſſe in nobis (vnde locus eſſet pugnandi triumphandíque) non tamen quæ ad malum nos determinet, verùm etiam concupiſcentiam ſpiritus, quæ cùm in ſuprema mentis acie poſita ſit, tantùm momenti, ac ponderis addit voluntati, vt illam ad peccatum trahat vel inuitam.

Sed hominis eſt parùm intelligentis, & acuti, ea quæ ſponte concedat aduerſarius, contendere dicendo velle, vt vera eſſe iudicentur. affirmat enim gratiã Chriſti, cupiditatis vim non extinguere, ſed ne dominetur aliquo modo continere. quid planius? hæ ſunt quippe eius voces. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 1. vbi varias de liberatione arbitrij ſententias proponens, ait *liberationem arbitrij voluntatis formalem eſſe ipſam charitatem, qua ſit formaliter libera, ſiue libertate habituali per ipſum charitatis habitum, ſiue actuali per actum eius, vel certè per id, quod immediata & proxima eius actus liberi cauſa eſt.* quæ dum ait mentem nondum aperit. ſed cap. 2. rem decernit. *Quia ſeruitus peccati, & captiuitas, & depreſſio quædam voluntatis ſub concupiſcentia rerum creatarum, ſub qua conſenſio eius ita captiua detinetur, vt ab ea ſe extricare ſuis viribus nequeat, & erigere ad iuſtitiam diligendam: hinc conſequenter liberatio voluntatis non eſt remiſſio peccati, nec conſequenter gratiæ habitualis infuſio;* qua illam remiſſionem fieri paſſim aliis in locis docet, vt patebit, *ſed relaxatio quædam delectabilis iſtius vinculi concupiſcentialis, ſeu peſtiferæ cuiuſdam dulcedinis creaturarum, cui innexus indeſinenter ſeruit animus, quoad per gratiam infuſa cæleſti dulcedine, ruptóque cupiditatis illius nexu ad ſuperna diligenda transferatur.*

Notandum verò hîc eſſe mentionem de eo, cui peccatum remiſſum ſit, & eius macula omnis ſublata, adeò vt liberationem illam neget eſſe *remiſſionem peccati, quatenus eius beneficio peccatoris animus à macula peccati, & à pœnis eius, ipſiúſque dæmonis principis peccatorum iure ac poteſtate liberatur.* Præterea liberationem illam non eſſe niſi relaxationem quandam concupiſcentiæ, cui iuſti animus etiam innexus, ſeruit indeſinenter, nec per gratiam vllam habitualem, ſed actualem dulcedinem, & delectationem vinculum illud rumpi:

Digitized by Google

adeò vt capite 3. gratia Chriſti vocetur gratia *liberationis*, non quòd liberet animum, aut voluntatem ab illa praua qualitate habituali ſuperiùs explicata, ſed tantùm à conſenſu concupiſcentiæ; quod qua tandem ratione in puero baptiſato locum habeat, viderint illius doctrinæ aſſertores.

Et vt reliqua taceam. *Liberari*, inquit ibidem, *à corpore mortis huius, non eſt aliud quàm liberari à vitiis corporis hoc eſt à concupiſcentia, non tam vt illa non ſit in hac vita, quod fieri non poteſt niſi magno miraculo omnipotentiſſimi creatoris, quàm vt voluntati non dominetur, impellendo vt ſibi conſentiat, & faciat quod lege prohibetur .... liberari, inquam, vt illa non dominetur, vt ei non conſentiatur, vt concupiſcentia licèt titillante, maneat animus alienus ab affectu & conſenſione peccati.*

Fateor cum Auguſtino, & cum Patribus in Synodo Trident. congregatis cupiditatem manere in homine iuſtificato: ſed nego illâ contineri vllam affectionem, aut qualitatem animæ ſpiritalem in voluntate receptam, quam nobis inducit Ianſenius, quam dum facit formaliter charitati contrariam, & in ea formam peccati originalis conſtituit, negare non poteſt eam damnationis aliquid præ ſe ferre. Tum ibidem exultat paullo iuueniliùs, cùm dicit ſe afferre ſeruitutem peccati, & liberationem prorſus inauditam. *Satis*, inquit, *mirari nequeo tantum ſeruitutis iſtius ac liberationis gratiæ in lucubrationibus ſcholaſticorum ſilentium; vt quaſi noua dæmonia annunciari putent, quando hæc doctrina propalatur.* Quæ ſi attentè legerent Ianſenij defenſores, & patroni, contenderéntne ab eo non negari iuſtificationem, & liberationem hominis à peccato eam, quam vulgò nos omnes per gratiam habitualem fieri prædicamus, eſſe liberationem gratiæ Chriſtianæ, ſed tantùm noluiſſe, præter illam quam agnoſcimus, quandam aliam Chriſti propriam gratiam eſſe admittendam? ſed ea de re erit poſtea dicendi locus, nunc ſatis fuerit in præſentia monere; primò nullã prorſus Chriſti gratiam à Ianſenio admitti, quàm quæ liberatio ſit hominis ab improbo cupiditatis immoderatæ dominatu: 2. liberatione hac maculam peccati non abſtergi, non ipſum remitti peccatum, de concupiſcentiæ habitu nil minui, non eius peſtiferum virus, quo facultates animæ omnes inficiuntur,

Digitized by Google

purgari, ſed id per gratiam liberatricem fieri vnum, vt animus cupiditatis illecebris non conſentiat, id eſt, vt actus bonus ſit, opus ſanctum: non verò homo à quo fit, non ipſa in qua fit voluntas. Item libro primo de ſtatu naturæ lapſæ capite primo, poſtquam dixit nomine concupiſcentiæ *omnes omnino cupiditates* ſignificari, *quibus homo ad peccata propellitur, & prouocatur ſiue illa carne, ſiue ſolo animo peragantur*, id eſt ſiue carnalia ſint, ſiue merè ſpiritalia: tum ſubdit *concupiſcentiam ſic dici peccatum originale, vt ſimul inuoluat reatum, quo anima coram Deo rea eſt, qui reatus per peccati remiſſionem tollitur, quamuis ipſa concupiſcentia remaneat, ex quo fit, vt reatum illum Auguſtinus conſideret velut id quod formale eſt in peccato originali, concupiſcentiam illam velut materiale. Itaque ſæpius dicit illo reatu ablato concupiſcentiam expiari, non imputari.* Quibus verbis quid conſecutus eſt aliud Ianſenius, quàm vt aut ſecum pugnare videatur, aut ne intelligatur, obſcurè loqui voluiſſe, quorum alterum parùm prudentis eſt, alterum parùm ſinceri? niſi fortè cum Caluino ſolum peccati reatum, rationémque formalem in diuina imputatione ponere ſe, declarare voluerit.

Quòd ſi dicat reatum eſſe velut formale, concupiſcentiam materiale peccati originalis, à ſeipſo diſſidet, cùm dixerit capite quarto concupiſcentiam eſſe ipſum peccatum, & huius rationem formalem in eo eſſe ſitam. Quamquam hoc loco non videtur aliud velle, quàm reatum concupiſcentiæ à Deo imputatum, nihilque præterea, atque eo ipſo expiari, & tolli remiſſione, quod tametſi maneat, minimè tamen imputatur, adeò vt peccati materiale ſit concupiſcentia, formale verò imputatio, non iuſtitiæ originalis aut ſanctificantis gratiæ, vt loquitur D. Thomas, priuatio.

Ex quo tam friuolo, támque inani principio, errorem colligit alium. quid enim ex caſſo fundamento, aliud ſtabiliatur quàm ruinoſum? Contendit igitur iuſtitiam in homine lapſo nullam eſſe poſſe, quàm opus ipſum iuſtitiæ, hoc eſt, non habitualem, ſed actualem iuſtitiam, ſeu actum bonum: quam doctrina malibi paſſim, & ipſo potiſſimùm lib. 2. de gratia Chriſti cap. 21. & 26. inſinuat, vbi hominis iuſtitiam à Deo datam homini, & iuſtitiam gratiæ, iuſtitiæ

opus interpretatur : quæ doctrina erroris meritò damnari, & hæreſis notari debet : cùm pueri adultíque Deo per gratiam reconciliati, iuſti coram Deo cenſeantur, etiam cùm nullo modo iuſtè agunt. Atque hæc de erroribus, quos Ianſenius cum Caluino communes habet, in quibus totius ſuæ de gratia Chriſti doctrinæ fundamenta ponit : vnde licèt, vt poſtea declarabo, aliquando in Pelagianorum partes tranſire videatur ; & quantumlibet ſit Caluinianam inter & Pelagianam hæreſim diſcriminis, etiam tunc, cùm ad Pelagium accedit, aliquo Caluini dogmate vtatur.

ARTICVLVS V.

Ianſenius ſe à Caluino non admodum abhorrere profitetur.

VEREOR plurimùm, ne in demonſtranda Ianſenij cum Caluino conſenſione plus operæ fortaſſe poſuerim, quàm res ipſa poſtulabat. neque enim mihi erat in eo magnopere laborandum, cùm vel ipſe Ianſenius illud diffiteri, pro candore ſuo nunquam auſus ſit. Cùm enim ſatis intelligeret, non defuturos è Doctoribus Chriſtianis, qui id ſibi continuò obiicerent, ſatis habuit reſpondere, ſe Auguſtini clypeo tectum, ab omni eiuſmodi criminatione tutum eſſe. Audiamus eum munientem ſeſe, & contra omnes futuras aduerſariorum impreſſiones Auguſtini nomen, auctoritatémque obiectantem. Sic ille in præfat. ad lib. 6. de gratia Chriſti. *Faceſſat & iſta hinc inuidioſa querimonia: Quod Auguſtini* (Iprenſis nimirùm) *ſententia Caluino, aut Luthero fauere videatur. Si enim Auguſtini eſt, illorũ error eſſe non poteſt; ſed quia non vſque adeo hæretici exorbitare ſolent, quin ſæpe in aliquibus articulis veritatem, in aliis nonnulla veritatis lineamenta retineant; ſi quid fortè hac in re cum Auguſtino ſenſerint, veritas amplectenda eſt; ſin diſſenſerint, error corrigendus.* Idem aliis verbis iterum dicit libro 8. de gratia Chriſti cap. 21. *& non omnia quæ hæretici dicunt hæretica eſſe* &c..... *Quòd ſi qua in re Caluinus cum Auguſtino, & antiquis patribus ſenſerit, non propter Caluinum Auguſtino indignandum eſt, ſed propter Auguſtinum Caluino potiùs gratulandum.* Quis vnquam Caluinianæ factio-

nis fautor de Caluino moderatiùs, imò honorificentiùs loquutus eſt; & quis illi addictus adeò, & ſtudioſus partium illarum, qui næuos inſignes, erroréſque turpiſſimos in eo non agnoſcat?

Quòd ſi aliquando animum applicet Ianſenius, manúmque adhibeat ad ea, quæ in Caluino reprehenſione digna ſunt damnanda, caſtigandáque; quàm timidè id agit, quàm frigidè, quàm leniter. Quinque ſunt in hoc loco quos reprehēdit errores, qui omnes ad liberi arbitrij appellationem, non ad rem ipſam pertinent. *Hæc,* inquit, *ſunt quæ Eccleſia in Caluino, quantum ad hanc materiam gratiæ, & liberi arbitrij improbauit, cenſuráque ſuæ ſeueritate damnauit. Primum eſt, quod Caluinus negat in homine boni & mali electionem. Secundum eſt, quod doceat gratiam ita mouere hominem, vt non ſit ei liberum, reſiſtere. Tertium, quod nolit hominem gratiæ mouenti pediſſequa voluntate conſentire. Quartum & principium omnium iſtorum præcedentium, & quod exertè docet, virtutem & vitium, bene agere & malè non eſſe in noſtra poteſtate. Quintum denique eſt, quod fronte retecta, tandem docet non eſſe in homine liberum arbitrium, ipſúmque nomen inane & exterminandum eſſe.* In quo poſtremo cætera omnia tanquam principio continentur. Quapropter, vt nobis auctor eſt Ianſenius, hoc vnum Caluini crimen eſt, quod cùm ſatis bene ſentiret, perperam locutus ſit. Ita quippe à quodam doctrinæ huius aſſertore defenſoréque publica in concertatione, aliquando mihi reſponſum eſt. Cùm verò Caluinus arbitrium abſque indifferentia liberum eſſe non poſſe Catholicis Doctoribus fatebatur, nihil prius habuit, cùm ab ea parte vrgeretur, quàm vt ipſum liberi arbitrij nomen ſtatueret omnino proſcribendum: de quo cùm deliberaret Ianſenius, exiſtimauit commodius futurum, ſi ſublato quoad rem ipſam, naturámque libero arbitrio, nomen illius, ad ſimpliciorum animos deludendos, plebémque prolectandam retineret. Non dicam hoc loco (quod ad rem pertineret) quàm bene conſentiant omnia Ianſenij placita iis, quæ in Synodo Dordracena, ab illius ſectæ primoribus in hanc ſententiam propoſita, probatáque ſint: adeo vt non vana ſit admodum eorum coniectura, qui Ianſenium putent, conſultis doctoribus

Digitized by Google

Dordracenis, tandem aliquando exuiſſe veteres (hoc eſt Catholicas) opiniones ſuas, cum quibus, vt ab auctore vitæ illius proditum eſt, tamdiu tam anxiè fuerat luctatus. Si quippe temporis ratio bene putetur, annus 1618. quo Synodus illa haberi cœpta eſt, annorum viginti, quos ille in Auguſtino ſuo cudendo formandóque poſuiſſe dicitur, fuit primus.

CAPVT V.

Quàm meritò Ianſenius Pelagianus habendus ſit.

ARTICVLVS I.

Dogmata Ianſenij à Pelagianis non admodum abſimilia.

QVOD tam frequenter in ſacris litteris ad diuinæ iuſtitiæ commendationem memorari ſolet, Deum permittere eum, qui alteri paret inſidias, iiſdem vt plurimùm intercipi; id contigiſſe videtur Ianſenio; qui cùm ſuo paſſim in Auguſtino, hoc vnum maximè ſpectet, vt Theologos ſcholaſticos ob nimiam cum Ariſtotele conſuetudinem in Pelagianorum errores aut omnes, aut certè præcipuos incidiſſe oſtendat; ipſe imprudens turpiter eodem offenderit. Iam P. Petauius in ſuo de lege & gratia libro ſcriptorem Apologetici cum Armacanis ſuis erroris Pelagiani apertè conuictum teneri obiter monuerat. Ego verò, vt ex eorum principe, ſectæque magiſtro id probem euidenter, duo breuiter pro meo more, demonſtrabo; alterum quidem, à Ianſenio idem aſſertum aliquando, quod ipſe, omnéſque adeò catholici doctores in Semipelagianis hactenus condemnarunt; Alterum verò, eundem quod in Pelagianis graue magis, atque odioſum ſemper viſum eſt, docuiſſe, cùm Chriſto redemptori negauit, tribuítque Deo creatori ea dona, quæ accepta à Chriſto, eidem referenda fatentur omnes catholici. Nam quo grauiori cri-

Digitized by Google

mine damnatus eſt ab Eccleſia Pelagius, quàm quòd Chriſti crucem euacuare dicebatur, dum Deo creatori, auctoríque naturæ, non Chriſto ſalutis noſtræ adiumenta referebat? Neque enim exiſtimandum eſt, tantùm fuiſſe amentiæ, ac ſtuporis in homine non inepto, vt quidquid eſſet in nobis boni, illud duntaxat à nobis ipſis, non verò ab aliqua Dei ope eſſe contenderet: ſed in eo peccabat, vt ait Aug. epiſt. 89. quod Deo creatori ea dona tribuebat, quæ à Chriſto nobis conceſſa fuerant, quo præſertim nomine malè audiebat apud orthodoxos Doctores, & Chriſti, diuinæque illius gratiæ inimicus habebatur, adeò vt Aug. epiſt. 95. Pelagianos non alio nomine, quàm Chriſti gratiæ hoſtes, atque inimicos deſignet.

Quamobrem ſi Neſtorius à Caſſiano l. 1. de Incar. c. 1. iure merito Ebionita appellatur, ob quandam cum Ebione errorum affinitatem; ſi Eutyches quòd naturam humanam in Chriſto perfectam licèt ratione, modóque ab Apollinari diſſimili negarit, dictus Apollinariſta; ſi denique Monothelitę, quíque duplici voluntate Chriſto conceſſa, duas ei operationes negarunt, ob aliquam cum Eutychetis erroribus cognationem, à SS. Patribus Monophyſitæ, & Eutychiani ad infamiæ notam nuncupati: cur mihi pari iure non liceat Ianſenium Pelagij diſcipulum dicere vel eo ſolo nomine, quòd eum gratiæ Chriſtianæ hoſtium principem, & anteſignanum ſecutus, naturæ, Deóque ſoli vt illius auctori, ea tribuat dona, quæ à Chriſto accepta, eidem, ſi grati & memores eſſe volumus, referre debemus? Talis eſt ex illius quidem ſententiâ, gratia habitualis, quæ tametſi peccatoris reconciliatio ſit cum Deo per Chriſtum facta, eam tamen, vt patebit, negat eſſe Chriſti beneficium: quàm iuſtè, viderit ipſe, neque enim ſatis attendit animum quorſum id pertinet. Nam quid ab homine Chriſtiano dici poſſit magis alienum?

Præterea quàm grauiter habitus à SS. Patribus Pelagius, quas cenſuras paſſus fuit, quòd Chriſtum puerorum redemptorem, ſeruatorémque eſſe inficiaretur: cuius doctrinæ acerbitatem cùm paullò temperarent Semipelagiani; Chriſtúmque aſſererent aliquorum ſeruatorem eſſe, alio-

rum verò adiutorem; erroris nihilominus ab Eccleſia notati ſunt,& in eandem criminis, ac cenſuræ communionem venerunt cum Pelagio, quòd in Chriſti gratiam, quam adducere in anguſtum, & extenuare dicendo cogitabant, vnà cum illo conſpirarent. Quòd ſi ita ſit, quid porrò fiet de Ianſenio, qui manifeſtus eiuſdem criminis reus tenetur; cùm gratiam Chriſti ferat nullam, præter actualem ſolius perfectæ, ac theologicæ charitatis affectionem; adeò vt nullam pueris infantibus, & pleriſque adultis, qui abſque vllo eiuſmodi actu ex communi Eccleſiæ opinione ſalui fiunt, nullam Chriſti gratiam, nullum donum velit eſſe relictum?

Tertiò obſeruari debet Ianſenium, cùm de hæreſi Pelagianâ diſputat, quatuor illius ſtatus inter ſe planè diuerſos recenſere: quorum primum appellat Ethniciſmum: ſecundum ſemiethniciſmum: Iudaiſmum tertium: quartum ſemichriſtianiſmum. Ac tertium quidem in eo ſtatuit, quòd Pelagius in lege, & doctrina commendanda nimius videretur, dum eam ſolam libero arbitrio ad bonum ſufficere contendebat: quartum verò in eo, quòd licèt gratiam admitteret, illius tamen neceſſitatem, preſsè ita arctéque definiebat, vt eatenùs tantùm eam deſiderari affirmaret, quatenùs viam ad perfectionem facit planiorem, & expeditiorem.

Verùm non diſſimulabo, quod res eſt, & quàm rectè ſentiat hoc loco Ianſenius de gratia Chriſti, ſine qua liberum arbitrium nihil æqui, boníque poſſe velle, aut operari profitetur. At cùm hæc gratia non tantùm id habeat, vt vim cupiditatis effrænatæ frangat, ac domet; ſed etiam vt ſupra communem naturæ ſtatum nos erigat, dignóſque reddat, qui pro iure noſtro ad gloriam aſpirare poſſimus; procul dubio Iudæum agit cum Pelagio Ianſenius, cùm in prædicanda lege tam multus eſt, eámque cum gratia ſanctificante, ex æquo ſtatuit eſſe habendam: quin imò pretium quod gratiæ detrahit iniquus æſtimator, illud cenſet legi eſſe tribuendum: poſtremò eodem laborat quod in Pelagio tam ſeuerè reprehendebat, vitio, cùm illum ſemichriſtianum ſolebat appellare, cùm enim nolit gratiam Chriſti ad opera ſupra naturæ vires poſita obeunda, ſed ad

ſolam

Digitized by Google

ſolam cupiditatem ſuperandam, nobis eſſe neceſſariam; quid agit aliud, quàm vt gratiæ nobis per Chriſtum datæ vim minuat, eámque media ſaltem ex parte per ſummum nefas tollat?

ARTICVLVS II.

Gratiæ Chriſtianæ neceßitatem cum Pelagianis imminuit.

QVARTVM eſt hoc in negotio triplicem quæſtionem inſtitui poſſe. prima, vtrum homo poſt lapſum præter arbitrium per ſeſe ad bonum, & malum indifferens, & præter ſcientiam, cognitionémque boni, & mali, aliqua ope indigeat ſibi, naturæque ſuæ non debita, adeóque ſupernaturali; qua non tantùm velit, aut poſſit faciliùs, verùm etiam poſſit omnino velle, & agere bonum, quo ſalutem & vitam æternam conſequatur. 2. eſt, vtrum illud adiumentum ad ſalutem, quod eſt ſupernaturale; & nobis indebitum, diuerſum à doctrina, & libero arbitrio ſit, atque ita homini detur, vt Chriſto acceptum referatur, cenſeatúrque donum gratuitum Chriſti redemptoris, non verò Dei vt creatoris. Tertia denique, num res illæ in quibus eiuſmodi adiumentum poſitum eſt, & quæ Adamo ad bene agendum non modò vtiles, vel etiam neceſſariæ, verùm ſufficientes erant; homini lapſo non modò non ſufficiant, verùm etiam ſi per ſe ſumantur, ob prauam illius habitudinem pernicioſæ ſint, prorſúſque noxiæ: quemadmodum de luce fieri videmus, quæ licèt per ſe oculo ſano, & bene habenti ad videndum neceſſaria ſit, eum tamen, qui vel tumore, vel lippitudine laboret, malè afficiat. Nunc verò licèt Ianſenius omnia gratiæ adiumenta, quæ Catholici Doctores neceſſaria eſſe volunt, admittere videatur, atq; in hac parte cum Pelagianis non conueniat; conuenit in ſecunda, cùm rem eam in qua ponit gratiæ adiumentum, Chriſti neget eſſe beneficium, in quo magnopere errat, perinde ac in primâ, cùm gratiam inducit velut aliquod munus Adamo debitum, nec omnino amiſſum, ſed etiam id temporis

Digitized by Google

homini dari velit, & quod inde conſequens eſt, opem illam non adeò donum Chriſti eſſe gratuitum, indebitúmque; ac illa gratia eſt, quam ſtatuere ipſe conatur, quámque eamobrem Ianſenianam gratiã non immeritò appellare poſſumus.

Porrò errorem illum plurimùm cum Pelagianis habere cognationis, nemo omnium negauerit, modò in his rebus paullo verſatus ſit: quod etiam exiſtimo dicendum de quæſtione tertia; in qua Ianſenius gratiam habitualem ſi per ſe ſe ſpectetur, aſſeuerat homini eſſe noxiam; quod quis aut veritatis amicus, aut non inimicus gratiæ, ferre queat? Quamuis enim nec ipſa per ſe, nec aliis actualibus auxiliis quæ Adamo ad bene agendum ſufficiebant, adiuncta, nunc homini fortè ſit ſatis, ſed ob deteriorem voluntatis factæ per peccatum imbecillioris conditionem, vberiorem auxiliorum vim requirat; nihilominus ipſa per ſe voluntatem ægram ſanat, & à peccati vinculis expedit, dátque illi quod ſatis eſt, vt bonum ſin minùs faciat, ſaltem facere poſſit: atque adeò meo iudicio nefarium eſt, &, vt ita dicam, blaſphemũm, ea dona quæ nobis à Chriſto conceſſa ſint, habeántque proinde veræ, germanæque gratiæ rationem, conteſtari diſputando velle, vt noxia, idoneáque iudicentur, quibus Dæmon ad exitium perniciémque noſtram abutatur; quæ omnia de gratiæ ſufficientis auxilio dici à Ianſenio, fuſiùs demonſtrabo.

ARTICVLVS III.

Janſenius legi tribuit idem quod Semipelagiani.

AT næ ego parùm conſultus ſum, qui in probanda Ianſenij cum Semipelagianis affinitate ita laborem; quando vtrorumque doctrina, non modò ſimilis, ſed planè eadem eſſe videatur: cùm enim legi, & doctrinæ tribuat idem Ianſenius, quod Semipelagiani, pium videlicet animi motum, qui ſalutis initium eſt, quis obſecro Ianſenium in eadem cauſa verſari negauerit? Aut potiùs quis non miretur hominis imprudentiam, qui vanos mentitóſque Semipelagianorum errores commemorans, quò Catholicos Doctores in

ſuſpicionem vocet, eorundémque ac illos errorum criminetur, ipſe ad eoſdem ſcopulos offendat; & quos aliis tendit, induat laqueos? nam libro primo de gratia Chriſti, in quo de *gratia intellectus*, ſic enim eam vocat, ſeu de lege, & doctrina non tantùm ſtrictim, & obiter, ſed abundanter & copioſè diſputans, inter cæteros eius effectus numerat capite 11. *Quod per eam ſuperbia hominis fracta eſt, vt gratiæ adiutorium quæreretur*, quod dum repetit ſupra numerum, ſupra modum eſt faſtidioſus. Cùm porrò cenſet ſola doctrina fieri, *vt adiutorium gratiæ quæratur*, haud dubiè Semipelagianus eſt. Nec verò quis dicat effectum illum legi quidem ac doctrinæ, non tamen ſoli tribui à Ianſenio: Ibi enim ſolam, vt eam ille vocat, gratiam intellectus conſiderat, & de lege quatenus à Chriſti gratia diſcrepans eſt, ex animi ſententia diſſerit. Ibidem quoque vult lege effici, vt homo exclamet, *reus ſum fateor, ægrotus ſum, infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*. capite 12. lege Iudaica factum eſſe ait, *quod Chriſto veniente, iam propè ad Deum inuenti ſunt Iudæi*. per illam *Iudæos ad agnitionem gratiæ Chriſti, & fidem manu ductos, & quodammodo coactos eſſe .... hoc enim ipſo potentiſſimè ſuadebatur, vt quia Deum ſciebant iniuſtitiæ, & crudelitatis expertem, ſufficientes vires rogantibus daturum eſſe non diffiderent, quibus præcepta tam difficilis legis implerent.*

Hîc non diſputo, quàm bellè iſta doctrina cohæreat cum iis, quæ à Ianſenio de præceptis diuinis abundè dicta ſunt, cùm ea docet eſſe eiuſmodi, quæ homini etiam iuſto impoſſibilia ſint. id vnum vrgeo, quod res poſtulat: num ſalutis initium ſit, adeóque maius quàm quod Semipelagiani contendebant, *exclamare ad Deum, prope Deum inueniri, de Dei adiutorio ad præcepta ſeruanda præſentiſſimo ſuaderi*, quod fidei diuinæ munus eſt. hoc porro totum à Ianſenio legi, & doctrinæ tribui, éique quam ille capite 17. Chriſti gratiam propriè dictam eſſe negat manifeſtum eſt. Quod velim etiam atque etiam obſeruari; ne fides quæ verè & propriè dicta gratia eſt, permixtè confuſéque cum doctrina habeatur, nihílque inter vtramque diſcriminis, quod eſſe debet, ponatur. tum verò capite 16. de eadem doctrina, *quæ tantummodò intellectum inſtruit, nullámque aliam gratiam comple-*

Digitized by Google

citur; diſputans, hæc habet, ***Iuuat ergo & iſta gratia, vt ægrotus medicum, hoc eſt, veram volendi operandique gratiam quærat.*** in quo patet quàm bene conſentiat cum Semipelagianis. nam quid poſtulant aliud, quàm quod ab eo tam libenter conceditur? Sic quippe S. Proſp. libro contra collat. cap. 8. aliàs 4. *deſiderium ſanitatis Chriſti medici gratia prima* tribuit; adeò vt hominis *ſalus prima ſit, vt ſibi incipiat diſplicere, & vetuſtatem ſuæ debilitatis odiſſe, ſequens verò ſit, vt & ſanari deſideret, & à quo ſananda ſit nouerit.*

Falſus eſt animi etiam hac in parte Ianſenius. Nam quis errorem tam manifeſtum diſſimulet? quod cùm ex ſancto Auguſtino doceat hominem qui gratia Chriſti iam occupatus, bonum vult, & nihilominus ex lege habet quòd reus ſit, necdum quod lege præceptum eſt, implere poſſit, Chriſti opem requirit, non vt velle quod ab eo iam accepit, ſed ipſam agendi poteſtatem accipiat.

Verùm non hîc agam cum Ianſenio pro meo iure, quo tamen cõtra aduerſarium vti poſſem. quare ne ſibi de nomine, & appellatione litem moueri putet, aut argutè magis, quàm par ſit, ſecum agi; nec Pelagianus, nec Semipelagianus habeatur per me licet; ſed non poſſum ni cauſæ meæ ipſe præuaricator appoſitus videri malim, hominẽ violatæ Chriſti gratiæ, factæq; proinde eius cruci non mediocris iniuriæ non accuſare; quòd nullam prorſus aliam Chriſti gratiam verè, propriéque dictam eſſe velit, quàm quæ actualis charitatis inſpiratio eſt, diſertéque neget gratiam habitualem, remiſſionem peccatorum, affectus pios fidei, ſpeique imperfectæ, & quoſuis etiam charitatis motus non deliberatos, aliáque eiuſmodi ad gratiæ Chriſti adiumenta minimè pertinere; adeò vt ſi quod ille ſentit, & quam vnicam Chriſti gratiam admittit, rectè intelligamus; tandem comperiamus eum pro multiplici gratiæ Chriſti ope, veróque auxilio, falſam alienámque gratiam ſupponere; quæ cùm gratiæ effectus dici poſſit, ipſa tamen gratia eſſe, aut intelligi nulla ratione queat.

Scio crimen hoc pleriſque nouum, atque inauditum viſum iri, ſed vt me hac in parte nihil calumniari, at bona fide agere cum aduerſario intelligant omnes, animaduertant imprimis

Digitized by Google

me non temere arripere ea, quæ Ianſenio imprudenti exciderint, aut incautè aliquod illius dictum, inuidiosè carpere, & malitiosè cauillari; ſed ea ſumere, quæ ſciens, prudénſque copiosè tractat, & abundanter, ſententiarum afferre vim magnam, quibus mens illius liquidò declarari queat: tùm verò, illum, ne diuerſus à ſe videatur ita loqui debere, eúmque cùm gratiam v. g. habitualem Chriſti donum eſſe negat, non tantùm velle eiuſmodi gratiam non eſſe eximium quoddam præcipuum Chriſti beneficium, ſed planè è numero donorum Chriſti tollere, demonſtrabo.

CAPVT VI.

Occurritur quibuſdam reſponſionibus, quæ pro Ianſenio videntur afferri poſſe.

ARTICVLVS I.

Vtrum Ianſenius omnem Chriſti gratiam, an aliquam tantùm intelligat.

RESPONSIONVM quæ pro cauſæ ſuæ defenſione aduerſarius afferre queat, intelligo duplex genus eſſe poſſe. Alterum quidem poſitùm eſt in explicatione ſententiarum earum, quas ille aliorſum accipit, ac obiiciuntur; vnde fit, vt difficultas de qua diſceptatur abeat in diuerſa: alterum verò petitum ab argumentis, rationibúſque, quibus qui Ianſenij partes tuentur, probent à magiſtro inter Chriſti dona, illa omnia munera ac beneficia, quæ reuera ab eo profecta, eidem nullo modo negari poſſe videantur.

Quod attinet ad prioris generis reſponſiones, id opinor ſpectant vnum, vt nullam aliam apud Ianſenium, quàm de gratia Chriſti actuali mentionem haberi oſtendant. Quamobrem cùm in libris illis de grat. Chr. 2. & 4. ita diſputat, vt in 2. ſicut ex ipſo titulo patet, *De vera voluntatis gratia quæ-*

Digitized by Google

tum ad operandi modum, ſe ex animi ſententia differere profiteatur: in quarto *de gratia Chriſti quantùm ad eſſentiam, & diuiſionem eius*, non omnem Chriſti gratiam, ſed ſolam actualem complectatur; nec verò eum de quauis actuali Chriſti gratia, ſed de ea ſola, quæ eximia eſt, in ægræ voluntatis medicinam comparata, ſoliúſque Chriſti propria ſermonem habere, reſpondetur.

Sanè quidem longè aliud videtur, gratiam Ianſenianam, quam ille contra Theologos ſtatuere tam enixè conatur, eſſe ſolius Chriſti propriam, aliud verò eam ſolam eſſe Chriſti. Quamobrem, inquiunt, cùm Ianſenius gratiam Adami opponit Chriſtianæ, nihil aliud vult, quàm quę Chriſtiana, ſeu veriùs, quæ Ianſeniana eſt, eam Adæ ſtanti nec conceſſam, nec neceſſariam fuiſſe; ſolis verò concędi Chriſtianis, propter Chriſti ducis, ac ſeruatoris ſui ſumma merita, ita tamen, vt quas Adamus rebus adhuc ſaluis habuit, & amiſit, illas à Chriſto acceptas recuperent Chriſtiani. Pari modo cùm Ianſenius gratiæ dona, adiumentáque à ſuo illo diuerſa, Pelagianas gratias vocat, eáſque Chriſtianæ gratiæ opponit, aliud (inquiunt) intelligit nihil, quàm, licèt Chriſti dona ſint, non eſſe adiutorium illud, quod Chriſti proprium eſt, quod vel non nouit Pelagius, vel neceſſarium eſſe minimè exiſtimauit. Atque vt verbo dicam, quoties Ianſenius aliquando gratiam habitualem, remiſſionem peccatorum cum illa coniunctè ſe habentem, aliáque eiuſmodi dona negat pertinere ad Chriſti gratiam, ſic explicanda videtur mens illius, vt primùm ſolam gratiam actualem intelligat, non habitualem; deinde non actualem quamlibet, ſed eximiam duntaxat, & inſignem, quæ ſolius Chriſti propria eſt, & quæ generi humano, peccati fœditate vitiato neceſſaria eſt, de qua duntaxat vna, Auguſtino fuit cum Pelagio diſputatio.

Quæ reſponſiones cùm à Ianſenij mente alieniſſimæ ſint, & ab eiuſdem placitis maximè diſſentientes, nullius planè in eo momenti eſſe poſſunt. Neq; enim id vnum tantùm pugnat, gratiam quam memorat, eſſe Chriſti ſolius, ſed ſæpiùs, vt oſtendam poſtea, verbis conceptis docet eam ſolam eſſe Chriſti, ſolam ęſſe verè, & propriè dictam Chriſtianam,

Digitized by Google

reliquas eſſe non modò Adamicas, ſed nullo modo vel ad Chriſtum ipſum, vel ad illius dona pertinere; deceptos grauiter eſſe Theologos, qui aliud gratiæ genus, pro vera germanâque Chriſti gratiâ venditent, & obtrudant. Tum verò tom. 1. lib. 5. de hæreſ. Pelag. cap. 6. 7. 22. & ſequentibus, fusè admodum verboſéque vt ſolet, tractat quæſtionem hanc; num Pelagius nouerit gratiam habitualem infuſam, contendítque illam ab eo admiſſam tanquam Chriſti gratiam, ac donum; nuſquam autem, quod ſciam, vel ſemel Pelagio conſentire ſe ſignificat, tum paullo pòſt fidenter negat, vllam gratiam Pelagianam inter Chriſti dona eſſe recenſendam.

Deinde verò lib. de gratia prim. hom. in afferendo inter gratiam Adæ, & Chriſti, ſiue ſanæ, ægræque voluntatis diſcrimine, tam multus eſt, vt finem dicendi nunquam poſſe facere videatur; quo conſilio nimirum? qua mente? niſi vt quæ ſanæ voluntatis eſt, probet ad Chriſti dona minimè pertinere. Eodem loci cap. 17. ſuam de adiutorio, *ſine quo, & quo*, doctrinam quam ex cap. 10. 11. 12. lib. de correpț. & grat. petiiſſe ratus appellat, *veram & immobilem baſim, cui vniuerſa doctrina de gratia Chriſti ſaluatoris incumbit, & veram clauim qua aditus in ſcripta Auguſtini aperiendus eſt.* vnde & cultor ille patrij ſermonis Arnaldus in ſua eiuſdem libri ſynopſi anal. eandem differentiam inter gratiam primi hominis & gratiam Chriſti ſaluatoris totíus doctrinæ de gratia *clauim* appellat.

Enimuerò ſi adiumentum illud, quod Theologis hactenus omnino ignotum eſt, ſi gratia illa Ianſeniana, *clauis eſt, & baſis* vniuerſæ de gratia doctrinæ, nec tamen quælibet, ſed ea duntaxat, quæ eximia, & præcipua quædam Chriſti gratia ſit, nónne id à Ianſenio obſeruari par erat? vbi autem vel ſemel obſeruatum? Fateor equidem ab eo ſtrictim, & obiter de duplici Chriſti gratia, altera quæ nobis cum Adamo communis fuerit, altera ſolius Chriſti, & Chriſtianorum propria mentionem factam, ſed paſſim & vbique nullam Chriſti gratiam aliam eſſe quàm ſuam, hanc ab ea quæ Adamo conceſſa eſt, planè eſſe diuerſam, nec ad gratiæ Chriſtianæ adiumenta, vllatenus pertinere aſſeueranter confirmat.

Digitized by Google

Audio non deeſſe qui ſecùs putent. Verùm ſi quempiam ab illo locum proferant, quo gratiam habitualem, aliáque de quibus hîc diſceptatio eſt adiumenta, quæ ad Chriſtum pertinere non obſcurè negat, Chriſti quidem non ſolam, ſed eius ſolius propriam eſſe, dixiſſe probent, nullam cauſam dico, quin mea me (vt fit interdum) fefellerit opinio. Quòd ſi nunquam id vllo in loco ab eo ſignificatum conſtet; gratis (opinor) hæc diſtinctio illi tribuitur, nec ſatis apertè quid ille ſenſerit, ſed fortaſſe, quid ſentire potuerit per eam explicatur. Atque hæc habui in præſentiâ, quæ in vniuerſum, rerum iſtarum non incurioſos admonerem. Cùm verò ſingula quæque commodiùs ſuo loco magis accuratè expendam, liquidò, ni fallor, oſtendam hanc ſingularis gratiæ explicationem, ad illius doctrinam minimè accommodari poſſe.

ARTICVLVS II.

Diluuntur reſponſiones, quibus pro Ianſenio inſtatur.

NVNC venio ad eas reſponſiones, quibus inſtant pro Ianſenio, qui ei patrocinantur, probántque gratiam habitualem, & alia dona ab eo adiumento diuerſa, ipſámque proinde gratiam Ianſenianam, aſcribi quoque Chriſto, eíque pro eo ac debet, accepta referri. At quis rerum earum non rudis, & imperitus declinationem illam caſſam, & inanem non intelligat: cùm, vt fert vulgare Philoſophorum dictum, inſtantiâ argumentum non ſoluatur? Ianſenius aliquo in loco dixerit, aut dicere debuerit gratiam habitualem, qua fit homo iuſtus, Chriſtianorum eſſe, verè, & propriè dictam gratiam, eámque à Chriſto profectam; idem in alio negauerit; quid aliud inde colligas, quàm eum parùm ſibi conſtare interdum, & vt plurimùm ſecum pugnare: quod qui facit nouator ſuo more ſolens facit: id enim omnibus rerũ in fide, doctrináq; catholica nouarum cupidis, familiare eſt, iiſque preſertim qui non tam momento rationum, quàm auctoritatis à Patribus petitæ diſputare ſolent. Cùm enim interdum illis licèt à recto tramite deuiis oborta lux quædam affulgeat, quid procliuius eſt, quàm vt medio in ſplendore cæcutiant,

Digitized by Google

& minùs ad ſe, réſque ſuas attenti, auocent ab illis animum, & ad veritatem, à qua defecerant, reuocent? Quod Ianſenio video aliquando contingere, cùm præſertim D. Thomam ſibi proponit tanquam ducem, & ad illius mentem ſe fingit, ac moderatur. At quid hac reſponſione conſequatur factio Ianſeniana, quàm à doctore ſuo non ſemper fuiſſe erratum; quo excuſationis genere vtitur ipſe Ianſenius, vt Caluinum errore liberet in ea parte qua ſecum habet eum de libero arbitrio conſentientem.

Non dicam prætereà hunc morem à nouatoribus vſurpari ſolere, vt errores ſuos aliqua ſpecie veritatis, ambitioſiùs aſpergant, partim quò virus ſuum fraudulenter tegant, partim etiam vt ipſam errorum criminationem (ſi quando vrgeantur) ſpecioſo veritatis nomine diluant. Qui Caluini ingenium, verſutámque indolem norunt penitiùs, non ignorant, ab eo de verâ Chriſti Domini in ſacra Euchariſtia præſentia, non ſemel ita eſſe tractatum, vt rectè ſentire in ea parte ſimplicioribus videri poſſit; Ita nimirum cautè agit vafer homo ac diſſimulanter. Præterea id etiam apud Ianſenium accuratè notari velim, num fortè iis in locis, in quibus ea de re quæſtionem inſtituit, tam apertè aſſerat, quàm neget gratiam v. g. habitualem eſſe verum, & propriè dictum Chriſti beneficium. niſi enim hoc fiat ab eo, qui Ianſenij partes tuetur; nihil erit confectum, neque ille purgabitur ab illo errore, cuius à nobis accuſatur; eâdémque apud æquos iudices infamiæ notâ ſemper laborabit. ſed ne grauis illis eſſe pergam, hæc omitto, vt ad eas quæ ab aduerſariis afferri ſolent, exceptiones explorandas me conuertam.

Imprimis gratiam habitualem aiunt, à Ianſenio admitti, eámque ſupernaturalem, quam velit naturæ minimè deberi, præclarè id quidem. ſi, vt dicitur; ita habet: At ni gratiam eandem à Ianſenio donum ſimul dici ſupernaturale, ſimul primæ hominis inſtitutioni, adeóque eiuſdem naturæ debitum, deinceps oſtendero, ipſe parum intelligens ſim; quia cùm natura humana & opus eius conſiderari poſſint, niſi quod operi debetur bonum, verè gratuitum eſſe negat; adeò vt in eius doctrina, nulla ſit eiuſmodi conſe-

cutio: quia donum ſupernaturale eſt, gratiæ veræ & propriè dictæ rationem habere.

Affirmant prætereà aduerſarij, docere Ianſenium, nobis per Adami peccatum, gratiam habitualem ereptam, per fontem ſacrum reſtitui; baptiſmúmque non niſi beneficio Chriſti nobis conferri, & hanc gratiam non omnibus, ſed ſolis Chriſtianis concedi; quibus manifeſtum, eum velle gratiam illam verum Chriſti eſſe beneficium. At reſpondeo, his omnibus effici, Ianſenium qui ſeparatim ea docuit, vt conſequenter loqueretur, hac complexione, hæc omnia colligere debuiſſe. Cùm Chriſtus naturæ ſit humanæ reparator, paruulorúmq; iuxtà ac omnium Chriſtianorum Saluator, eum nobis gratiæ illius quæ Chriſtianos efficiat, auctorem eſſe debere. Sed vel hæc, quæ ampla ſunt, omnia non eſt animo complexus, vel quod ipſe de ſe profiteri non veretur, hæſit dubius ancépſque animi; quî demùm fieri poſſet, vt cum opinionibus ſuis, quas præcipiebat animo minùs ſanas, breues illas doctrinæ ſuæ conſecutiones conciliaret? Quod ſibi in omnibus paſſim ſuis dogmatibus ſentiebat difficile futurum, tum præcipuè in eo, quo gratiam Chriſti profitebatur eſſe nullam, 1. quæ ſuo effectu careret, deinde eam ad cupiditatis vim ſuperandam duntaxat eſſe neceſſariam; tertiò nullius gratiæ Chriſtianæ vſum pendere à libero hominis arbitrio; quartò, nullam quæ Chriſti ſit, Adamo gratiam eſſe conceſſam: quintò, nullam à Pelagio admiſſam gratiam Chriſti, quæ re vera illius fuerit; quas omnes rationes cùm habituali gratiæ conuenire intellexerit, nec ipſe fuerit inficiatus, non potuit, quin eam conſequenter ad Chriſti dona pertinere negaret.

Cæterùm, quod velim obiter notetur, neceſſe non eſt donum aliquod ſingulare, & eximium quibuſdam duntaxat hominibus conceſſum Chriſto tribuere; tametſi illius propter Adæ peccatum homines iacturam fecerint: nam præclaræ quædam corporis, & animi dotes, ingenij vis acerrima plerìſque ſuperiorum ætatum viris, Euclidi, Hippocrati, Ariſtoteli, & aliis præſtantiſſimarum, nobiliſſimarúmque artium inuentoribus; ſingulari Dei prouidentia conceſſa, inter gratiæ Chriſtianæ dona nullo modo videntur eſſe nume-

Digitized by Google

randa, vnde mirum non eſt, cur Ianſenio venerit in mentem quidpiam eiuſmodi, aut aliquid non abſimile de gratia habituali ſuſpicari. res enim erat in procliui. certè ſi quid in eo fuit acuminis, ita philoſophari, ita ſentire debuit. Cùm enim illa duntaxat Dei dona gratiæ Chriſtianæ veram rationem habeant, quæ ex natura ſua homini ad ſalutem gloriámque conſequendam adiumento eſſe poſſint, in promptu eſt bona illa ſuprà à nobis commemorata gratiam eam, de qua diſputamus eſſe non poſſe, cùm in ipſis dæmonibus, ac damnatis quibus ſpei nihil relictum eſt, locum habeant. Quod ſi ſolam gratiam ſuam exceperit Ianſenius, omnia quæ Adamo ſtanti aliquid vtilitatis afferre poterant, nobis miſerum in modum affectis, & tabidâ originis lue vitiatis, non modò vtilitatis nihil, ſed perniciei plurimùm ob afflictam liberi arbitrij conditionem afferre, exiſtimet neceſſe eſt; & ni velit aliena loqui, ac prorſus inſanire, hæc eadem dona beneficij Chriſtianæque gratiæ rationem habere, negare omnino debet.

CAPVT VII.

De gratiæ Chriſtianæ neceſſitate error Ianſenij.

ARTICVLVS I.

D. Thomæ de neceſſitate gratiæ doctrina explicatur.

QVAMQVAM ad planiorem eorum quæ tractantur hoc loco intelligentiam plurimùm conferrent quæ ab aduerſario dicta ſunt de prauitate per peccatum Adami contracta, & de cupiditatis effera vi impotentíque dominatu, quem ſola (vt ipſe ait) vincat Dei dilectio; quia tamen quidquid id eſt cap. 4. fuit à me explicatum; idem repetere videtur planè ſuperuacaneum.

Cùm autem omnis quæ à ratione ſuſcipitur, aliqua de

re, præſertímque de virtute diſputatio, ab eo fine quem habet ſibi propoſitum, proficiſci debeat, vt eius natura quam in ipſo fine poſitam cenſent Theologi omnes, ac Philoſophi, prorſus explorata perſpectáque habeatur; ita etiam, vt quid de gratia Chriſtiana ſenſerit Ianſenius, omninò conſtet, placet inueſtigare primùm, quem ille finem gratiæ Chriſtianæ conſtituerit, quóſque terminos, quibus omnis illius amplitudo contineatur, definiuerit; cuius dogmatis cùm principium omne à Caluino repetierit, erit nobis ad illum tanquam doctrinæ illius auctorem recurrendum; quod demùm faciam, vbi ea quæ à D. Thoma vniuerſóque Theologorum cœtu de gratiæ Chriſtianæ neceſſitate hactenus tradita ſunt, breuiter expoſuero, vt quid in hac communi ſcholæ totius doctrina Ianſenius admittat cum Caluino quid reiiciat, certum liquidúmque habeatur. Huic gratiæ finem nullum alium eſſe propoſitum, quàm vt hominem dignum idoneúmque efficiat, qui ad gloriam à Deo iuſto iudice, tanquam partam ſibi mercedem pro ſuo iure accipiat, conſtans fuit hactenus, vt eſt hodie, omnium Theologorum, præſertímque Diuini Doctoris opinio; quæ doctrina non poteſt non eſſe fundatiſſima, cùm ad illam ſtabiliendam ſacræ ſcripturæ auctoritas accedat. Quid enim frequentius reperias apud illam, quàm voces iſtas, præmium, mercedem, iuſtitiæ coronam, quibus adeptio futuræ gloriæ ſignificatur? Quin etiam ipſa ſcientia naturalis cognitionis ſuæ lumen tanquam ducem certiſſimum ſecuta, beatitudinem virtutis mercedem appellare ſolet. At quàm diſertè D. Thom. 2. 2. quæſt. 24. art. 3. ad 2. vbi ſermonem habet de gratia communiter ſumpta, & vt in nobis eſt, huícque conditioni noſtræ datur. *Nihil eſt*, inquit, *aliud, quàm quædam inchoatio gloriæ in nobis.*

Cùm enim diſpoſitio alicuius formæ, & ipſa forma: meritum & præmium; inchoatio rei, eiuſdémque perfectio; medium, & finis in eodem rerum ordine ſemper eſſe ſoleant, gratiæ dona, quæ ad felicitatis adeptionem pertinent, ſupernaturalia ſint neceſſe eſt, quando ipſa gloria atque beatitudo æterna, ſupra naturæ vires longè poſita ſit. Quapropter vt 1. 2. quæſt. 112. artic. 1. à D. Thom. præcla-

rē dictum eſt: *Donum gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cùm nihil aliud ſit, quàm quædam participatio diuinæ naturæ, quæ excedit omnem naturam;* quod in omnibus rebus creatis intelligētibus ad beatitudinem conſequendam idoneis, cuiuſcumque porrò ordinis, aut conditionis fuerint, locum habet. Primaria autem ratio, cur gratiæ donum neceſſarium ſit, ab ipſa virtutum, & actionum bonarum quibus beatitudinem promeretur, indole, quæ prorſus ſupernaturalis eſt, videtur repetenda. quod quidem adeò verum eſt, vt in ipſos quoque infantes ab omni videlicet rationis vſu nudos imparatóſque hæc neceſſitas cadere debere videatur.

Cùm autem perfecta Dei dilectio, quam ſchola theologicam appellat, omnis meriti condigni apud Deum radix ſit, nec dignus eſſe poſſim, quem Deus diligat, ſuæque adeò beneuolentiæ fructum aliquem in me conferat, niſi eum pro eo, ac debeo, diligo, quod ex omnium Theologorum conſenſione, ipſóque communi ſapientiſſimorum quorumque ſenſu, ita conſtans eſt, vt dubio locus nullus eſſe poſſit: par enim videtur, cum vt ames, à quo vis amari: Eamobrem, opinor, omnis gratia charitas aliqua dicitur ab Auguſtino, ſiue potiùs omnis virtus, quæ gratiæ donum ſit, aliqua Dei charitas eſt, vel inchoata, vel perfecta, & amor qui fertur in Deum tanquam finem ſuum, quo deinde hæreat ac terminetur. Quapropter gratia gratum faciens (de qua nobis ſermo eſt) non verò de ea quæ gratuita dici ſolet, *ad hoc principaliter datur, vt anima hominis Deo per charitatem coniungatur,* vt ait D. Tho. 2. 2. q. 172. art. 4. Vnde liquet quàm certum ſit apud omnes Catholicos Doctores, operum quibus homo beatitudinem meretur, ſupernaturalitatem, vnicam eſſe, vel certè præcipuam cauſam, cur ei gratiæ donum neceſſarium videatur.

Sentio quid reſponderi poſſit, id de gratia vniuerſim ſumpta, non verò de Chriſtiana intelligendum. Quaſi verò Chriſtianæ gratiæ ratio, natura, & neceſſitas fuerit à diuino Doctore prætermiſſa. An quiſquam fuerit huius oris, ac impudentię, qui neget eum agere de gratià, quæ in nobis glorię quidam quaſi ſatus ſit, & inchoatio, quęque, ni Chriſtiana ſit, nulla alia eſſe poſſit? Sed nugas agit, qui ſic diſputet, nam

quid re in tam plana tricis argutiiſque opus ſit. Ita D. Th. 1. p. q. 95. art. 4. ad 2. *Homo,* inquit, *poſt peccatum ad plura indiget gratia, quàm ante peccatum, ſed non magis, quia homo ante peccatum indigebat gratia ad vitam æternam conſequendam, quæ eſt principalis neceſſitas gratiæ, ſed homo poſt peccatum ſuper hoc indiget gratia, etiam ad peccati remiſſionem, & infirmitatis ſuſtentationem.* Et in 1. 2. q. 109. a. 2. in corp. *Virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantùm ad vnum, id eſt, ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale: ſed in ſtatu naturæ corruptæ, quantùm ad duo, ſcilicet vt ſanetur, & vlterius vt bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium. Vlteriùs autem in vtroque ſtatu indiget homo auxilio diuino, vt ab ipſo moueatur ad bene agendum.*

Hîc porrò animaduertendum, gratiam à S. Th. dici habitualem, quæ verò actualis iam in ſcholis appellatur, eam ab illo auxilium diuinum dici; quod inquit S. Doctor, *in vtroque ſtatu opus eſt, vt homo moueatur ad bene agendum;* quia qui per habitum gratiæ, & virtutem habet, vt poſſit bene agere, & mereri, indiget præterea motione diuinâ, & auxilio Dei impellentis incitantíſque, vt de facto bene operetur.

Gratia autem, quæ Adamum Deo gratum reddebat, & iuſtum, eadem prorſus illum ex iniuſto iuſtum fecit; neque aliunde iuſtitia quæ in nobis eſt, quàm ab illa proficiſci poteſt, & ea de cauſa vt operans, ita cooperans vulgò nuncupatur, quatenùs operis meritorij principium eſt: ita 1. 2. q. 111. art. 2. & 3. gratiæ quæ in nobis eſt, adeóque Chriſtianæ effectus numerat omninò quinque. *Primus eſt, vt anima ſanetur. Secundus, vt bonum velit. Tertius, vt bonum quod vult, efficaciter operetur. Quartus, vt in bono perſeueret. Quintus, vt ad gloriam perueniat:* quo in numero manifeſtum eſt nullum gratiæ effectum à Sancto Doctore fuiſſe prætermiſſum. Quod enim gratia cuiuſuis paſſim peccati præſertímque originalis quædam curatio eſt, id præſtat quatenùs ſanat hominem, illúmque virtutibus iis auget, & donis quæ tum ignorantiæ remedia ſunt, cùm cupiditatis deprauatæ: neque enim gratia quæ ſanat vulnus à peccato homini

Digitized by Google

inflictum, diuerſa eſt ab ea, quæ iuſtum eundem efficit; tum quia per eam fit cuiuſlibet peccati remiſſio: tum quia hominis arbitrium ad bonum ſupernaturale, & gloriæ dignum fit formaliter liberum, cùm boni illius faciendi poteſtatem, & virtutem accipit: quid enim eſt hominem eſſe liberi arbitrij, quàm poſſe velle, & operari, ídque penes ſe, & in poteſtate ſua habere? Quam igitur boni operandi libertatem Adamus peccando amiſerat, charitatem videlicet, cæteráſque virtutes à Deo infuſas, his Chriſti beneficio reſtitutis, priſtinam quoque arbitrij libertatem reparari compertum eſt.

Nunc verò quod de ſuperbiſſimo cupiditatis effrænatæ dominatu, de inuictâ gratiæ vi dici ſolet, quid 3. p. q. 62. a. 6. ad 3. ſentiat ſuper ea re D. Thomas, dum vacat, audiamus. Tunc temporis vigebat in ſcholis controuerſia non mediocris, & magnopere diſputabatur, quid demùm gratiæ circumciſio conferebat; cùm exiſtimarent Doctores nonnulli, *quòd circumciſio conferebat gratiam etiam quantùm ad aliquem effectum poſitiuum, qui eſt facere dignum vita æterna: non tamen quantùm ad hoc quod eſt reprimere concupiſcentiam impellentem ad peccandum*, ipſe demum ſic pronunciat, *hoc & aliquando mihi viſum eſt; ſed diligentiùs conſideranti, apparet hoc etiam non eſſe verum; quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam.* Idémque q. 70. art. 4. repetens addit, *minimam gratiam poſſe vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti*: quod & minùs obſcurè tradit q. de charit. art. 10. ad 4. *Eſt*, inquit, *de ratione charitatis, vt Deus ſuper omnia diligatur, & nullum creatum ei præferatur in amore, vnde cùm omnis tentatio ex amore alicuius boni creati proueniat, vel ex timore mali contrarij, quod etiam ex amore deriuatur, ex ſua ſpecie hoc habet charitas in quolibet ſtatu*, attende vim ipſam verborum, *quòd cuilibet tentationi reſiſtere poſſit, ita etiam ſcilicet, quòd in peccatum mortale per eam homo non inducatur; non autem quòd nullo modo tentatione afficiatur; hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ.* Ita fermè D. Tho. de neceſſitate, fine, effectibus & vi gratiæ Chriſtianæ, & charitatis contrà concupiſcen-

Digitized by Google

riam, & immoderatum illum ſui amorem, quem Adamum peccando contraxiſſe, & nobiſcum communem feciſſe à Ianſenio proditum eſt; qua de re quid Caluinus, quid ipſe Ianſenius ſentiat, explicandum.

ARTICVLVS II.

Caluini & Ianſenij de gratiæ Chriſtianæ neceſſitate dogma proponitur.

QVAM breuiter expoſui de neceſſitate gratiæ ad opera ſupernaturalia omnium paſſim Theologorum doctrinam, ita demùm ridet cum Caluino Ianſenius, vt, ſi poſſit, delirium eſſe hominum, re in nugatoriâ malè argutorum perſuadeat; tum verò poſtquàm hoc in dogmate explodendo ſermonem fecit bene longum, pugnat gratiam Chriſti ideò duntaxat eſſe neceſſariam, vt ęgritudines noſtrę leuentur, curetúrque grauiſſimum illud vulnus, quod à cupiditate accepimus; quod à Caluino non eſt magnopere alienum, quod etſi palàm & apertè non dicat, ab eius tamen doctrinâ non abhorret. Sic enim ſtatuit, & ſolis electis gratiam Chriſti eſſe concedendam, & reprobos ob vnum concupiſcentiæ morbum à beatitudinis aditu prohibendos. Ita quippe lib. 5. cont. Pigh. p. 191. loquitur. *Quamobrem ſic intelligi neceſſe eſt, ſicut & Auguſtinus multis in locis diſſeruit, nihil Deum omittere, quod ad reducendos in ſalutis viam homines pertineat, ſi modò ſani forent: quòd autem non redeant vocati, ipſis non aliud quàm prauitatis propriæ morbum obſtare.* Si omne gratiæ Chriſtianæ adiumentum eamobrem tantùm deſideratur, vt homini ad beatitudinem conſequendam proſit, & nihil obſit aliud quàm inſita prauæ cupiditatis ægrotatio, huic vni, vt par eſt, ſanandæ totam gratiæ vim impendi neceſſe eſt. Explicatiùs longè à Caluiniſtis Dordracenis in ſeſſion. 136. cap. 3. & 4. doctrinæ, id fuit definitum, vbi in art. 16. ſic habent. *Hæc diuina regenerationis gratia non agit in hominibus tanquam in truncis .... ſed ſpiritualiter viuificat, ... vt vbi plenè antea dominabatur carnis rebellio, & reſiſtentia; nunc regnare incipiat prompta, & ſincera ſpiritus obedientia; in quo vera, & ſpiritualis noſtræ voluntatis inſtauratio, & libertas conſiſtit.*

Quod

Digitized by Google

Quod ab illis preſſiùs dictum eſt, Ianſenius verboſè magis (vt ſemper) & ni fallor minùs obſcurè docet libro primo de gratia Chriſti cap. 4. *radicem veram,* cur ſine gratia liberatrice voluntatis opus moraliter bonum fieri non poteſt, negat eſſe *aliquam operis ſupernaturalitatem, vel rationem meriti, vel ſimile quid; ſed eſſe pondus concupiſcentiæ,* quod ibidem explicat capite ſeptimo, ex animi ſententia diſputans, cur gratia diuinæ legis, & doctrinæ non ſit ſatis, vt libero arbitrio priſtina vis reſtituatur, quâ legis iuſtitiam impleat. Quo in loco iuuenilem in modum exultat homo ventoſus, & pleroſque doctores, qui ad operis ſupernaturalitatem, & ad meritum gratiam Chriſti requirunt, verbis delicatiſſimi faſtidij pleniſſimis exiſtimat non ferendos: ſtultè omninò, ne quid dicam grauius. Nam quis non videat quàm præclarè ſentiant, qui gratiam ad opus æternæ vitæ dignum neceſſariam eſſe contendunt, cùm qui actus, vi legis fiunt, ordinis tantùm naturalis eſſe poſſint, proindéque gratiæ adiumentum poſtulent, vt ad ordinem ſupernaturalem eleuentur? Eos nihilominùs putat reiiciendos Ianſenius, quamobrem autem? ô hebetes ſuperiorum omnium ætatum Doctores cæteros, ô ſolum intelligẽtem Ianſenium! *Quod,* inquit, *nullo pacto naturam gratiæ Chriſti, & cauſam neceſſitatis eius videntur intelligere.* Adeóne tibi places vane doctor, vt ex omnibus vnum te, qui ſapias, profiteri velis? ô virum nauiter impudentem, qui vel ipſi Doctori Angelico non parcat; nam eodem ordine illum, quo cæteros omnes quos reiicit, contineri ex antea dictis planè euidens eſt. Nec hæret eò aduerſarij impudentia, cui parùm videbatur, ſi Theologos omnes elato ſupercilio deſpiceret, ni malitioſam pro ſuo more calumniam etiam addidiſſet; Cùm *illos* obiicit, *nihil aliud niſi operis ſupernaturalitatem cogitare, & inculcare, cùm de gratiæ neceſſitate diſputant.* Nam præter ſupernaturalitatem, vulnera quoque noſtra ignorantiæ, & concupiſcentiæ, remedio gratiæ medicinalis, & ſanantis egere docent. Tum addit: *Vera itaque cauſa, cur Chriſti gratia, præter gratiam legis, ac ſcientiæ neceſſaria ſit, vt arbitrium ad bene volendum, operandúmque liberetur, non eſt operis ſupernaturalitas; ſed eſt infirmitas voluntatis, quam concupiſcentiæ vulnus in-*

flixit. Hîc non intelligit peculiarem aliquam Chriſti gratiam, ſed eam omnem, quæ non eſt gratia legis, & ſcientiæ: & ſubiicit, *eam propriè Chriſti gratiam, nouíque teſtamenti nuncupari*. Quam ſi propriè gratiam Chriſti vocat, aliam omnem, ſi quæ ſit, quæ ſupernaturalitatem operis ſpectet, non niſi, admodùm impropriè Chriſti gratiam eſſe cenſet; cui enim alteri quàm impropriè dictæ, gratia propriè dicta opponi queat?

Et libro 2. de gratia Chriſti capite 2. diſertè ait, *gratiam, de qua cum Pelagianis controuerſia eſt, illam eſſe, adeóque nec aliam intelligi poſſe, quàm quâ liberamur de corpore mortis huius, id eſt, de vitiis illis concupiſcentialibus*. Quis autem non intelligat de omni verâ, propriéque dictâ Chriſti gratiâ cum Pelagianis controuerſiam fuiſſe? Neque enim in tam varia multiplicique gratiarum diſtinctione excogitanda laboraſſent, niſi vt Catholicis fucum facerent, & ſublatâ verâ Chriſti gratiâ, quæ eſt inſpiratio charitatis, ſeſe virúſque ſuum ſpecioſo quodam doctrinæ, falſæque adeò, aut certè minùs propriè dictæ gratiæ nomine diſſimularent: quod animaduertit Auguſtinus paſſim in libro de gratia Chriſti, ac præſertim capite 9. Illam autem Ianſenius non aliam vult intelligi, quàm *de ſolo illo adiutorio, quod Chriſtus attulit aduersùs ignorantiam, & concupiſcentiam ... vt nemini mirum videri debeat, omnem Chriſti gratiam, qua rectè operamur, adeóque bene viuimus, circa iſta duo vitia voluntatis ſuperanda, curandáque verſari; nam inde profluit, quod, vt aliquoties iam audiuimus, ſi natura non eſſet iſtis vitiis ſauciata, opitulatio ſaluatoris inaniretur, & crux Chriſti euacuaretur*. In quibus verbis aliquid eſt circa gratiam Virginis Deiparæ, de qua nobis poſtea erit dicendum; quod interim velim notari: mox cap. 12. *adiutorium poſſibilitatis, & ſine quo non, quia ſolam credendi v. g. poſſibilitatem tribuit*, è numero donorum Chriſti exiſtimat eſſe reiiciendum. Vult *non eſſe ſolam operis ſupernaturalitatem, quam neoterici* (cum D. Thoma nimirum) *ſemper ponderant, ſed maximè, & capitaliter, adeóque ſolam concupiſcentiam, qua voluntas, & libertas vitiata eſt, propter quam Chriſti medicinale adiutorium neceſſarium eſt*: nec verò putes aliud ac medicinale Chriſti donum à Ianſenio

admitti. Denique vt alia eiuſdem teſtimonia omittam, quæ in hanc ſententiam afferri poſſent; libro octauo de gratia Chriſti cap. 2. prædeterminationem phyſicam *adiutorium Chriſti* nullo pacto eſſe contendit, quòd illa *omnibus agentibus ex vi cauſæ ſecundæ neceſſaria ſtatuitur; Chriſti adiutorium nequaquam, ſed læſæ voluntati propter ſolum vulnus neceſſarium eſt, quod ei inflixit peccantis voluntatis audacia.... Chriſti adiutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandam, non propter generalem cauſæ ſecundæ à prima dependentiam, non propter actuum bonorum ſupernaturalitatem: ſed propter ſolam liberi arbitrij impotentiam, & fractas voluntatis vires, quæ ex libidine, terrenarum concupiſcentiarum dominatione proſtratæ ſunt, hominibus lapſis Chriſti Incarnatione, & ſanguine præparatum eſt: cuius quemadmodum neque paßio, & mors, neque Incarnatio, fuiſſet Angelis, aut hominibus neceſſaria, ſi nemo peccaſſet, ita neque iſtud proprium Incarnationis, & mortis erat adiutorium.* Quorsùm verò tanta loquacitas? aut quò pertinet tantus verborum ſtrepitus? eò fortaſſe, vt quandam peculiarem non omnem veram Chriſti gratiam, eiúſque ſummam neceſſitatem ſignificet? bene eſt; ſed ſi ita ſit, cùm Ianſenius, non ſemel, & temerè, ſed conſtanter omninò neget vllam, cur gratia nobis neceſſaria ſit, cauſam aliam eſſe, quàm pugnam contra motus cupiditatis effrænatos, ipſiúſque gratiæ victoriam: quis non videt, ni planè cæcus ſit, ſupernaturalitatem operis meritorij, aliáque, vnde gratiæ Chriſtianæ neceſſitas petitur, capita, à D. Thoma allata, vt inane quoddam commentum, riſa fuiſſe à Ianſenio atque exploſa?

ARTICVLVS III.

Hoc Ianſenij dogma ad Semipelagianorum errorem proximè accedere demonſtratur.

QVOD de ſumma hominis per peccatum originis deprauatione, ipſiúſq; adeò iugi voluntatis in omne facinus inclinatione docet Ianſenius; liquet ex dictis totũ illud promptum eſſe à Caluino, cum quo tantum habuit communionis,

vt & ad rationem meriti, & actionum ſupernaturalitaté, gratiam deſiderari, non potuerit quin cum illo negaret; quam nefariam adeò perniciosámque doctrinam cùm labefactare, eóque potiſſimùm nomine damnare, quod ad Pelagij errorem accedat, mihi ab initio propoſitum ſit, dicam imprimis eum, cùm ita ſentit, bellum Theologis omnibus ipsíque Eccleſiæ, cum hæreticis indicere. Sed habeo, quem coniuratis illis perduellium copiis opponam, D. Thomam 1.2. q. 109.100.111. & 112. vbi inter præcipuos gratiæ effectus, quos recenſet, eum ponit in primis, quòd hominem ſupra communem naturæ conditionem collocet, eúmque diuinæ conſortem efficiat, iuxta mentem Petri, qui ſic loquitur ep. 2. cap. 1. *Per quem*, ſcilicet Chriſtum, *Deus maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* An tu verò quiſquis es qui id negas, tantæ auctoritatis pondus poteris ſuſtinere? ſed dum copias inſtruis, dum hæreticos duces tuos, an comites, producis in aciem; omnes, quotquot ſunt (ſunt autem plurimi) qui gratiam Chriſti, contra Pelagium defendunt, ſingularémque eius efficientiam commendant ſancti Patres, ex aduerſa parte obiicio. Nam ſi Chriſti gratia nulla ſit, quàm quæ cupiditatis, & ignorantiæ vulneribus medeatur, falſum eſt, quod ſumma illi animorum conſenſione ſemper pronunciarunt, virtutes in Adamo amiſſas per Chriſtum reparari, ereptam reſtitui libertatem, omnia dona inſtaurari.

Falſus Cœleſtinus, qui capite ſexto, *Chriſti Domini*, inquit, *aduentus prouidentia regeneratione ſtatum priſtinæ libertatis reformare dicitur.* Nam ſi, quemadmodum garrit Ianſenius, noua libertas, noua gratia per Chriſtum reddita ſit, non video quomodo *ſtatus priſtinæ libertatis* dici poſſit *reformatus.* Falſus etiam Auguſtinus, qui tam multis in locis affirmat, nos à Chriſto liberatore, perditam recipere libertatem. ita libro 14. de ciuitate Dei capite 11. *Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum, cùm vitio, peccatíſque non ſeruit. Tale datum eſt à Deo, quod amiſſum proprio vitio, niſi à quo dari potuit, reddi non poteſt:* ex quibus patet nouum non recreari, ſed quod amiſſum fuerat, quod datum, reddi. Ecquis verò tam inconſultus exiſtimet à Chriſto in reparan-

Digitized by Google

dâ, quam peccatum fœdauerat, imagine, operam tam parùm feliciter poſitam fuiſſe, vt ad priſtinam perfectionem reuocari non potuerit? deturpatum fuerat ab Adamo diuinum opus, nec quantumuis fuſo Chriſti cruore purgetur, ad priſtinum decorem redire poteſt: quis credat? adeóne verò labes inſita eſt, vt tolli non queat, adeóne deprauata mens, vt renouari minimè poſſit? quid autem renouari aliud eſt, quàm quod inueteratum ſit, in priſtinam dignitatem perfectionémque reſtaurari? Quod à Proſpero in collat. cap. 13. al. 27. clarè eſt explicatum his verbis. *Virtutum ſemina, quæ beneficio creatoris inſerta ſunt, præuaricatione primi parentis euerſa ſunt, nec haberi queunt, niſi eo reſtituente, qui dederat. Reformabilis enim eſt natura humana formatori ſuo, & eorum bonorum, quæ habuit, capax eſt, vt per mediatorem Dei, & hominum, hominem Ieſum Chriſtum in eo ipſo, quod ei remanſit, poſſit recuperare quod perdidit.* quibus non aliam iuſtitiæ formam, non alia ſemina virtutum, ſed eadem, quæ fuerant in Adamo, nos recipere, eadem inſtaurari ſignificatur.

Nec admodum diuerſus eſt ab illo Fulg. de Incarn. & gratia cap. 12. de gratia enim Chriſtiana faciens mentionem, ait *hominis arbitrium, quod ſub ditione peccati malè liberum fuit, veræ, ſalubríſque libertatis recipere denuo ſtatum præueniente gratiæ munere liberatum.* An quidquam prætereà requirat in vocibus his Ianſenius, quod ad priſtinum liberi arbitrij ſtatum non reſtituatur?

At ſi ita eſt, vt dicit, gratiam non eſſe neceſſariam niſi ad ægrotationis illius, quæ partim ab ignorantiâ, partim à cupiditate profecta viget in nobis, ſanationem: quæro num fortaſſe locum in Chriſto habuerit? ſi neget aduerſarius, res eſt confecta. Nam præter gratiã Chriſtianam, datur & altera, quâ Chriſtus præditus ſit. Si concedat, quæro iterum, quorsũ illa pertineret? Cùm enim omnia eſſent in eo pacatiſſima, integerrimáque, gratiæ illius munus fuiſſet nullum, vbi nullus cupiditatis motus erat comprimendus, nullum vulneris veſtigium ſanandum. Quis verò dicat gratiam Chriſti à noſtra eſſe diuerſam, cùm ab eius plenitudine accepimus omnes, cùm ſpiritum ſuum in nos effundat, cùm virtutem ſibi ingenitam tanquam caput in membra ſubiecta influat; quæ

vt & ad rationem meriti, & actionum ſupernaturalitatẽ, gratiam deſiderari, non potuerit quin cum illo negaret; quam nefariam adeò pernicioſámque doctrinam cùm labefactare, eóque potiſſimùm nomine damnare, quod ad Pelagij errorem accedat, mihi ab initio propoſitum ſit, dicam imprimis eum, cùm ita ſentit, bellum Theologis omnibus ipſíque Eccleſiæ, cum hæreticis indicere. Sed habeo, quem coniuratis illis perduellium copiis opponam, D. Thomam 1.2. q. 109. 100. 111. & 112. vbi inter præcipuos gratiæ effectus, quos recenſet, eum ponit in primis, quòd hominem ſupra communem naturæ conditionem collocet, eúmque diuinæ conſortem efficiat, iuxta mentem Petri, qui ſic loquitur ep. 2. cap. 1. *Per quem*, ſcilicet Chriſtum, *Deus maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* An tu verò quiſquis es qui id negas, tantæ auctoritatis pondus poteris ſuſtinere? ſed dum copias inſtruis, dum hæreticos duces tuos, an comites, producis in aciem; omnes, quotquot ſunt (ſunt autem plurimi) qui gratiam Chriſti, contra Pelagium defendunt, ſingularémque eius efficientiam commendant ſancti Patres, ex aduerſa parte obiicio. Nam ſi Chriſti gratia nulla ſit, quàm quæ cupiditatis, & ignorantiæ vulneribus medeatur, falſum eſt, quod ſumma illi animorum conſenſione ſemper pronunciarunt, virtutes in Adamo amiſſas per Chriſtum reparari, ereptam reſtitui libertatem, omnia dona inſtaurari.

Falſus Cœleſtinus, qui capite ſexto, *Chriſti Domini*, inquit, *aduentus prouidentia regeneratione ſtatum priſtinæ libertatis reformare dicitur.* Nam ſi, quemadmodum garrit Ianſenius, noua libertas, noua gratia per Chriſtum reddita ſit, non video quomodo *ſtatus priſtinæ libertatis* dici poſſit *reformatus.* Falſus etiam Auguſtinus, qui tam multis in locis affirmat, nos à Chriſto liberatore, perditam recipere libertatem. ita libro 14. de ciuitate Dei capite 11. *Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum, cùm vitio, peccatíſque non ſeruit. Tale datum eſt à Deo, quod amiſſum proprio vitio, niſi à quo dari potuit, reddi non poteſt:* ex quibus patet nouum non recreari, ſed quod amiſſum fuerat, quod datum, reddi. Ecquis verò tam inconſultus exiſtimet à Chriſto in reparan-

dâ, quam peccatum fœdauerat, imagine, operam tam parùm feliciter poſitam fuiſſe, vt ad priſtinam perfectionem reuocari non potuerit? deturpatum fuerat ab Adamo diuinum opus, nec quantumuis fuſo Chriſti cruore purgetur, ad priſtinum decorem redire poteſt: quis credat? adeóne verò labes inſita eſt, vt tolli non queat, adeóne deprauata mens, vt renouari minimè poſſit? quid autem renouari aliud eſt, quàm quod inueteratum ſit, in priſtinam dignitatem perfectionémque reſtaurari? Quod à Proſpero in collat. cap. 13. al. 27. clarè eſt explicatum his verbis. *Virtutum ſemina, quæ beneficio creatoris inſerta ſunt, præuaricatione primi parentis euerſa ſunt, nec haberi queunt, niſi eo reſtituente, qui dederat. Reformabilis enim eſt natura humana formatori ſuo, & eorum bonorum, quæ habuit, capax eſt, vt per mediatorem Dei, & hominum, hominem Ieſum Chriſtum in eo ipſo, quod ei remanſit, poſſit recuperare quod perdidit.* quibus non aliam iuſtitiæ formam, non alia ſemina virtutum, ſed eadem, quæ fuerant in Adamo, nos recipere, eadem inſtaurari ſignificatur.

Nec admodum diuerſus eſt ab illo Fulg. de Incarn. & gratia cap. 12. de gratia enim Chriſtiana faciens mentionem, ait *hominis arbitrium, quod ſub ditione peccati malè liberum fuit, veræ, ſalubríſque libertatis recipere denuo ſtatum præueniente gratiæ munere liberatum.* An quidquam prætereà requirat in vocibus his Ianſenius, quod ad priſtinum liberi arbitrij ſtatum non reſtituatur?

At ſi ita eſt, vt dicit, gratiam non eſſe neceſſariam niſi ad ægrotationis illius, quæ partim ab ignorantiâ, partim à cupiditate profecta viget in nobis, ſanationem: quæro num fortaſſe locum in Chriſto habuerit? ſi neget aduerſarius, res eſt confecta. Nam præter gratiā Chriſtianam, datur & altera, quâ Chriſtus præditus ſit. Si concedat, quæro iterum, quorsū illa pertineret? Cùm enim omnia eſſent in eo pacatiſſima, integerrimáque, gratiæ illius munus fuiſſet nullum, vbi nullus cupiditatis motus erat comprimendus, nullum vulneris veſtigium ſanandum. Quis verò dicat gratiam Chriſti à noſtra eſſe diuerſam, cùm ab eius plenitudine accepimus omnes, cùm ſpiritum ſuum in nos effundat, cùm virtutem ſibi ingenitam tanquam caput in membra ſubiecta influat; quæ

voces omnes tum à Scriptura, cùm à Patribus Tridentinis vſurpari ſolent, vt varij multiplicéſque gratiæ effectus explicentur?

Quòd ſi gratiæ Chriſtianæ vis tota in eo ſita ſit, quemadmodum contendit Ianſenius, vt aſſurgentes identidem cupiditatis motus frænet, & vincat: nónne iidem Tridentini Patres parùm conſulti videbuntur, qui ſeſſ. 6. Catholicam de iuſtificatione, gratiáque Chriſtiana doctrinam proponere, & contra omnes de eadem præteritas futuráſque deinceps hæreſes dicendo illuſtrare palàm profeſſi, ita quæſtionis inſtitutæ fuerint immemores, vt in perpetua triginta trium canonum ſuper ea re habitorum complexione, de cupiditate illa verbum omnino nullum fecerint?

Vereor etiam quid de Virgine Deiparâ ſit dicturus, in qua gratiam ſuam ſi collocet, periculum eſt, ne ſit inutilis, atque otioſa. Cùm enim partes illius ſint, vt pugnet & vincat, quid demùm muneris, aut officij habere poterat in Deipara, in qua (vt conſtans eſt omnium Theologorum opinio) eiuſmodi pugnæ locus non fuit? Nam quis neſciat fomitem peccati, à quo potiſſimùm exiſtunt impotentes perturbationum animi motus, atque inteſtina, quibus miſeris modis conflictamur, diſſidia; in ea ſaltem vbi Chriſti mater effecta eſt, prorsùs fuiſſe extinctum? Nam par conſentaneúmque videbatur, vt locus is tranquillitatis eſſet pleniſſimus, in quo loco ſedem ac domicilium, ſummum numen voluerat ſibi conſtituendum. Quis autem bene ſanus gratiam ſtatuat in ea ſegnem & vacuam, in qua tantus fuit meritorum ad gloriam & beatitudinem cumulus? Tu verò, noue Doctor, quâ fronte, & quâ oris importunitate Deiparæ negabis libertatis indifferentiam, quæ (ſic enim doces) non poteſt tolli, niſi ab inſano prauæ cupiditatis dominatu; is autem cadere in Virginem non potuit? Dicas igitur neceſſe eſt, eandem in eâ, ac in Adamo fuiſſe gratiam, cuius vſus à libero eiuſdẽ arbitrio pendebat: vnde cõſequens eſt, in ipsâ Deiparâ Chriſti gratiam fuiſſe planè nullam, neque eas ſanctimoniæ dotes, quas ſingulari Dei liberalitate acceperat tam inſignes, atque eximias, ad Chriſti gratiam vllo pacto pertinuiſſe. Quas voces quis catholicus animo ſatis æquo ferre poſſit?

Digitized by Google

Ex quibus pæne confectum eſt, quod erat inſtitutæ quæſtionis, Ianſenij doctrinam ad Pelagianorum, & Semipelagianorum errores quàm proximè accedere. Si enim id, in quo gratia iuuat hominem, ſupernaturale non eſt; procul dubio naturæ eius vires, facultatéſque ipſas naturales ſuperare non videtur. Quod ſi ita ſit, abſque gratiæ ope id poteſt homo, quod ſupra ſe non eſt poſitum: nec adiumentum illud deſideratur, niſi vt quod per ſe ſe poteſt, faciliùs operetur; quod omninò Pelagianum eſt.

Deinde, ſi gratiæ illius quam venditat Ianſenius, efficientia, víſque omnis in eo poſita ſit, vt carnis cupiditates frænet, ac moderetur: cùm exiſtant interdum in nobis quædam laudis, & humanæ honeſtatis cupiditates, quas vincere non eſt ita difficile, & operoſum, quod à Ianſenio gratiæ Chriſti præcipuum atque ſingulare tribui ſolet, id erit noſtra in poteſtate poſitum. Hoc autem profiteri quid aliud eſt, quàm conſpirare cum Pelagio, qui quod gratiæ tribuendum eſt, concedebat naturæ?

Ad extremum, ſi Ianſenio fides habeatur, ſalutem conſequuntur abſque Chriſti ope non pauci. Quod dogma à Semipelagianis videtur petitum, qui Chriſtum aliorum ſaluatorem; aliorum verò ſuſceptorem tantùm, atque adiutorem eſſe affirmabant. Id porrò ex eo fit manifeſtum, quod plerique eorum, qui ſalutem adepti ſunt, nullos cupiditatis immoderatæ motus gratiæ illius vi, & ope ſuperarunt; quod vel in infantibus poſt baptiſmum ante rationis vſum vitâ functis, vel in ipſis adultis poſt petitum acceptúmque baptiſmũ in furorem, & amentiam lapſis, contingere interdum poſſe, nullus eſt, qui non ſentiat. Quis autem dicat eos ad gloriam perueniſſe abſque gratiæ Chriſti ope; niſi idem cum Semipelagianis conſentiat, quorum fuit is error caſtigatus à Proſpero lib. contra coll. cap. 38. & ab Auguſt. in Iuliano, & Pelagio lib. 1. ad Bonif. cap. 21. vt Chriſtum ſaluare alios, alios tantùm ſuſceptos in clientelam adiutare exiſtimarent?

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De gratiæ Chriſti natura, & eſſentia dogma Ianſenij aſſertur.

ARTICVLVS I.

Quæſtionis ſtatus proponitur.

CVM multæ ſint apud Theologos omnes, ipſúmque diuinum doctorem gratiæ diuiſiones; primaria meritò cenſetur ea, quâ in habitualem, & actualem diſtingui ſolet; illa, primum, quo fit homo iuſtus, Dei donum, ſi quid tamen diſcriminis habet à charitate, omnes virtutes infuſas, eáſque potiſſimùm, quæ Theologicæ appellantur in ſcholis, fidem videlicet, ſpem, charitatem, ſuo quaſi ambitu complectitur. virtutes porrò à Deo inditæ in eo differunt ab acquiſitis, quòd non tantùm facilitatem ad agendum afferant, ſed ſint veluti facultates ipſæ, quibus bene agi poſſit: vnde ab Aug. *boni poſſibilitates* appellantur, ſúntque eiuſmodi, vt eum, in quo fuerint, otioſum licèt, & vacantem, ſomnóq; oppreſſum, Deo tamen gratioſum exhibeant; quòd ipſam iuſtitiæ formam, quâ ſolâ Deo placere poſſumus, in ſe continere dicantur.

Præter illud gratiæ genus, alterum admittitur à Theologis actuoſum illud, & eam ob rem actuale vulgò nuncupatum; quod in actibus voluntatis, & intellectus ſitum ſit, in eo verò omnes pij motus affectionéſque etiam non deliberatæ, omnes bonæ voluntatis motiones, illuſtrationéſque mentis, quæ abſque libero deſtinatóque motu fieri ſolent, delectationes ipſæ, & boni conciliatrices illecebræ, tanquam ſuo ſupremo genere continentur. Iſtud autem alterum gratię genus à D. Thoma non tam gratiæ quàm illius quoddam adiutorium appellari ſolere, à me ſuprà fuit obſeruatum.

Verùm

Digitized by Google

Verùm cùm longè aliter ea de re ſentiat cum ſuo duce Caluino Ianſenius; vt omnis eius in hanc partem doctrina intelligatur, memoriâ repetendum, quod ſuprà dictum eſt; Eum nolle, hominem prima labe fœdatum, habere volitionem bonam liberam, eiuſdémque rationis cum ea, quam Adamus innocens habebat. Tunc enim iſte bonum volebat ope quidem gratiæ, ſed *per liberum arbitrium*, ac volũtatem, non *per gratiam* ad illum actum determinabatur, inquit Ianſenius: nunc porrò *cum voluntate* quidem volumus bonum, ſed *per gratiam* non *per voluntatem.* quæ etiam planiùs explico, vt illius mens magis perſpecta habeatur. Tunc Adamus actum volendi ita eliciebat, vt poſſet, cùm ei libebat, non elicere; eiúſque voluntas erat verè, propriéque cauſa à qua effectus is conſequebatur. Quemadmodum in omni deliberatione electionem, conſenſúmque liberum à voluntate proficiſci docent Theologi: nos verò, quorum conditio per peccatum facta eſt deterior, boni volitiones habemus in præſentia, ſimiles affectibus iis, piiſque motibus, quos iidem Theologi vocant repentinos, ac non deliberatos. quas quidem, quippe quæ vitales ſint, non tantùm in voluntate recipi, verùm etiam ab ea fieri, plerique Doctores ſunt qui affirment: cùm non deſint qui voluntatem in illis producendis patiendo tantùm, non agendo ſe habere, & eſſe quaſdam, quæ in ea exiſtunt à rebus obiectis impreſſiones, contendant; Ita fermè de illis ſentiebat Lutherus damnatus in Synodo Trident. ſeſſ. 6. can. 4. in quo anathema pronunciatur omni qui dixerit: *Liberum arbitrium à Deo motum nihil cooperari, ſed velut inanime quoddam nihil agere, meréque paſſiuè ſe habere.* Ad illam Lutheri ſententiam, facta eſt ex Caluini, eiúſque diſcipulorum opinione quædam acceſſio. Has enim volitiones eadem propè ratione fieri exiſtimabant, ac viſio fit ab oculo: rei deſideratæ appetitio, ab appetitu: affectionéſque & motus omnes ſubiti, & non deliberati à voluntate: quæ omnia Caluinus negat à libertate proficiſci. Nihil erat procliuius Ianſenio, quia pedem non figebat in vacuo, quàm vt vlteriùs etiam progrederetur; eóſque voluntatis actus, quòd erant ſpontanei, liberos eſſe affirmaret.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Caluiniſtarum ſententia exponitur.

HIs ritè obſeruatis, quid Caluinus, eiúſque ſectatores in hanc partem ſenſerint, videtur etiam magis explicandum. Cùm autem omnis inſtituta quæſtio in eo verſetur, vt quid de gratia ſtatuendum ſit, penitus exploretur, quæ fuerit eorum ea de re opinio breuiter expedio. Gratiam Chriſti nullam admittunt aliam, quàm fidem illam iuſtificantem, de qua ſermo eſt apud illos tam multus, ſiue certam animi fiduciam, quâ homo ſe per Chriſti merita credit ad gloriam deſtinatum, & in illo Dei placito fidenter acquieſcit; adeò vt multa tam reprobis, quàm deſtinatis ad gloriam qui baptiſantur, dona conceſſa à Deo, fidémque ipſam quam dogmaticam hiſtoricámque vocitant, vltro fateantur, nihil tamen eorum ad Chriſti gratiam pertinere velint. Cùm enim cenſeant gratiam eſſe ipſam præceptam animo ſalutis fiduciam, & diuinæ voluntatis prædeſtinantis acceptationem; illam in ſolos electos cadere tantùm poſſe arbitrantur. Quamobrem ſolam hominis iuſti actionem, volitionémque omni dono habitualis gratiæ excluſo, veram, & propriè dictam Chriſti gratiam eſſe docent: eos audiamus. Sic Caluinus in Antid. ad cap. 8. ſeſſ. 6. Trident. *Falſum eſſe contendo, vllam iuſtitiæ partem in qualitate ſitam eſſe, vel habitu, qui in nobis reſideat, ſed gratuita acceptatione nos eſſe iuſtos .... tum verò hoc gratiæ initium eſt, vt ex nolentibus, adeóque repugnantibus faciat volentes.* Cùm autem habitum excludat omnem, reliquum eſt, vt in ipſo voluntatis actu gratiam conſtituat: hæc autem Caluino eſt prima gratia. In Reſp. ad lib. 4. Pigh. pag. 181. *Non ſolis vice, nobis eſt gratia, in quam oculos dirigamus, ſi libeat, ſed oculos etiam mentis noſtræ dat, & aperit, vt lucem veritatis in verbo ſuo refulgentem videamus.* Si præter lucem, & illuſtrationem, aliud gratiæ adiumentum Caluinus admitteret, fortaſſe non erraret: ſed errat in eo, quod cum Ianſenio negat Chriſti adiutorium eſſe id omne, quo vtimur,

Digitized by Google

ſi libet, & in eo totam gratiam Chriſti collocat, quod oculos mentis aperimus, quod aſpiranti gratiæ conſentiendo facimus.

Clariùs etiam, ac minùs perturbatè loquuntur Synodi Dordracenæ Doctores ſeſſ. 99. ad artic. primum Remonſtrantium, ſect. 7. *Gratia,* inquiunt, *propriè eſt efficax motus, & tractus miſericordiæ Dei in mentibus, & cordibus electorum, fidem, conuerſionem, & perſeuerantiam ineffabili modo operantis,* quem modum ponunt in eo quod gratia ſit *irreſiſtibilis.* Et ſi quis rerum iſtarum non incurioſus ſcire velit, quàm multa in reprobis gratiæ dona Caluini aſſeclæ admittant, etiam tum cùm negant vllos alios quàm electos ad Chriſtum pertinere, acta eiuſdem Synodi quæ extant pag. 765. & ſequentibus conſulat, vbi habetur ſententia Theologorum Britannorum de 5. artic. qui eſt de perſeuerantiâ Sanctorum; tum (opinor) mirari deſinet, quî fieri potuerit, vt Ianſenius, qui procul dubio à Caluiniſtis illis Gommariſtis contra Arminianos diſputantibus, didicit bene multa, licèt pleraque gratiæ dona agnoſcat, ea tamen à Chriſti beneficentia profecta neget. Quod verò de illa fide iuſtificante, quæ diuerſa eſt ab ea, quam dogmaticam vocant, ex Caluiniſtis allatum eſt, Petrus Molinæus, in ſua confeſſione, quæ extat in actis illis ſeſſ. 143. docens fidem illam eſſe duntaxat electorum, hæc habet: *Nempe quia fides electis peculiaris eſt, & ab electione fluens; nam fidei voce doctrinam Euangelij non poſſe hîc intelligi hinc patet, quia doctrina Euangelij etiam reprobis proponitur, nec electis peculiaris eſt.* Poſt illa acta habentur aſſertiones Prouincialium, in quibus deputati Synodi Geldricæ ad articulum 3. pag. 258. non aliam gratiam Chriſti admittunt, quàm cùm homo actu intelligit, aut vult. *Poſſibile,* inquiunt, *eſt, vt homo ſpiritualia intelligat, cùm mens illius aperitur, & intelligit actu; quamdiu aperta non eſt, nec actu intelligit, nec potentiâ vllâ innatâ, aut reliquâ ſibi, eò aſſurgere poteſt, vt intelligat. Eadem eſt omnino ratio voluntatis. poſſibile eſt, vt homo bene velit; cùm dat Deus illud bene velle, bene vult actu: ſi non detur illi illud bene velle, nec bene vult actu, nec potentia vlla ipſi ſupereſt, quâ poſſit voluntatem determinare ad bonum, quod quidem verè, & Theologicè bonum ſit. Certum eſt*

Digitized by Google

eum, qui nec actu vult bene, nec vllo modo velle poteſt, nullius Chriſtianæ gratiæ eſſe participem.

ARTICVLVS III.

Quid ea de re ſentiat Janſenius.

VT Ianſenij animus, ſuper inſtitutâ quæſtione, pleniùs pateret, erat nobis per Caluini mentem, ad eum aditus quærendus; Quod cùm ſuperiori capite copioſè factum ſit, vbi via patefacta eſt, non poteſt non eſſe procliuis, & expeditus ad reliquam diſputationem exitus. Omnis itaque illius circa gratiæ naturam doctrina duabus his ſententiis, quaſi partibus videtur contineri. Primò, ſolum voluntatis conſenſum, ſeu bonam volitionem, quam ille pro more ſuo liberam appellat, quòd ſpontis noſtræ ſit, Chriſti gratiam propriè dici poſſe: Secundò, hunc voluntatis actum eſſe ipſum Dei amorem, dilectionémque perfectam; quæ in ſcholâ charitas Theologica nuncupatur; quod iam in Ianſenio, & eius apologiſta à P. Petauio fuit notatum in tract. 1. de lege & gratia lib. 2. cap. 1. & 5.

Quod ad priorem partem attinet; non diſſimulabo dictum ab eo libro ſecundo de gratia Chriſti cap. 4. gratiam Chriſti, ſeu *adiutorium eſſe ipſum, quod ſuapte efficacia facit influere facultatem & inuictè facit, vt hoc, vel iſtud arbitrium arbitretur, & velit.* Quo loquendi modo ſignificatur non ipſe conſenſus, ſed id, quo excitante, & efficiente fit conſenſus. Tum verò paſſim aliis in locis, tum præſertim libro 4. in quo de gratia Chriſti quantùm ad eius naturam, & diſtinctiones diſputatur, docet gratiam conciliatriculam illam eſſe ſuauitatem delectationémque, quâ voluntas perfunditur, motum quendam primarium, cúmque non à deliberatione profectum, quo imprudens occupatur; denique deſiderium, quo ad volendum, agendúmque bonum ſuauiſſimè inclinatur; quibus quaſi illecebris victa voluntas, ad bonum comparata, & vt cap. 1. loquitur coaptata actu libero, ſeu libens aſſentitur.

Verùm vt hæc aliáque eiuſmodi à Ianſenio de gratia a-

ctuali non inficior præclarè appoſitéque ad rem ipſam eſſe dicta; ita contendo eum multis paſſim in locis fuiſſe ſic locutum, vt ſe nullam aliam Chriſti gratiam, quàm ipſam volitionem liberam profiteri, non obſcurè ſignificet: ſic quippe gratiæ vim & energiam explicat l. 2. de gr. Chr. c. 4. vt eam cauſam formalem eſſe velit, quâ fiat homo volẽs formaliter, quæ eſt ipſa volitio, conſenſúſque motioni præuiæ datus. Nam cùm duplex ſtatuat adiumentum gratiæ: *alterum ſine quo non: alterum quo; & illud poſſibilitatis, iſtud volitionis, & actionis*, appellet, vtrumque ſic explicat, vt prius efficientem, poſterius formalem voluntatis bonæ cauſam eſſe dicat. Vt enim aperiat, quomodo per *adiutorium quo, fiat determinatè vt voluntas velit, ſitque illius naturæ, vt hoc ipſo quo voluntati datur, confeſtim velit; talis inquit, eſt influxus omnis cauſæ formalis: hoc ipſo quippe, quo datur iuſtitia, fit iuſtus animus, & ſine illa iuſtus eſſe nunquam poteſt.* quod cùm dicit, periculum eſt, ne parùm conſideratus videatur, ni pari iure velit, adiutorium illud eſſe tale, quo formaliter volens voluntas fiat, quemadmodum iuſtitia eum, quem complexa fuerit, facit formaliter iuſtum. Quod etiam liquidò magis ab eodem dicitur lib. de gr. prim. hom. c. 14. *Duplex*, inquit, *eſt adiutorij genus, & conſequenter duplex adiuuandi modus. Vnum eſt adiutoriũ quo, alterum ſine quo non: hoc eſt, vnum eſt, quo aliquid fit: alterum ſine quo non fit. Exemplis res illuſtranda eſt. Viſio eſt adiutoriũ vt videas, ſed ita adiuuat, vt ea poſita ſtatim videas, quod in omnibus cauſis formalibus locum habet; in efficientibus autem tale adiutorium eſt illa ſimultanea cooperatio Dei: illâ quippe datâ confeſtim ſine mora fit operatio, quæ niſi detur, nunquam fiat.* Quod exemplum ſi ad Chriſti gratiam ritè explicandam videatur accommodatum, fateatur oportet gratiam Chriſti eſſe quidem efficientem cauſam volitionis, quatenus illa eſt Dei operatio, quæ quidem in Deo eſt, ſeu ipſa eſt Deus operans: quo ſenſu Theologi etiam Deum, & Spiritum ſanctum, gratiam ſolent interdum appellare, ipſéque diuus Doctor 1. 2. q. 110. art. 1. quærens vtrum *gratia ponat aliquid in anima*, ait, *quandoque gratiam Dei dici ipſam æternam Dei dilectionem.* de quâ gratiâ in hanc ſignificationem acceptâ, hîc nobis ſermo non eſt, ſed de dono creato, & in animam infuſo. At

creatum illud à Ianſenio non ponitur aliud quàm ipſa volitio, qua æquè fiat homo volens, ac viſione fit videns: quod ipſius Auguſtini auctoritate confirmat Ianſenius, ex libro de correp. & gratia cap. 12. vbi in exemplum *adiutorij quo* beatitudo affertur; quæ cùm datur homini, continuò fit beatus. Quod ſi ſolum *adiutorium quo* eſt Chriſti, illúdque hominem velle facit perçquè ac beatitudo beatum: nónne inde fit manifeſtè conſequens, *adiutorium quo*, ſeu gratiam Chriſti nihil creatũ eſſe aliud quàm ipſam volitionem, actionémque?

Illa eſt nimirum expoſitio famoſi illius ænigmatis, quod libro ſexto de gratia Chriſti capite octauo ita perplexum proponit, atque impeditum, cùm ait *voluntatem ſub gratia quæ facit eam facere, idcirco eſſe liberam, quia gratia voluntatem nihil agentem potentiſſimè velle, & operari facit.* Neque enim admodùm difficile eſt intelligere voluntatem Deo operante velle & operari, quia volitionem accipit, quam ipſa non agat, ſed patiatur, ſimúlque vi ſuâ aliquid operari, mouendo videlicet facultates ſibi ſubditas, & ad opus adhibendo, adeo vt gratia creata ſit *affectus paſſiuus*, quemadmodum Caluiniani Embdani in actis Dordracenis pag. 734. loquuntur. Prætereà palàm etiam fit myſticum illud de duplicis adiutorij diſcrimine dogma, quod doctor noſter identidem repetit adiutorium *ſine quo non* tale eſſe, vt eo voluntas vtatur, ſi velit, adiutorij verò *quo*, parem non eſſe rationem, quia cùm ſit ipſa volitio, tam ineptè dicitur iuuare voluntatem ſi velit, quàm ineptè diceretur voluntas velle, ſi velit; quod qui dicat nugas agat. Item cùm ait adiutorium *ſine quo non ſit*, iuuiſſe voluntatem Adami, vt non ſine eo, ſed cum eo fieret voluntas bona, non tamen per illud, ſed per voluntatem ipſam, quæ ſua vi pollens, id per ſe ſe poterat, nunc verò adiutorium *quo*, quod Chriſti eſt, eiuſmodi eſſe, vt per illud fiat bonum cum libero arbitrio, non tamen vi illius, nec per illud: ô ambages, ô tenebras, ô impedimenta! At facilis eſt explicatus, ſi in particulâ *per* cauſam formalem, *cum* verò materialem intelligas.

Verùm ne cuipiam fortaſſe in hoc loco videar hariolari, & Ianſenij mentem partim coniecturæ, partim etiam argutiarum vi expreſſam ad meum ſenſum detorquere; ipſa eius

verba proponam, ex quibus quod contendo, manifeſtiſſimum fiat eum non aliam Chriſti gratiam admittere, quàm bonam volitionem. Lib. 2. de grat. qui vt iam monui, inſcribitur *de vera voluntatis gratia quantum ad operandi modum*, capite 22. docet, *genuinam gratiam medicinalem, id eſt, Chriſtianam, non eſſe habitualem, nec quamlibet actualem Spiritus ſancti motionem eſſe, ſed illam tantùm quâ Deus ipſum velle, & operari operatur*. Quod probat ex eo quod cùm Eccleſia orat diuinam opem, ipſum velle, & operari orat, & hoc *ipſum directè petit vt ad bonum voluntas hîc & nunc determinetur. Ipſa igitur determinatio voluntatis etiam hîc & nunc ad volendum, & operandum eſt propriè dictum diuinæ gratiæ donum.* Et ne quis fortè determinationem actiuam, non verò formalem, quæ eſt ipſa volitio intelligat; eodem loci ait *eſſe id quod petimus, cùm velle ipſum petimus*, (addit) *gratiam Chriſti eſſe illam poſtremam gratiam, qua ipſe nutus poſtremus voluntatis, hoc eſt determinatio, & inclinatio voluntatis ad conſentiendum, volendum, agendúmque donatur.* Vnde patet à Ianſenio determinationem ad bonum nullam eſſe aliam, quàm nutum ipſum voluntatis, quæ eſt poſtrema gratia, & Chriſti donum. *Hoc ipſum ergo*, inquit, *quo ſe voluntas hîc & nunc determinat, eſt præcipuum, & propriè dictum diuinæ gratiæ donum*. Sanè quidem determinatio, quâ ſe volũtas inclinat ad agendum, nulla poteſt alia excogitari, quàm ipſa volitio libera. Hæc porrò apud Ianſenium, *præcipuum, propriè dictum, & ſolum eſt diuinæ gratiæ donum*; adeovt cuiuſuis alterius gratię habitualis, aut actualis donũ gratiæ Chriſtianæ rationem nullatenùs habere poſſit: vnde cõcludit *ſolam illam gratiam, quæ fidelium precibus imploratur, quæ eſt Chriſti, quaque facit prodeſſe doctrinam, eſſe ſolam illam poſtremam gratiam, qua voluntatis nutus determinatur: hæc eſt vera, & poſtrema, & genuina Chriſti gratia*; quàm timet ne non ſatis explicatè loquatur: aliæ ſiue in actu, ſiue in habitu poſitæ non ſunt veræ, genuinæ, & propriè dictæ Chriſti gratiæ, ſed ad ſummum Adamicæ, & Pelagianæ, vt poſtea explicabitur. Quo etiam in loco addit intelligere ſe illud Dei, & diuinæ gratiæ, donum, quod à Deo præcipitur homini, cùm ei dicitur, *crede Deo, dilige Deum, fac bonum*, hancque eſſe voluntatis illam, quam tantopere commendat, determinatio-

nem, quámque cap. 23. ait eſſe *natum ipſum voluntatis conſentientis, ſiue annuentis, ſiue volentis, ſiue ſeſe determinantis flexum & conuerſionem, inclinationem & directionem, quæ eſt victoria tentationis, & alterius determinationis ad malum.* Cùm verò dicitur, *quod Deus in nobis operatur velle, facitque vt faciamus, quid eſt niſi Deus operatur noſtræ voluntatis determinationem? hoc ipſum, & nihil aliud eſt auferre vnam voluntatem, ac dare alteram, auferre cor lapideum, ac dare cor carneum, quorum vtrumque in ſola voluntatis determinatione ad bonum, aut malum ſitum eſt.*

Ex quibus manifeſta mens eſt aduerſarij, qui vult non modò volitionem, nutúmque voluntatis conſentientis eſſe gratiæ Chriſti donum; quod illi aſſentior: id enim ex Diui Auguſt. teſtimonio planè liquet; ſed etiam volitionem illam ſolam Chriſti gratiam meritò dici, quod nec ab Auguſtino vſpiam dictum, nec doctrinæ Catholicæ vllo pacto accommodatum eſt, niſi fortè quis hæreticos ferendos putet, qui ſolam fidem iuſtificare profitentur, quia eam Chriſtianæ iuſtitiæ partem eſſe Catholici omnes vltro concedunt.

Nunc verò cùm piæ bonæque voluntatis varia multiplexque ſit ſpecies pro varia, ac multiplici partium earum, quas ſibi adiunctas habet complexione; atque adeò Dei dilectio alia ſit inchoata, cuiuſmodi eſt ea, per quam fides ipſa fit; alia perfecta, quæ fidem, ſpem, reliquáſque virtutes complectatur; ſolam illam Dei charitatem, cæteris omnibus è numero diuinorum Chriſti beneficiorum excluſis, veram Chriſti gratiam eſſe Ianſenius conteſtatur. Quamobrem autem? planè non video, niſi fortaſſe quod exiſtimauit ſe Luthero, atque Caluino, quibus ſtudet imprimis, gratificari, ſi quoad fieri poſſet, eorũ veſtigiis inſiſteret. Neque enim neceſſe eſt commemorare, quàm proximè in ea parte ad illorum errorem accedat; ſatis erit oſtendere, hanc illius fuiſſe mentem, quod ſine multo negotio fieri poteſt; Nam quid clariùs, quàm quod lib. de gratia primi hominis habet? c. 5. cùm dixiſſet, *nec iuſtitiam præcepti, ſeu boni operis, niſi ſola charitate diligi, nec niſi eadem ſola iniuſtitiam operis iniuſti reſpui*: ſubiicit ſe non aliam intelligere charitatem, quàm *quæ propriiſſimè dicta, notiſſima intrinſecus hominem iuſtificat, quæ eſt amor iſte grandis charitatis diuinæ, qua Angeli ſancti lucere, ac feruere noſcun-*

tur;

tur; vt ibidem cap. 6. & 11. loquitur, & capite 10. vocat *altiſſimam illum charitatem, quâ ſolâ peccatum quodlibet ſub ratione peccati declinari poteſt.*

Adeò videlicet difficile eſt continere ſe, vbi ſemel præcipitari cœptum eſt. Durum fortaſſe fuit Ianſenio id dicere; ſed erat dicendum, ne à principiis ſuis recederet. Cùm enim cenſeat acceptam à peccato originis plagam eam eſſe, quæ nos omni ad bonum malúmque voluntatis indifferentia ſpoliarit, adeóque ni diuinæ Chriſti opis adfuerit præſidium, impotenti cæcæ cupiditatis imperio, in omni actione noſtra ad peccandum compellamur; cúmque id proni ſemper habeamus, nos poſitos in procliui ſolius charitatis illius Theologicæ affectus ſuſtinere primùm, tum pari, maioríque interdum momento ad bonum rapere poſſit; nec illud Chriſti adiumentum aliorſum pertinere queat, quàm vt cupiditatem frænet: neceſſarium videbatur, vt omnibus aliis, quæ afferri ſolent, diuinæ gratiæ præſidiis repudiatis, totam eius vim, in vno charitatis illius, quam tantopere prædicat, affectu collocaret. Neque enim quiſquam vllum gratiæ donum admiſerit, niſi vel vt ametur iuſtitia, vel vt peccatum vitetur. Plurima in hanc ſententiam alia lib. 5. de gratia Chriſti, ab illo memorantur, quæ, vt cuique erit copia, & legi poterunt, & examinari: de hoc verò eiuſdem dogmate, dicendi locus erit, cùm de adiutorio *quo* diſputabitur. Nam cùm iſtud vnicum Chriſti donum eſſe velit, promptúmque illud ſit ex cap. 11. & 12. lib. de corrept. & gratia, vbi Auguſtinus ſumit illud pro dono ipſo formali perſeuerantiæ finalis, inde patet totam Chriſti gratiam, inſtitutam à Ianſenio eſſe id quo formaliter agimus, non quo adiuuamur ad agendum, ſicut apud Auguſt. memoratum adiutorium *quo* non eſt id, quo adiuuamur ad perſeuerandum, ſed eſt id quo perſeuerantes fiunt formaliter ſancti, ſicut beatitudine beati. Ex hac verò doctrina petuntur illæ & falſitatis & ſcandali plenæ voces à Ianſenianis vſurpatæ in pulpitis: qui eleemoſynam facit, aut miſſam audit in ſtatu peccati, eum nihil quod ad ſalutem proſit, agere, atque adeò ad peccata quorum reus eſt, nouum crimen addere.

Digitized by Google

Articvlvs IV.

Hoc dogma hæreticum demonſtratur.

CVm quæ de Chriſti gratia dicta ſunt à Ianſenio, quam in ſola boni *volitione* conſtituit, iis pugnent quæ à Patribus, & Conciliis dicuntur, neceſſe eſt veritatem, quæ partis vtriuſque eſſe non poteſt, ab alterutra fuiſſe violatam. Nam quis neſciat quanto animorum conſenſu Arauſicana Synodus II. Tridentina ſeſſ. 6. cap. 5. & 6. Innocentius, cæteríque Patres doceant gratiam Chriſti prorſus eſſe neceſſariam homini, non tantùm vt Deum perfectè diligat, verùm etiam, vt aliquid boni velit quod non vſquequaque perfectum ſit, nec tantùm vt velit, ſed vt etiam velle poſſit; adeóque ex illorum ſententia non tam ipſa boni voluntas, aſſenſúſque, quàm eius cauſa, diuinæ gratiæ munus ſit, quo Deus operatur in homine ipſam boni voluntatem; quæ quidem non eſt primum illud quo vocamur, excitamúrque vt bonum velimus, & conſentiamus gratiæ; alioquin conſentire conſenſui diceremur, quod puerile eſſet, ac nugatorium. Nec opinor exiſtimandum eſt, cùm comparatur animus ad bene agendum, per ipſum actum, quo illud vult, diſponi; voluntas enim præparari debet per aliquid præuium, quo demum conſenſus eliciatur.

Quod planum per ſe ſe licèt eſſe videatur, atque expeditum; aliqua tamen petitæ ab Auguſtino auctoritatis acceſſione illuſtrari debet, ne quid aut dubium, aut obſcurum in ea parte eſſe poſſit. Sic ille lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit, vt velimus bonum .... præparatur voluntas à Domino ... certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati*. Quis verò bene ſanus voluntatem ipſam, ſiue volitionem vires efficaciſſimas datas voluntati vt velit, eſſe dicat? Si filius Dei gratiâ receptâ vt agat, Spiritu diuino agitur; ipſum quod agit quis gratiam ad agendum appellarit? Nam quamobrem agit? credo, quia anticipatâ motione gratiæ incitatus animum induxit, vt ageret. Priùs enim voluntas

deſuper agitur, & Deus primam bene agendi voluntatem, in homine ipſo liberè non operante operatur.

Eſt verò hîc monendus aduerſarius, vt ſecum aliquando reputet, quò demum ſe inducat, quibus ambagibus implicet ſe ſe, & quæ deliria deliret. Nam quî fieri poteſt, vt quidquam Deus faciat cum nobis ſine nobis? Subtilis eſt profectò & acutus, qui iſta myſteria reperiat: ſed quod tam impeditæ doctrinæ fidem facere putat, haud ſcio an cordato vlli queat non videri ridiculum. Si enim Deus facit in nobis gratiam ſine nobis, volitionem verò, & ipſum velle nobiſcum: non poteſt dici, quod laboret tantopere vt probet, volitionem ſolam eſſe gratiam Chriſti propriè dictam.

At auctoritatem Auguſtini, quã tute ipſe tanti facis Corneli, non defugio, adeamus in ius, nec, quod à fraudulentis litigatoribus fieri ſolet, vadimonium deſeras, ne cauſâ cadas. Audi iudicem, ad quem prouocas, pronunciantem libro 1. ad Simpl. quæſt. 2. in fine; & in Enchir. cap. 32. vbi exponens illud dictum Pauli ad Rom. 9. *non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei*, quærit quare non peræquè viciſſim dicitur, non eſt Dei miſerentis, ſed hominis volentis, atque currentis, cùm *homo ſi eius ætatis eſt, vt ratione iam vtatur, non poſſit credere, ſperare, & diligere, niſi velit, & id ex vtroque fiat, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordia Dei. Si enim quia non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei*, idcircò dicitur eſſe miſerentis Dei; quia non ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi voluntas hominis cum illâ coniunctè ſe non habuerit; pari iure dicendum eſt quod homo currit, eſſe volentis hominis. Quam difficultatem hoc tantùm modo ſolui poſſe ait, *Reſtat* (inquit) *vt propriè rectè dictum intelligatur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.... nolentem præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* Tum in Enchir. docet 1. hominem non poſſe credere niſi velit, adeóque non Adami tantùm, ſed noſtram quoque gratiam eam eſſe, quâ vtamur, ſi volumus, quod negat aduerſarius. 2. ſignificat nos non ſine gratia, ſeu nos cum ea, & per eam bene velle, nec tantùm cum libero arbitrio, ſed

etiam per ipſum credere, & diligere. 3. Deum gratiâ ſuâ præparare voluntatem, vt eam iuuet; vnde efficitur præparationem iſtam, quæ fit per Chriſti gratiam, non eſſe ipſam volitionem, cùm ſit via ad illam.

At mentem ſuam etiam apertè magis declarat in lib. illo ad Simplic. vbi obſeruans ab Apoſtolo gratiam commendari ſic, vt qui gloriatur, non quidem nullo modo glorietur, nam liberè agit, ſed ita glorietur, vt in Domino, non in ſeipſo glorietur, hæc habet; *vocantis eſt gratia, percipientis verò gratiam, conſequenter ſunt opera bona, non quæ gratiam pariant: ſed quæ gratia pariantur:* (credere verò & velle aliquod bonum opus eſſe, iam tunc ipſe agnoſcebat.) Si verò gratia parit velle, non eſt ipſum velle, niſi vltro Sabellio concedamus eum, qui parens eſt, filium, & partum ſuum eſſe poſſe. *Non enim vt ferueat, calefacit ignis, ſed quia feruet: nec ideo bene currit rota, vt rotunda ſit, ſed quia rotunda eſt: ſic nemo propterea bene operatur vt accipiat gratiam, ſed quia accepit. Quomodo enim poteſt iuſtè viuere, qui non fuerit iuſtificatus? quomodo ſanctè viuere, qui non fuerit viuificatus? prima igitur eſt gratia, 2. operatio bona.* Si quod eſt primum, ſit gratia, quod ſecundum, operatio bona, & volitio eſt ipſa bona operatio; certè volitio non eſt gratia, niſi apud eum, cui primum, & ſecundum idem ſit. Deinde ſi cum flexu rotæ, & cum feruore ignis gratia comparetur, vt flexus & rotunditas non eſt ipſa rotæ volubilitas, nec feruor ignis calefactio; ita nec gratia quæ datur ad bonam voluntatem, eſt ipſa boni volitio. Pergit porrò Auguſtinus vt probet non rectè dici, *hominis volentis eſt. Quis poteſt credere niſi aliqua vocatione, hoc eſt, aliqua rerum teſtificatione tangatur, quis habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem?* Aduerte hîc hominem gratia moueri ad fidem, nec id illi eſſe liberum, ſeu in eius poteſtate. *Quis autem animo amplectitur aliquid:* (hoc eſt liberè vult & conſentit gratiæ) *quod eum non delectat,* (ecce ſimplicem affectum.) *Aut quis habet in poteſtate,* (id eſt, libero arbitrio,) *vt vel occurrat quod eum delectare poſſit, vel delectet cùm occurrerit? Cùm ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei, non nutu noſtro, & induſtria, aut ope-*

Digitized by Google

rum meritis comparatur, quia vt ſit nutus voluntatis, id eſt libera volitio, *vt ſit induſtria ſtudij, vt ſint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur.* Præterea antequàm bonum amplectar, & liberè velim, illud me delectare debet, quæ delectatio gratiæ, atque inſpirationis opus eſt; nec alterius, credo, quàm Chriſtianæ; quæ clariora ſunt, quàm vt ampliorem ſuper ea re ſermonem ferre poſſint.

CAPVT IX.

Errorum, quibus Ianſenius crucem Chriſti euacuat, & meritum imminuit, catena, atque illigatio.

ARTICVLVS I.

Errores quibus detrahit cruci, recenſentur.

NEMO eorum eſt, opinor, qui vel pluſculum Ianſenio aſſueuerint, quin ſenſerit, quàm durus aſpérque in omnibus ſit aduerſariis ſuis, iis nimirum qui à quingentis annis in Eccleſiâ floruere Doctoribus, hoc præſertim crimine reprehendendis, quòd Ariſtoteli nimio plus dediti, naturæ humanæ cum Pelagianis tribuant multa, quę patientis, morientíſque Chriſti meritis detraxerint. Neque enim ferendum putat vir crucis peramans, Chriſtíque ſtudioſus, vt quæ bona, ipſa vitæ ſuæ deuotione Chriſtus nobis pepererit, ea ab hominibus nefariis, in quibus nullus accepti beneficij ſenſus eſſe poteſt, ſeruatori erepta, vel naturæ, vel Deo vt naturæ auctori referantur. Hîc enimuerò zeli impotens, homo alioqui mitis, ſtomachum effundit, & in acerba quæque fertur intemperanter; quid plura? conuiciorum aſperitate, grauitate contumeliarum omnia permiſcet. heus tu mi homo? nam quid amabo, ita te torques animi? cur te enecas? non attendis? redeunt in te quæ ſpargis in alios conuicia. ô fa-

Digitized by Google

ctum ab vltore Deo præclarè. *Sanguis eius ſuper eum venit, & opprobrium eius retulit ei Dominus.* Oſeæ c. 12. Nam ſi Pelagianus dicendus eſt is, qui partas à Chriſto acerbiſſimis doloribus, triſtiq; fato per crucem diuinæ gratiæ opes, eidem acceptas non modò non referat, ſed Deo, alio nominé velit tribuendas; dicere non verebor neminẽ omnium qui hactenus turbulentis opinionibus ſuis Eccleſiam vexarunt, potiori iure Pelagianũ, aut vt nulla de vocibus cõtẽtio ſit, neminem crucis Chriſti magis inimicum, quàm Ianſeniũ, haberi oportere.

Cùm enim pluribus contendat Pelagium gratiam habitualem, remiſſionem peccatorum & pleraque alia, quæ ſalutis adiumenta à Theologis recenſentur, Chriſti eſſe dona profiteri; ipſe nihilominùs eadem dona non inter Chriſti, ſed naturæ munera Adamo cùm primùm conditus eſt, conceſſa, nobíſque ex eo relicta fuiſſe ſomniauit, dúmque vanam, ac commentitiam Chriſti gratiam, quæ nec liberi arbitrij vſum, nec meriti rationem patiatur, defendit, omnia tollit vera gratiæ Chriſtianæ dona, & quæ Chriſti ſumma ſunt erga nos, generíſque hominum vniuerſum beneficia, ea docet nobis non poſſe non eſſe pernicioſiſſima, quandoquidem nihil ab illis in nos exiſtit vtilitatis: tum quę poſterioris Adami bona ſunt, prioris perduellis nimirũ illius, parentúmque omnium infortunatiſſimi eſſe affirmat: poſtremò, vt omnia verbo complectar, quæ nos à Chriſto percepiſſe ad vitam, ſalutémque credimus adiumenta, illa vir mortalium omnium ingratiſſimus, & mortis pignora eſſe vult, & damnationis. Quæ voces horroris pleniſſimæ cùm ſint eiuſmodi, vt in eum virum, cum quo mihi res eſt, cadere poſſe vix videantur, meæ porrò partes erũt, in hac cauſa ita verſari, vt nihil vel aduerſario impoſitum à me, vel veritati affictum exiſtimari poſſit. Quod opinor non erit difficile, cùm errorum illius cruci contumelioſorum ſeriem, perpetuâ quaſi annulorum illigatione in ſe ſe nexam, & à certis, quibus nititur, principiis pendentem coràm propoſuero.

Poſitâ igitur illâ naturæ noſtræ corruptelâ, ac deprauatione Ianſenius, vt ſuprà à nobis eſt animaduerſum, exiſtimat efferatis cupiditatis immoderatæ motibus nos ferri continenter in amorem noſtri cum Dei contemptu neceſſario

coniunctum, inuitóſque vrgeri, ſeu vt ipſe loquitur, ſponte abripi; niſi gratiæ vi ab rerum creatarum amore auerſos, ad amorem Dei ſponte quoque, ſed neceſſariò reuocemur. Gratiam autem illam, quæ cupiditatis æſtus inſanos frangat, aliam non eſſe docet, quàm ſublimem illum charitatis altiſſimæ affectum; quippe qui ſolus cæcæ cupiditati oppoſitus ſit; cupiditatis autem charitatíſque actus non eos eſſe putat, qui libertati noſtræ relicti ſint, cùm non noſtrum ſit, alterutri conſentire, ſi volumus; ſed ipſa vel charitate, vel cupiditate mala, malam bonámve formari in nobis voluntatem, ita vt gratiæ adiumentum ſit id, quo tanquam formâ volentes efficimur; vnde fit vt nullum ſit penitùs apud illum non efficax adiumentũ, cùm cuiuſcumq; generis ſit, tantam vim habeat, vt voluntati etiam nolenti, & prauæ cupiditatis vinculis obligatæ, ipſum conſenſum det, eámque ſe ſolo faciat bene volentem. Hanc porrò gratiam eſſe ſolam diſputat, quæ Chriſti ſit; quæque in eius beneficiis, crucíſque fructibus meritò numerari poſſe videatur. Quæ verò Adamo olim florenti, beatóque ad bene agendum adiumenta diuina conceſſa fuerant, quia illorum vſus libero eiuſdem arbitrio permittebatur, ſicut licèt pleraq; alia naturæ dona, dotéſque cũ corporis, tum animi eximiæ nonnullis etiamnum à Deo peræquè donentur; ea tamen ad Chriſti gratiam aſſerit nullatenus ſpectare poſſe; quòd non amplius viget in nobis vis illa indifferens, cui hæc dona erant quodammodò accommodata; nunc verò nobis humiliori longè, deterioríque in fortunæ ſtatu iacentibus, æquè noxia ſint, ac eſt lux oculo malè affecto, quæ ſanum iuuat & bene habentem. Denique cùm vt ille cenſet, ſolus ſit is Chriſti morientis fructus, vt voluntatem noſtram à cupiditate liberet, quam tamen minimè ſanat; cùm reliqua Adamo olim conceſſa dona nihil prorſus eò conferant; fateri neceſſe eſt, ea ad Chriſti gratiam, diuiniſſimæque illius crucis opes nulla ratione pertinere.

Quæ doctrina quàm à communi ſapientiſſimorum quorumque ſenſu abhorrens ſit, vel ex eo liquidum eſt, quod omnes, qui Eccleſiæ hactenus operam nauarunt, Doctores habeat aduerſarios, à quibus hæc dona in Chriſti beneficiis, crucíſque facultatibus, certè inter eius auxilia merito iure

ſemper fuerunt numerata. Cùm autem Chriſti gratiam inter & auxilium aliquid diſtinctionis ſit, illud quidquid eſt, ne vtrumque præterea confundatur, ad decem capita conſequentia videtur reuocari poſſe, quibus quicquid Ianſenius docuit contineatur.

Primum eſt, nullam prorſus legem, rerum abditarum manifeſtationem, ſcientiam, exempla, aliáque ad doctrinam morum quoquo modo ſpectantia inter Chriſti dona, cenſenda eſſe, cùm nec gratiæ Chriſtianæ, nec adiutorij eiuſdem vim vllam habeant.

Alterum eſt, gratiam habitualem, virtutéſque infuſas non modò non eſſe eximium quoddam, ac ſingulare Chriſti beneficium, ſed inter eius beneficia locum habere non poſſe.

Tertium, peccatorum remiſſionem, ac veniam, quæ gratiæ habitualis, virtutúmque infuſarum vi obtineri dicitur, pari quoque iure Chriſti non eſſe donum.

Quartum, motus voluntatis non deliberatos, qui ex habitibus virtutum ad rerum obiectarum præſentiam, & notionem ſolent interdum exiſtere, in Chriſti facultatibus minimè computandos.

Quintum, timorem pœnæ quantumuis bonus, & à Spiritu ſancto inſpiratus ſit, nihil præ ſe ferre, in quo beneficentiæ Chriſti ratio ſit.

Sextum, fidem, & ſpem, quæ à ſcholâ informes dicuntur, nec eſſe à Chriſto, nec per Chriſtum.

Septimum, nullam Adamo innocenti conceſſam gratiam, nullam à Pelagianis, aut Semipelagianis admiſſam, nullam à Theologis iis, qui ſcholaſtici dicuntur, habitam pro adiumento gratiæ vel ſufficientis, vel efficacis, & congruæ, eſſe veram & propriè dictam Dei gratiam, aut gratiæ auxilium.

Octauum, nullum adiumentum gratiæ, ſeu ad bene agendum *ſine quo non*, ſeu cum quo, nullum poſſibilitatis, quódque lucis more iuuet, ſed ſolum auxilium *quo*, gratiam Chriſtianam eſſe.

Nonum, ereptam nobis per peccatum libertatem arbitrij eam, quæ primùm data fuerat Adamo, non à Chriſto fuiſſe reſtitutam, ſed diuerſam ab ea, in eius vicem eſſe datam.

Decimum, Chriſtum non dare iuſto cuilibet, vt poſſit

mandata

Digitized by Google

mandata diuina implere, nec vlli concedere, vnde vitæ æternæ dignum ſe apud Deum aliquando exhibeat, adeóque longè aliter de hominum electorum, ac de Angelorum, & ipſius, ſi à peccato ſe continuiſſet, Adami prædeſtinatione ad gloriam eſſe ſentiendum, quandoquidem primæ naturæ illius conſtitutioni gratiæ, virtutúmque cæterarum dona debebantur.

ARTICVLVS II.

Affertur locus, quo Aduerſarij errores ſuprapoſiti continentur.

NE quis porrò hæc variis ſparſa temerè, diſſipatáque locis in vnum quaſi cumulum collecta à me putet, & alienum fortaſſe (vt ſit) in ſenſum accommodata, animaduertat, quid lib. 2. de gratia Chriſti Saluatoris cap. 5. habeatur, vbi ferè omnia ſuprà commemorata, hac breui, ſed accuratá ſententiæ vnius complexione incluſit Ianſenius. *Ex quo ſit, vt neque lex, neque reuelatio, neque ſapientia, aut ſcientia, quæcumque aut qualiſcumque, neque remiſſio peccatorum, neque gratia habitualis, neque virtutes infuſæ, vt quidam nimis aberrantes ab Auguſtini mente putauerunt, neque gratia ſufficiens, neque gratia, quam congruam vocant, quia ſic adaptatur diſpoſitioni voluntatis, vt ei conſenſura videatur, ſit illud adiutorium quo, quod quærimus, ſed vt ſummum tantummodò ſine quo non: neque ſit adiutorium ægræ, infirmæque voluntatis, ſed fortis, & ſanæ, nec adiutorium Chriſti Saluatoris, ſed Adami. eſt enim non minùs manifeſtum, atque certum omnia huiuſmodi adiutoria quantùm ad vſum, & non vſum pleniſſimè ſubiacere voluntatis arbitrio, vſque adeò vt auctores, qui illas nobis pro gratia Chriſti venditant, qua voluntas in ſuis operibus adiunetur, de nullo ſibi contra prementes aduerſarios gratulentur magis, quàm quod illum liberum nutum voluntatis, quo vtitur vel non vtitur gratiæ adiutorio prout voluerit, relinquant integerrimum. Quod etſi non faterentur ipſi, per ſe ipſa tamen tam altè clamat, lex, ſcientia quæcumque, reuelatio, remiſſio peccatorum, gratia tam ſufficiens, quàm habitualis, iſtam ſibi adeſſe conditionem, vt ſuperuacaneus eſſet in eo probando,*

L

vel declarando labor: nam iſtis omnibus adiutoriis, maximéque gratia ſufficienti & habituali vtitur voluntas, cùm voluerit, deſerit ea, cùm voluerit. Tribuunt enim ad extremum (ſi tamen tantùm tribuunt) poſſe ſi velis, non velle quod potes. Nam ideò gratia ſufficiens dicitur, quia dat non voluntatem, ſed ſufficientem volendi poteſtatem. Tum verò morem eorum imitatus, qui obtrectatione magnorum virorum, reprehenſionéque fidem ſibi faciunt, & commendationem, non poteſt tenere ſe, quin dentem figat in Suarem, Leſſium, ac Molinam; eóſque ſuâ cenſurâ notet, quòd *congruam gratiam pro vera medicinali Chriſti gratia obtrudere moliantur*... quòd gratiâ illâ voluntas vtatur, ſi velit, eiúſque vſus arbitrio libero permittatur. Ait enimuerò eſſe hunc *vnicum, & propriiſſimum characterem, quo ſanæ voluntatis adiutorium, à medicinali quod Chriſtus attulit, diſcernitur.* Idem ſæpiùs paſſim repetit, & capite ſexto adiutorium Chriſti, adiutorium *quo* diuerſum prorſus ab adiutorio ſine quo non, appellat; nec vnquam poteſt animum inducere ſuum, (adeò ſcilicet ab illa ſententia alienus erat) vt vſpiam adiutorium *ſine quo non*, Chriſti donum eſſe fateatur.

ARTICVLVS III.

Quædam in propoſitum teſtimonium animaduerſiones, quibus Ianſenij defenſio refutatur.

VT cauſa nulla fuit vnquam adeò iniqua, cui patronus defuerit; ita video ſuam Ianſenio non deeſſe defenſionem, quæ quam in partem accipienda ſit, boni, & æqui lectoris eſto iudicium. Reſponderi igitur poteſt, non negari à Ianſenio gratias eiuſmodi Chriſti Saluatoris eſſe dona, eáque profiteri, à Deo Patre pro crucis meritis, obitáque per filium morte ignominioſiſſima fuiſſe nobis conceſſa, ſed illa non eſſe ſingularem illam, eximiam, & propriam Chriſti gratiam medicinalem, quam ipſe dolorum vi peperit nobis, ſeu, vt verbo dicam, gratiam quandam Theologis fortaſſe ignotam, quæ ſolius quidem Chriſti ſit, non tamen ſola ſit; ad cæteras enim datas olim Adæ gratias, & quas perditas per eum Chriſtus reſtituit, addidit

quandam aliam, quæ quia Chriſti donum quoddam peculiare eſt, non tamen vnicum quod ab eo in nos profectum ſit, eam ob rem, quæ Chriſtiana meritò appelletur, ſolam eſſe dignam. Quapropter quoties ab Aduerſario nomen gratiæ Chriſti vſurpatur, quandam eſſe duntaxat intelligendam, non omnem, nec conſequenter eas eo nomine comprehendendas, de quibus eum inter & Theologos, nulla eſt diſceptatio. Sed quàm caſſa ſit, & futilis illa defenſio, breuiter ab accurato ſingulorum illius errorum examine patebit; ex quo manifeſtum erit, eum non aliam, quàm ſuam Chriſti gratiam admittere.

Obſeruandum igitur primò, eum lib. 2. de gratia Chriſti c. 22. non obſcurè profiteri, *genuinam gratiam medicinalem non eſſe habitualem, nec quamlibet actualem: ſed illam tantùm* de qua mentionem fecit; aliunde certum eſt nullam Ianſenio niſi medicinalem Chriſti gratiam eſſe poſſe, quod lib. illo 2. cap. 2. fusè probat; tum ſubdit illud donum eſſe *præcipuum, propriè dictum, & tantum gratiæ diuinæ donum, ſola poſtrema illa* (Ianſeniana) *gratia eſt vera, & genuina Chriſti gratia*. Quòd ſi in animo habuiſſet reliquas omnes gratias à Chriſti donis excludere; quibus quæſo verbis aliis, mentem ſuam nobis clariùs declarare potuiſſet?

Obſeruandum ſecundò, hanc Aduerſarij ſententiam cum illius principiis ſuperiùs à me allatis ita cohærere, vt ab ea ſi deſciſcat, pugnantia dicat neceſſe eſt; Id enim ſatis ſignificatur hac particula, *Ex quo ſit*. His autem principiis omne adiumentum gratiæ diuerſum à Ianſeniano, tolli è numero donorum Chriſti, qui non videat, exiſtimo futurum omnino neminem. Quorſum enim primò diuiſio illa toties repetita, in gratiam quæ ſanæ ſit, & ægræ voluntatis? Quid eſt, cur vtramque cùm auxilium vocet, alteram tamen ab altera tantùm diſcrepare velit? *Vt ſi*, inquit, *alterum alterius loco adhibeatur, vel nihil omninò conferat, vel pro adiumento perniciem ferat?* idque etiam pluribus explicat ibidem. *Itaque hæc vegetarum potentiarum adiutoria quantumcumque multiplicentur ægrotantibus, vel extinctis augeantur, non modò perditas vires non reſtaurabunt, ſed nec ad vſum aſſumi poterunt, vel certè cum præſentiore pernicie aſſu-*

Digitized by Google

mentur. Quapropter cùm ſolam ſuam gratiam voluntati ægræ concedat, ſanæ ac valenti neget; cùm non aliâ, quàm ſuâ cupiditatis vim frænari velit, eáque ipſa det velle, & poſtrema ſit; nónne ſatis apertè docet, gratias omnes alias, quæ ſi dantur, poſtremam illam, quemadmodum ipſe vocat, præcedant, verbi gratia habituales, dilapſas liberi arbitrij vires non reparare, nec à nobis in vſum, cùm res poſtulat, adhiberi poſſe, *nihil omnino ad ſalutem conferre, ſed potiùs pro adiumento perniciem ferre, eáque dona non tantùm inutilia, verùm etiam noxia eſſe?* Ex quibus quis dubio reliquus locus eſſe poſſit, quin Ianſenius ſuam illam iactatam toties, commendatámque gratiam, ſolam Chriſti eſſe cenſeat? Quòd ſi factionis illius non nemo à magiſtro ſuo auxilia eiuſmodi Chriſto ſaluatori accepta referri velit, licèt talia ſint, vt ſi Dæmon aliqua procurare poſſet, non alia, quæ ſuam in rem magis eſſent, optaret; ego certè non admodum repugnabo; modò cum Caluino addat quoque Chriſtum ſuis donis hominem ad peccandum inducere, neque id ab eius bonitate, & ſapientia vehementer alienum eſſe putet: cùm ipſe Ianſenius ibidem fateatur, *ægra, languida, faſtidioſa, mortua quantum eſt ad opus, effectúſque bonos voluntati, ſanitatis adhibere velle adiutorium*, (cuiuſmodi illa omnia, capitis quinti teſtimonio enumerata, eſſe vult) *vt illo iuuante operetur, non minoris fatuitatis eſſe, quàm cibum offerre mortuo.* quod in cap. 3. iterum monet, ne fortè excidat, *Noſtram voluntatem non magis iiſdem illis gratiæ adiutoriis, quibus antea in ſua ſanitate iuuabatur, vti poſſe, quàm ſi cæco ad cernendum lumen offerres .... vnde per aliud noua & medicinalis gratiæ genus, nutus ille eruendus, voluntatíque dandus eſt.*

ARTICVLVS IV.

Ianſenius ſolam ſuam gratiam medicinalem ſtatuit.

OBSERVANDVM 3. Ianſenium arbitrari *gratiam de quâ cum Pelagianis controuerſia eſt, illam eſſe, adeóque nec aliam intelligi poſſe, quàm qua liberamur de corpore mortis huius.* Si non alia eſt, an præterea torquebunt ſe Ianſeniani, vt

aliam gratiam fingant, quàm Ianſenianam, *quâ ſolâ, & non aliâ*, à cupiditate liberamur, vt ab eorum duce tam aſſeueranter eſt pronunciatum? Quis præterea neſciat Pelagium nullam veram Chriſti gratiam, ſed fucatam quandam, atque adumbratam admiſiſſe, gratiam verò dico, non quoduis adiutorium gratiæ? Quamobrem ſi nulla alia contra Pelagianos à Ianſenio defenſa gratia eſt, quàm illa Ianſeniana, nulla quoque apud eundem vera, & propriè dicta Chriſti gratia eſſe poteſt. Quòd porrò Pelagius germanam & propriè dictam gratiam negauerit, conſtat ex libro Auguſtini de natura & gratia, & libro 2. retract. capite quadrageſimo ſecundo, vbi apertè dicit à Pelagio defendi *naturam contra Dei gratiam, qua iuſtificatur impius, & qua Chriſtiani ſumus*, non contra aliquam, ſed omninò contra gratiam Chriſtianam, quam ille negabat; tum verò Ianſenius in eodem lib. 2. de grat. Chr. cap. 2. ait *omnem Chriſti gratiam qua rectè operamur, adeóque bene viuimus, circa iſta duo vitia voluntatis*, ſcilicet ignorantiam & cupiditatem, *ſuperanda ſanandáque* verſari; non, inquam, aliquam tantùm peculiarem; *ſed omnem Chriſti gratiam* circa illa vitia verſari: nec enim alia Chriſti gratia eſt, *quàm qua bene viuimus*, & ſi Ianſenio fides eſt, nulla alia quàm Ianſeniana vulneribus illis medetur; taliſque eſt, inquit eodem in loco, vt *per illam ſolam affectus à concupiſcentiæ ſeruitute eruatur, & natura in ſingulis oborientibus ad momenta ſingula tentationibus roboretur, vt cũ libidinibus pugnet, vt ſuperet, vt non in tentationem conſentiendo inferatur*, idque conuenire gratiæ habituali prorſus negat. Certè non ait naturam & voluntatem, ſed affectum eius erui, & cùm eam continenter dari velit, exiſtentéſque identidem ſuperare tentationes, nonniſi actualem, nec cuiuſuis generis, ac rationis, ſed efficacem; ſuámque illam ſolam affirmat eſſe omnem Chriſti gratiam, omnem, inquit, non aliquam duntaxat peculiarem.

Diſcrimen porrò illud de quo tam frequens eſt apud illum, tam plena oſtentationis, ac pompæ mentio, de adiutorio *ſine quo*, & adiutorio *quo*, mentem illius etiam cap. 4. videtur magis declarare. *Illiuſmodi* ait *adiutoriis reſpectu voluntatis humanæ plenum eſſe orbem vniuerſum*, tum in eo ponit habitus bonos, eáque adiutoria ſanæ voluntatis eſſe dicit,

mox cap. 5. adiutorium *ſine quo* docet *ad medicinale Chriſti adiutorium nullo modo pertinere poſſe . . . . . eſſe Adami non Chriſti.* Poſtremò addit teſtimonium ſuprà à me allatum; & ex iis concludit, quòd neque lex, neque cætera, quæ eâdem ſerie continentur, Chriſti ſunt adiumenta, adeò vt nihil in toto operis illius contextu tritum magis, peruagatúmque ſit, quàm adiutoria *ſine quibus non*, eáque omnia quæ ab illo adiutorio *quo* Ianſeniano diuerſa ſunt, non modò non eſſe peculiare quoddam gratiæ Chriſtianæ adiumentum, ſed *ad medicinale Chriſti adiutorium nullo modo pertinere.*

Articvlvs V.

Aliis argumentis mens Ianſenij de quauis Chriſti gratia oſtenditur.

Observandvm 4. Doctores à Ianſenio reprehendi eos, qui auxilia in memorato teſtimonio numerata, *pro gratia Chriſti venditent*, eóſque vult ab Auguſtini mente *nimis aberrare*. Quòd ſi verè illos redargueril, par eſt credere, eum, quod illi tueantur, negare. At gratiam habitualem eſſe totam Chriſti gratiam nunquã opinati ſunt, ſed tantummodò aliquam. Quibus ſi ſe contrarium velit, vt profectò vult, Ianſenius, neceſſe eſt ab eo dici eandem gratiam habitualem ad Chriſtum nullo pacto ſpectare; ni, quod tantopere refugit, aliqua ex parte cum Doctoribus iis conſentire videatur. Neque enim huic propoſitioni, *aliquod Chriſti donum eſt gratia habitualis*; alia ex aduerſo opponi poteſt, atque iſta, *nullum Chriſti donum eſt gratia habitualis*, quod dictum oportuit à Ianſenio, ſi contra Doctores laudatos ritè diſputatum à ſe voluit: nam ingruerent continuò logicæ nouitij, & ad amuſſim regularum ſuarum omnia exigerent, quod illi diſciplinæ iſtius rudi ac imperito malè cederet. Adde quòd ſi auxilia illa pro Chriſti gratia falsò à nobis perhibentur, conſequens eſt, eadem non modò non eſſe eximiam præcipuámque Chriſti gratiam, ſed nullo modo in eiuſdem bonis, ac facultatibus putari poſſe.

Obſeruandum 5. in eodem teſtimonio donis illis enume-

Digitized by Google

ratis quaſdam conditiones, rationéſque ab Aduerſario tribui, quas cum ipſo Chriſti auxilio omninò pugnare velit. 1. quòd *Adami* auxilium ſit, non *Chriſti*; *Creatoris*, non ſeruatoris; vtriuſque adeò dona opponi inuicem, vt Adamo ſtanti *nullum ſit datum adiutorium Chriſti, vt ſaluatoris*; ſed Dei tantùm vt creatoris. 2. quòd auxilium illud ſanæ ſit voluntatis, hoc verò ægrę, ac languentis. 3. quòd illa *ad ſummum* aliquod ſit *adiutorium* tantummodo *ſine quo non*, prorſus diuerſum ab adiutorio *quo*, quale eſt omne Chriſti adiutorium. 4. quòd illa eadē auxilia *tribuant ad extremum, ſi tamen tantum tribuunt, poſſe ſi velis, non velle quod potes, ſeu quantum ad vſum & non vſum pleniſſimè ſubiaceant voluntatis arbitrio.* Vnde pro Ianſenio id colligendum, nullum adiutorium, quod ſit tantùm *ſine que non*; nullum quod penes arbitrium voluntatis ſit quoad vſum, & non vſum; nullum quod ſanæ integræque voluntatis fuerit, Chriſti ſeruatoris, ſed Adami eſſe donum; cuiuſmodi cùm ſint ſuperiùs recenſita, nec Chriſti dona, ex illius ſententiâ eſſe poſſunt.

Eò fermè redit omnis Ianſenianæ argumentationis vis, adeò vt fruſtrà fuerit, qui opponat à Ianſenio ibi tantùm negari *adiutorium gratiæ, cuius vſus voluntatis arbitrio relinquitur, eſſe adiutorium quo, & adiutorium medicinale, ſeu gratiam Chriſti, de qua Auguſtinus & Eccleſia diſputauit*; ita vt ille non omnem Chriſti gratiam, ſed eam duntaxat, de qua Pelagianos inter, & Catholicos erat controuerſia, intelligat; neque enim res eſt eiuſmodi in quâ commodè fucus iam fieri poſſit. nam de quauis verâ, & germanâ gratiâ Chriſtianâ contentionem illam fuiſſe clarius eſt, quàm vt quis meritò dubitare poſſit, cùm Pelagius fictitiam duntaxat in vicem veræ germanæque Chriſti gratiæ ſubiecerit. Quamobrem inde factum eſt, vt Ianſenius veræ Chriſti gratiæ opponeret Pelagianam, & quidquid Adami, aut ſanæ voluntatis adiumentum præ ſe ferebat, gratiam Chriſti negaret, quòd ab illo in hominem non modò nihil vtilitatis, ſed perniciei plurimùm redundaret; quod ex his cap. 5. verbis confirmari poteſt; *Ex quibus profectò manifeſtiſſimum eſſe puto, auctores qui congruam illam gratiam pro vera medicinali Chriſti gratia obtrudere moliuntur, nihil omninò proferre, niſi adiutorium ſanæ voluntatis*

Digitized by Google

primi hominis, & Angelorum, hoc eſt, adiutorium non quo fiat, vt voluntas velit; ſed ſine quo non, &c.

Atque hîc ego Ianſenij ſtudioſos ex animo oratos velim, attendant aliquãdo, num is gratiam, quam nos congruam dicimus, & in ea habitualem, motúſque pios, cæteráque eiuſmodi adiumenta complectimur, ſolâ illâ Ianſenianâ gratiâ exceptâ, quæ omnibus Theologis vſque ad Caluini, Ianſeniíque tempora fuit inaudita: num is, inquam, gratiam illã Chriſti aliquo modo eſſe credere poſſit, qui eam pro vera medicinali Chriſti gratia obtrudi ita conqueritur? Num potiùs auxilium illud *ſine quo non*, quod ſanæ voluntatis eſt, manifeſtiſſimè negat ad Chriſti gratiam medicinalem quoquo modo pertinere? Quæ ſi nondum ſatis clara ſunt, nullam cauſam dico, quin totius illius negotij parum intelligens meritò videri poſſim; quod mihi-ne, qui non intelligam, an Ianſenio, qui non intelligatur, vitio dandum ſit; aliorum fuerit arbitrium.

CAPVT X.

Quæ dona ob Chriſti merita Deus nobis largiatur?

ARTICVLVS I.

Quid ſit donum naturæ? Quid donum gratiæ?

ANTEQVAM de ſingulis Ianſenij circa Chriſtum ſeruatorem erroribus, ſeorſim diſputo; conſentaneum videtur ea breuiter recenſere, quæ nobis acerbiſſima morte ſua beneficia Chriſtus contulerit, vt ex alterius beneficentiâ, manifeſtiſſima alterius cùm falſitas, tum impietas reuincatur. Atque ne in re quam tractant tam diligenter omnes propè Theologi, longior ſim, quàm temporis ratio ferat.

Dicendum imprimis donorum eorum, quæ à præpotenti Deo

Deo nobis conceſſa ſunt, duplex in vniuerſum genus eſſe poſſe; alterum eorũ, quæ naturæ ſint; alterum quæ gratiæ: quorum primum à Deo tanquam creatore, ſecundum verò ab eodem vt lapſi generis reparatore profectum eſt. Quapropter gratiam, vt naturæ ex aduerſo oppoſita eſt, patet hîc vſurpari debere; quæ diuiſio cùm varias in partes Theologiæ incidat, non poteſt Theologis non eſſe notiſſima.

Dicendum 2. omne gratiæ donum ordinem habere ad beatitudinis adeptionem, nec à Deo dari poſſe, niſi quatenùs vult eum efficere beatum, cui hoc gratiæ adiumentum confertur. Quod adeò verum eſt, vt quæ gratiæ à iuſtificantibus diuerſæ gratìs dantur, eæ vt plurimùm non tam ei cui dantur, quàm illi propter quem dantur, dona vulgò cenſeri ſoleant. Quapropter donum prophetiæ conceſſum Caïphæ, non tam illius, quàm eorum ratione, quorum ſaluti deſtinabatur, beneficium, & gratiæ donum haberi debet. Hîc autem de gratia quæ iuſtum facit, quæ proinde à gratia gratìs data diſtinguitur, ſermonem à nobis haberi, qui non videat, opinor eſſe nullum.

Quidquid autem à Deo fit, vt à volente fit, ita ex amore, atque beneuolentia rei alicuius creatæ fieri liquet. Verùm idem illud quod fit, ſæpenumerò non tam cedit in bonum eius cui beneficium conceditur, quàm illius propter quem conceditur. Nam damnatos perpetuo prouidentiæ influxu conſeruat Deus, eiſque naturalia dona pro ſua liberalitate largitur; quis tamen dicat, eum erga illos, ad quos aliquam beneficentiæ ſuæ partem venire patitur, eſſe bene affectum, cùm conſtet aliunde, eoſdem ab illo tam duriter haberi? Sed in eorum conſeruatione ſe, ſuóſque diligit, quos cùm ad gloriam deſtinarit, eorum commodis damnatorum afflictiſſimam ſortem ſeruire vult.

Cùm autem quidquid ſolet amari, propter aliquem ametur, & ex ipſius perſonæ dilectione, beneficentiæ, quæ fit amoris ergo, menſura petenda ſit, quia aliquis dilectionis eſt effectus: idcircò gratiæ donum, diuinæ fructus eſt beneuolentiæ, nec Deus quemquam felicem velle poteſt ac beatum, niſi eum quem diligat; Vnde cùm propoſiti cuiuſlibet finis ea vis ſit, vt idoneorum mediorum optionem

primùm, tum efficientiam, poſtremò rei deſideratæ inferat adeptionem; beneuolentiæ Dei erga nos finis, gratiæ donum eſt, tum ipſa beatitudo quam cùm parat alicui, omnia ad illius conſecutionem ita diſponit, vt conceſſæ omnis gratiæ donum, certiſſimus diuinæ dilectionis effectus eſſe planè videatur: ex quo factum, vt gratiæ nomen obtinuerit donum illud, quod à beneuolentia, & amore Dei proficiſcebatur; ipſæque adeò naturæ dotes, & creata dona, quæ ab eodem fonte manabant, eandem appellationem, vt auctor eſt Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 100. articulo 1. retinuerint.

At verò cùm diligere aliquem, ſit ei reipſa bene velle, omniáque in bonum eiuſdem procurare, & neminem amet Deus, niſi quem beatum velit; omne gratiæ donum quod homini conceditur, ad eiuſdem beatitudinem non poteſt ordinem non habere. Verùm quia duplex ſtatuendus eſt in Deo affectus, quo vult homines beatos; alter eiuſmodi, quo vt poſſint eſſe beati, nec per eum ſtet, quominùs reipſa beati felicéſque ſint: alter verò, quo beatitudinem ipſam conſequantur, qui affectus vulgò prædeſtinationis voluntas dici ſolet: nemo negauerit, quòd reproborum à Deo deſertorum clades ita ſoleat ordinari, vt in ipſorum prædeſtinatorum commodum cedere debeat, eamobrem ſingulari quodam beneuoli animi ſtudio & affectu proſequi prædeſtinatos dicitur Deus.

Iſtud tamen non eſt ita intelligendum, vt cauſam ſuam obtineat Caluinus, qui gratiam Chriſti ſolis duntaxat electis concedi ſolere, ineptè omninò pro ſuo more, hariolabatur; neque eam in partem accipiendum, quæ Ianſenio viro audaci faueat. Is enim Caluini mentem amplexus, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortem oppetiiſſe, nec magis pro Iuda, quàm pro dæmone fudiſſe ſanguinem contendit. Ita libro tertio de gratia Chriſti capite 20. voluntatem antecedentem, quâ Deus vult omnium etiam non prædeſtinatorum ſalutem, ponit *in ſola præciſione mentis, adeóque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ cauſante, qualem etiam erga damnatas creaturas ſiue hominum, ſiue Angelorum Deus habet.* Et capite 21. poſt diſputationem bene multam,

tandem ita concludit: *Chriſtus non magis patrem pro æterna liberatione ipſorum non prædeſtinatorum, quàm pro diaboli deprecatus fuit.*

ARTICVLVS II.

Gratiæ auxilium à gratia ipſa diuerſum ſtatuitur.

TERTIO loco dicendum, gratiæ donum creatum bifariam diuidi poſſe: alterum quod gratiæ vim propriam habeat, atque rationem; alterum quod eius quoddam quaſi adiumentum ſit, & ad eam pertineat. Licèt enim gratia ipſa adiumentum ſit, ídque appellationis ſortiatur, non tamen quodlibet adiumentum, quod aut gratiæ ſit, aut ad eam referatur, gratia ſemper poteſt propriè appellari. Gratia porrò eſt ex qua imprimis exiſtit ſanctitas, quæ virtutum omnium infuſarum à Deo, ipſiúſque proinde Theologicæ charitatis primus fons eſt, & quaſi vinculum, quo Spiritus ſanctus cum animis noſtris coniunctus, vitam diuinum quendam in modum in eis operatur, omníſque adeò cùm habitualis tum actualis gratiæ principium eſt ipſi animo inſitum, & eiuſdem Spiritus ſancti formalis (vt ita dicam) donatio, vt vnio hypoſtatica eſt id quo Verbum naturæ humanæ Chriſti formaliter vnitur. Eam autem, quippe quæ in ipſa ſubſtantia animæ ſanctificatæ recipitur, ab omnibus virtutibus, D. Thomas reipſa vult eſſe diſtinctam.

Verùm obſeruandum eſt ex communi Scholæ conſenſu, omnes virtutes illas, quæ ſupra naturæ ſtatum poſitæ ſunt, & idoneæ, quæ voluntatem perficiant, earúmque adeò affectiones, quæ inſpirationes à Theologis dicuntur, gratiæ vt vim, ita nomen obtinuiſſe; eas verò quæ in perficiendo intellectu occupatæ ſunt, ſi fidem vnam ab earum numero exemeris, quæ tam voluntatis eſt, quàm intellectus, hanc gratiæ appellationem non mereri, ſed ad ſummum quoddam gratiæ auxilium dici poſſe.

Dicendum 4. gratiæ adiumentum id omne meritò poſſe appellari, quod à Deo fit ex intentione alicuius iuſtificationis (vt loquuntur Theologi) vel quod ad eam quoque

pacto refertur; ſiue medium illud ad hunc finem aſſequendum ſit efficax, nec eius vis ex cauſæ illius ſecundæ, quam Deus in operis ſui ſocietatem adhibet defectu, ac vitio impediatur; ſiue non efficax, illiúſque proinde finis, quem ſibi propoſuerat beneuolentia Dei, adeptione fruſtretur. Hoc autem auxilium quod & gratis datum à ſancto Thoma dicitur, tam latè funditur, vt infinita propemodùm dona ambitu ſuo complectatur; quæ ſi per ſe ſe ſpectentur, naturæ quidem munera ſunt, ſed propter ordinem quem ex intentione Dei habent ad gloriam, vulgò à Theologis quoad modum ſupernaturalia dicuntur, quòd à Deo concedantur, non quatenùs naturæ eſt auctor, & vi voluntatis illius, quâ rerum creatarum adminiſtrationem temperat, atque moderatur, ſed quatenùs eſt largitor gratiæ, & vi beneuolentiæ illius, qua bene afficitur erga electos, quos gratiâ primùm, tum gloriâ donari vult. Quamobrem cùm vnius eiuſdémque rei, ac effectus poſſet eſſe varia, ac multiplex, vt præcipitur à ſchola, effectio, ita & modus, quo illa fit multiplex eſſe poteſt. Tametſi enim eandem vitam vixerit Lazarus prognatus à parentibus, & excitatus à mortuis; non eadem tamen, nec eiuſdem ordinis vtraque fuit vitæ illius productio, cúmque omnis rei effectio à cauſæ efficientis fine naturam, eſſentiámque ſuam repetat; quidquid, licèt per ſe ſe ſpectatum naturale ſit, fit à Deo finem ſupernaturalem, putà iuſtificationem ſibi proponente; quia id naturæ non debetur, adeóque gratuitum eſt, id non quidem in eſſentia ſua, ſed in ipſo effectionis ſuæ modo, ſupernaturale cenſetur, & qualecumque fuerit iſtud, quòd eò pertineat, gratiæ donum habetur.

Dicendum 5. nullum donum dæmonibus, ac damnatis hominibus, nullum Adamo in peccatum lapſo relictum, eſſe gratiæ donum, ſed tantùm naturæ; nec ſi quid eiuſmodi homines habent in præſentia, illud ſi per ſe ſpectetur, gratiæ beneficium cenſeri debere. Ac primò de damnatis res patet; de Adamo, ſuo loco fuſiùs id declarabitur, vbi de Ianſenij doctrinâ circa gratiam Adamo datam erit diſputandum. Ex hoc autem efficitur: nec ingenium quantumuis acre ac præcellens, nec vllas ad artes bonas, humanáſque

diſciplinas eximias dotes, non ipſos virtutum earum quę politicæ adminiſtrationi ſeruire poſſunt habitus, nullius doctrinæ humanæ infinitatem, ſi per ſe conſiderentur, nec ordinentur à Deo vel ad gratiæ, vel gloriæ conſecutionem, gratiæ nomen vllo modo retinere poſſe.

Fateor tamen eſſe quædam eius ordinis beneficia cum peculiari quadam prouiſionis diuinæ diſpoſitione coniuncta, & quorum iactura in peccati originalis pœnam inſtituta ſit. Quòd enim contingit aliquando, vt vel tardioris ingenij homines naſcantur, vel indolis, ad quodlibet audendum facinus proiectioris, quibus adeò nihil ægrius ſit, quàm vt mentem flagitiorum conſuetudine irretitam, auocent à libidine, illud ſcilicet peccati in ortu primo contracti vitium eſt, ipſi naturæ quodammodo inuſtum. Vnde manifeſtum eſt ſummam illam ac penè incredibilem tum ingenij, tum indolis varietatem cùm nihil habeat quod ſupra naturam ſit, intra illius fines coërceri debere.

Nec à mente noſtra videtur magnopere alienus Proſp. in col. c. 9. al. 18. *Natura humana*, inquit, *in illa vniuerſalis præuaricationis ruina, nec ſubſtantia erepta eſt, nec voluntas, ſed lumen, decúſque virtutum, quibus fraude inuidentis exuta eſt. Perditis autem per quæ ad æternam, atque inamiſſibilem corporis, animæque incorruptionem poterat peruenire, quid ei remanſit, niſi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota eſt damnationis, & pœna.* tum cap. 28. reprehendens quòd à Caſſiano dictum fuerat: *ineſſe omni animæ naturaliter virtutum ſemina beneficio creatoris inſerta*, ſic ait: *Puto iſtum veriſimilitudine decipi, & in ſpecie falſarum errare virtutum, dum ea bona quæ non poſſunt niſi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis exiſtimat reperiri, ideò ſcilicet quia multi eorum ſint iuſtitiæ, temperantiæ, continentiæ, & beneuolentiæ ſectatores, quæ omnia non fruſtra quidem, nec inutiliter habent, multúmque ex eis in hac vita honoris, & gloriæ conſequuntur. Sed quia in iis ſtudiis non Deo, ſed Diabolo ſeruiunt, licèt habeant temporalem in vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem.* Quibus verbis ſignificat ſatis Proſper virtutes eas minimè eſſe veras, quæ per ſe ad beatitudinis adeptionem conferre non poſſint. Quamobrem continentiam,

Digitized by Google

iuſtitiámque illam humanam non diffitetur eſſe veram, neque eam vitium vocat; ſed ſi ad D. Thomæ ſententiam conuenienter loqui placet, ea eſt per ſeſe quædam tantùm materia virtutis, quam charitas cæterarum forma, perfectióque virtutum informare poſſit, & ad Deum tanquam ſupremum in finem referre; quemadmodum cadauer hominis, licèt ſit non homo, eſt quidpiam tamen illius, nimirum pars ipſa materialis, quæ vitæ per ſe nihil habet, cùm tamen vitæ, animæque organum ſit.

ARTICVLVS III.

Quæ ſint Chriſti Domini dona.

PROPOSITAM quæſtionem, in qua nihil propè ſit impeditum, breuiter expedio. Dico igitur nullum naturæ donum per ſe ſpectatum, profectúmque à natura, aut Chriſti donum eſſe poſſe, aut ad eius beneficiorum rationem vllo modo pertinere. Quæ eſt Auguſtini doctrina epiſt. 105. vbi Pelagium, qui quod gratiæ erat, tribuebat naturæ, grauiter reprehendit. *Abiiciatur*, inquit, *à cordibus Chriſtianorum iſta fallacia. Nam omninò non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, quâ creati ſumus vt homines eſſemus, ſed qua iuſtificati ſumus, vt homines iuſti eſſemus, iſta eſt enim gratia per I. C. D. N. Etenim Chriſtus non pro nullis, vt homines conderentur, ſed pro impiis mortuus eſt, vt iuſtificarentur.* Tum verò ſub finem quæſt. 2. ad Simplic. negat in eligendis ad gratiam, & ſalutem hominibus quicquam valere apud Deum, vel *maius ingenium, nec minora peccata, vel vtrumque, addamus etiam ſi placet, honeſtas vtiléſque doctrinas:* vbi per minora peccata intelligit eos, qui leuioribus vinculis ſunt irretiti, vt ſunt ij, qui caſti, patientes, temperantes, cæteríſque humanis ornati ſunt virtutibus, quæ ſi dona Chriſti putaret, proculdubiò inter ea, quæ iuſtum ab iniuſto, fidelem à non fideli ſecernunt, bona numeraret. nam epiſt. illa 105. eamobrem reliqua dona, quæ fidem Chriſtianam conſequuntur, gratuita eſſe vult, quòd exiſtant à fide, & aliquo gratiæ dono, quod nulla prorſus merita anteuertant. Famoſum ac celebre illud 3. lib. 4.

contra Iulian. caput conſulatur, vbi dona Dei fatetur eſſe, quòd quidam memores, minùs ſeueri, commodi, faciléſque ſint, eáſque tum indolis, cùm ingenij dotes diuini muneris in loco ſtatuit eſſe habendas, ſed ita tamen, vt ea neget per Chriſtum concedi, idémque pronunciat de omnibus iis, ſi quæ poſſint eſſe virtutibus, quæ ad conſequendam beatitudinem, ad quam ſine fide, & gratia Chriſti peruenire nemo poteſt, nihil conferant, quòd veræ virtutis rationem non habeant: *Si enim miſericordia*, inquit, *eſſet ſemper bona, quemadmodum fides Chriſti, id eſt, fides quæ per dilectionem operatur, ſemper bona eſt, vtique vera virtus eſſet*, & donum gratiæ Chriſti. non autem ita ſe habet; nam Saülis miſericordia non fuit bona. Tum verò poſtquàm virtutes, quas ad beatam vitam inutiles Iulianus induxit, veras eſſe Auguſtinus negauit, ſic demum concludit: *Aut certè quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnúmq; perducere: ſcito nos illud bonum hominum dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominum nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnúmque perduci: omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine vllo facta peccato; quod ad me pertinet hoc ſcio, quia non ea facit voluntas bona. Amor fruendi quibuſcumque creaturis, ſine amore creatoris, non eſt à Deo. Amor autem Dei, quo peruenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo per Ieſum Chriſtum cum Spiritu ſancto. Per hunc amorem creatoris, bene quiſque vtitur etiam creaturis, ſine hoc amore creatoris, nullus quiſquam bene vtitur creaturis, hoc ergo amore opus eſt, vt bonum beatificum ſit pudicitia coniugalis.*

Quibus tamen verbis ſua cautio eſt adhibenda. Neque enim exiſtimandum eſt eo loci Auguſtino, pudicitiam coniugalem, aut aliam quamlibet hominis non fidelis virtutem naturalem, laudis dignam minimè videri. Alia diuini illius Doctoris mens eſt. Neque enim tam negat eſſe virtutem, quàm quod explicatè magis dictum eſt à D. Thoma, virtutis ſimpliciter dictæ rationem habere, tametſi virtus aliquo modo dici poſſit, &, vt loquitur S. Doctor, virtus *ſecundùm*

Digitized by Google

quid, quòd vera, & ſimpliciter dicta virtus, bonum magnum ſit, *quo rectè viuitur, & quo nemo malè vtitur*, vt habet ſuprà laudatus auctor lib. 2. de lib. arb. c. 19. Vnde fit, vt nec tale opus, nec illa virtus per ſe ſpectata vel ad beatitudinem perducere, vel eam quoquo modo demereri poſſit, nec proinde vel Chriſti gratia ſit, vel vllum gratiæ Chriſtianæ donum, niſi ad beatitudinem adipiſcendam conferat. Neque enim quod à Deo gratuitò donetur, ſatis eſt vt donum Chriſti cenſeatur. Vt enim Deus hominis ad gloriam deſtinati prolapſionem in peccatum permittat, ídque ad eius ſalutem ordinet; non idcircò peccatum illud Chriſti donum erit habendum, ſed ſola illius permiſſio, ex quâ tanquam causâ, certa deinde prædeſtinatio conſequatur; ſic naturæ donum, ſi ex gratuitâ dilectione Dei profectum ſit, Chriſti beneficium cenſeri poterit, non quoad rem ipſam, cùm intra naturæ vires poſitum ſit, ſed quoad modum, quòd ad finem longè ſublimiorem, excellentiorémque quàm exigat natura, eleuetur.

Secundò dico, nullum donum Dei quod ab Adamo acceptum habemus Chriſtianæ, vel vllius alterius gratiæ propriè dictæ, eſſe donum. Nam (quemadmodum ſuprà fuit à me obſeruatum) quidquid erat in Adamo, quod ſalutem ſpectaret, id omne funeſtiſſimâ illâ peccati clade funditùs periiſſe, lib. de prædeſt. Sanct. c. 5. ſatis innuit his verbis Auguſtinus: *In hac Apoſtoli euidentiſſima intentione:* quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti, ſcilicet per merita Chriſti? *dona Dei naturalia ſuſpicari, ſiue ipſam totam perfectámque naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſiue vitiatæ naturæ qualeſcumque reliquias, nimis quantùm arbitror, abſurdũ eſt. Nunquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus?* Tum verò ſignificat quid ſit intelligendum per ea verba Apoſtoli, nimirùm gratiam Chriſti, *quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt bonis, & malis. Sit ergo gratia naturæ attributa, qua ſumus animantia rationalia, & diſcernimur à pecoribus. Sit etiam gratia naturæ attributa, qua in ipſis hominibus à deformibus pulchri, & ingenioſi diſcernuntur à tardis, ac ſi quid eiuſmodi eſt. Sed non ſe ille, quem coërcebat Apoſtolus, aduersùs*

pecus

pecus inflabat, nec aduerſus hominem alterum, de aliquo naturali munere, quod ineſſe poſſet & peſſimo; ſed aliquid bonum, quod pertineret ad vitam bonam, ſibi non Deo tribuens, inflabatur, quando audire meruit, quis te diſcernit? Certum eſt eos qui polleant vi, & acumine ingenij, id muneris accepiſſe à Deo. neque hoc diſputo. Quæſtio proponebatur de donis gratiæ Chriſtianæ, quæ non poſſunt niſi à Chriſti meritis proficiſci. Ea porrò negat Auguſtinus eſſe conſtituenda in illa naturæ perfectione, quæ Adamo & per eum nobis conceſſa eſt. Quidquid enim id eſt, ſi naturæ donum ſit, illud cum omnibus hominibus commune eſt, neque fidelem à non fideli ſecernit, neque ad vitam bene degendam quidquam adiumenti poteſt afferre, cùm ſine aliquo Dei amore, vitam bonis temperatam, inſtitutámque moribus agere nemo queat: quò etiam pertinere videtur, quod à me ſuperiori articulo de S. Proſpero memoratum eſt.

Dico 3. omne prorſus gratiæ propriè dictæ donum, ſiue per ſe ſe tale ſit, ſiue (vt aiunt) in modo ob gratuitam Dei rem ita inſtituentis voluntatem, & quidquid quoquo modo ad bene, beatéque viuendum conferre poteſt, Chriſti eſſe beneficium, quod niſi ſummis illius meritis non poſſumus obtinere. Idque ex anteà dictis paſſim, tum ab ipſo Apoſtoli loco 1. Cor. c. 4. ſatis euidens eſt: *Quis te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* quibus monet nos nihil habere, vnde pro iure noſtro gloriari, aut elatè ſentire de nobis poſſimus, niſi in eo quod non tantùm à Deo, ſed à Chriſto & per eius merita accepimus. Nec verò ab eo dũtaxat nobis datum eſt adiumentum illud quo bonum aut volumus, aut operamur, vitámq; adeo æternam aſſequimur; verùm etiam illud omne quo vitam bene inſtituere poſſumus, ita vt ipſa bene viuendi, agendíque copia, quæ poſſibilitas poſt Auguſtinum dicitur in ſcholis, naturæ noſtræ addita, Chriſti auxilium propriè dictum meritò cenſeatur. Quod docet Tridentinum ſeſſ. 6. cùm can. 1. 2. 3. negat hominem ſuis operibus, abſq; diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo, iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri, credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei

Digitized by Google

iuſtificationis gratia conferatur, &c. ex quo patet etiamnum, hominem ſine gratia Chriſti non modò non iuſtè viuere, ſed nec poſſe.

Multa hoc loco, quæ de neceſſitate gratiæ Chriſtianæ copioſè tractantur à Theologis, ſentio mihi prætermittenda, quanquam non parum ad hanc doctrinam ſtabiliendam poſſe conferre videantur; cùm ſint eiuſmodi, quæ ad ipſam beatitudinis obtinendæ facultatem pertineant, aut certè ab iiſdem Theologis vnà cum ſanctis Patribus, & Conciliis bene multis pertinere dicantur.

CAPVT XI.

Quotuplex donum gratiæ Chriſtianæ ſit.

HIc ego nomine gratiæ Chriſtianæ, tam gratiam ipſam propriè dictam, quàm ipſum ad eam adiumentum ſtatuo primùm eſſe ſumendum, tum verò ita ſumptum à Patribus bifariam diſtribui ſolere. Alterum enim eſt, quod Chriſtus vi laborum, dolorúmque ſuorum nobis meritus eſt; alterum quod ipſe efficit atque operatur. Manifeſtum eſt imprimis nihil prorsùs beneficij, quod ad ſalutem pertineret, antiquis patribus in omni illâ retro temporum eorum, quæ Chriſti aduentum præceſſerunt, perpetuitate fuiſſe conceſſum, niſi propter anticipatam meritorum Chriſti, quæ in omnem anteriorem ætatem latiſſimè propagabatur, dignitatem, cuius erat tanta vis, tanta amplitudo, vt non modò poſteros, ſed & maiores noſtros, ipſúmque adeò mortalium genus ſpectaret vniuerſum; quod ex variis apud Auguſtinum libro de naturâ, & gratiâ locis capite 44. & 63. colligi poteſt. In quo vt in pleriſque aliis falſus eſt non mediocriter Pelagius, qui nullum Chriſti gratiæ primis in temporibus veſtigium agnouiſſe videtur, vt animaduerſum eſt ab Auguſtino lib. de gratia Chriſti cap. 31. *In omnibus* (inquiebat ille) *eſt liberum arbitrium æqualiter per natu-*

Digitized by Google

ram, ſed in ſolis Chriſtianis iuuatur à gratia .... in illis nudum, & inerme eſt conditionis bonum. In eis dicit, qui Chriſtiani non ſunt. Deinde cætera contexens. In his verò inquit, qui ad Chriſtum pertinent, Chriſti munitur auxilio.

Enimuerò cùm omnis gratiæ homini poſt Adæ facinus datæ, omníſque ad ſalutem adiumenti diuini Chriſtus principium fuerit, & cauſa, vt aiunt Theologi, moralis, ac meritoria: idem fuit cauſa efficiens, ſiue phyſica, omnis auxilij, quod poſita Euangelij fide, ad beatitudinis adeptionem conducit. Nam D. Thom. 3. p. quæſt. 48. docet Chriſti dolores, mortémque acerbiſſimam noſtræ ſalutis cauſam eſſe non tantùm *per modum meriti, ſatisfactionis, ſacrificij, & redemptionis*. quæ ſunt rationes variæ cauſæ moralis, verùm etiam *per modum efficientiæ*, ſeu cauſæ phyſicæ inſtrumentalis; in qua cùm vis quædam effectrix cum illius in materiam ſubiectam propinquámque impreſſione requiratur: Doctor Angelicus docet humanitatem Chriſti ab eiuſdem numine, cuius erat inſtrumentum vnâ eadémque perſona coniunctum, accepiſſe virtutem quandam ſpiritualem, quæ ſortiatur efficientiam per ſpiritualem impreſſionem, & applicationem, quæ fit per Chriſti verbum duplex ſiue fidei, ſiue Sacramentale, vt explicat art. 6. quæſt. illius 48.

Ex quo conſequens eſt, Chriſtum Dominum diuerſa planè ratione gratiam ſanctificantem, & gloriam Abrahamo contuliſſe. gratiam quippe anticipatâ crucis dignitate, fuit illi tantùm promeritus, & ſupremos inter vitæ conflictus, de illa præſtitâ Abrahamo ſuo nomine longè antea ope, parenti ſuo gratias egit ampliſſimas; gloriam verò eidem non modò meritus eſt, ſed ipſe per ſe ſe illam ſuis partam laboribus, ſuóque cruore comparatam eidem conceſſit, dum eum à locis inferis eduxit: ac licèt plurimi primæ ætatis bene morati homines, & priſcæ legis cultores eximij gratiam tantummodò propter Chriſtum acceperint; nulli tamen omnium, qui vnquam extitère, niſi & propter ipſum, & per ipſum gloriam obtinuêre. notum verò eſt vulgatúmque hac particulâ *propter* cauſam meritoriam, ſeu moralem; illâ autem *per* efficientem & phyſicam ſignificari. Cùm autem in phyſicis cauſa non poſſit agere, niſi ſubiectæ ma-

Digitized by Google

teriæ applicetur, virtutis Chriſti ſpiritualis applicatio fit vel per fidei & Euangelicæ diſciplinæ prædicationem, vel per Sacramenta à Chriſto inſtituta, adeo vt verbum illud duplex, vitæ diuinæ, & Chriſti parentis noſtri alterius Adami ſemen ſpirituale ſit. Quibuſcumque verò quidpiam gratiæ abſque alterutro iſto modo fuit collatum, illud non per Chriſtum, ſed propter Chriſtum datum eſſe manifeſtum eſt. Quamobrem ſi quando à ſanctis Patribus & Conciliis nonnullis negatum eſt Chriſti gratiam iis fuiſſe conceſſam, quibus Euangelicæ fidei verbum non fuit traditum, id non de quouis auxilio propter Chriſtum collato, ſed de eo tantùm, quod per eum conferri dicitur, eſt intelligendum.

Ex quo compertum etiam habetur, quam in partem accipiendum ſit, quod à quibuſdam priſci temporis doctoribus ſacris dictum fuit, Chriſtum pro illis qui iam tum cùm mortuus eſt, pœnis æternis erant addicti, ſiue fideles fuerint, dum vitam agerent, ſiue non fideles, mortem non oppetiiſſe, & quod omnes alij conſtantiſſimè aſſerunt Chriſtum pro omnibus hominibus, & pro totius humani generis ſalute mortuum eſſe. Neque enim iſti exiſtimant eum profuſum ſuum inter cruciatus ſanguinem Patri obtuliſſe, vt aliquid opis tunc illis afferret. Id nimirum vitio, & errori quibuſdam datum eſt, quòd id ſentirent. at licèt patrem pro damnatis illis non ita orauerit, quod eorum rationes minimè ferebant, aliquid tamen auxilij iis dum viuerent conſtat fuiſſe non modò promeritum; verùm etiam ratum habuiſſe id opis omne, quod à patre in ipſo vitæ decurſu iis conceſſum eſt, & in gratiarum actionem eidem mortem ſuam obtuliſſe. Eò accedit, quod, cùm Chriſtus obierit, vt fidelibus ſanctimoniam, ſanctis beatitudinem conferret; ipsíſque infantibus morte præmatura abreptis remedium ſalutis, ni quid obeſſet, in ſuo ſanguine procuraret applicandum, manifeſtiſſimo argumento eſt, illius obitum pertinuiſſe ad vniuerſos.

Vnde quoque liquidum eſt Euangelicæ legis diſciplinam ratione longè diſpari à Moſaicâ, Chriſto acceptam referri debere. Neque enim iſta per Chriſtum data eſt, licèt non niſi propter ipſum, futuráque eius merita, per Moyſen

data ſit; quâ opinor obſeruatione multis de Chriſti merito, & gratia difficultatibus obuiam itur. Ne quis autem putet id à me gratìs fuiſſe excogitatum, conſulat, ſi vacet, ſuper ea re D. Thomam, tum P. Petauium tom. 4. lib. 2. de Incar. à cap. 6. vſque ad extremum librum, & tomo 2. lib. 8. de Trin. cap. 7. vbi multorum Patrum auctoritate, teſtimoniiſque luculentiſſimis probat, *propriam quandam poſt aduentum Chriſti, atque obitum, communicationem cœpiſſe eſſe Spiritus ſancti, qualis anteà non erat, cuius etiam ab eo tempore factum initium docent, quo in Apoſtolos ſub ignis ſpecie deſcendit, tanquam hactenùs* κατ' ἐνέργειαν, *id eſt, operatione tenùs, in ſanctis fuerit, deinceps autem* οὐσιωδῶς, *id eſt, ſubſtantialiter. Atque haud paucos ex iis exiſtimaſſe vidimus, talem in noſtro primo parente cùm in eum Deus inſpirauit ſpiraculum vitæ, Spiritus ſancti fuiſſe præſentiam, cuiuſmodi ab Chriſto reſtituta eſt, qui nos velut interdicto quodam, vnde vi, in priſtinam, & longo interruptam tempore poſſeſſionem miſerit.*

Quòd verò à Patribus dictum eſt, illud Spiritus ſancti donum cœpiſſe die Pentecoſtes, non ita ſumendum, quod velint ante hoc tempus ſpiritum nulli fuiſſe datum; ſed cùm Chriſti beneficium fuerit, licèt nonnullis anteà Spiritus ſancti datio facta ſit; per Chriſtum tamen tunc toti fidelium communitati cœpit eſſe communis, tunc Apoſtolis diſcipuliſque omnibus adminiſtrandorum ſacramentorum facta copia, & Spiritus ſanctus per eos quorum adminiſtrationi præpoſitus erat, cum baptiſatis, & fidelibus communicari: quo in loco, ſi integrũ eſſet, Theologorum de characteribus Chriſtianorum ſacramentorum, déque ipſa gratia ſacramentali diſputantium ſuffragia afferrem, proponerémque D. Thomæ auctoritatem, qua potior in toto illo contentioſo dicendi genere nulla propemodùm eſſe poteſt, qui 3. part. q. 62. art. 2. docet ſacramentalem gratiam *eſſe ſpecialem quandam, quæ ſe habet ad gratiam communiter dictam, ſicut ratio ſpeciei ad genus, quæ ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes, & dona, addit quoddam diuinum auxilium ad conſequendum ſacramenti finem,* quem, ad primum, ait eſſe *quoſdam effectus ſpeciales, qui requiruntur in vita Chriſtianâ.*

Digitized by Google

CAPVT XII.

De gratia noui & veteris teſtamenti diſſeritur.

ARTICVLVS I.

Gratia noui teſtamenti breuiter explicatur.

TAMETSI diſputationis inſtitutæ rationes non ferant me in hoc argumento fuſiùs, accuratiúſque tractando diu multúmque verſari, tamen ſi, quę ſit iſta noui teſtamẽti gratia, breuiter expoſuero; quippiam, opinor, fecero nec lectori ingratum, nec confutandis Aduerſarij erroribus inutile futurum. Atque vt ritè res omnis procedat, 1. ſuppono ex Diuo Thoma gratiam ſanctificantem à virtutibus, affectionibúſque iis, quæ Spiritus ſancti dona eſſe dicuntur, re ipsâ eſſe diſtinctam. Statuendum 2. omnem gratiam habitualem, ſeu animæ iuſti inhærentem, ab qualibet actuali, quæ vel in quadam intellectus cogitatione, vel motione voluntatis poſita ſit, omninò eſſe diuerſam. Statuendum 3. vnius eiuſdémque habitus varias, multiplicéſque actiones eſſe poſſe. Nã credere Chriſtum nondum veniſſe, ſed venturum eſſe, & eundem veniſſe, actus ſunt, quos inter oppoſitio eſt ſanè non mediocris, cùm tamen ab vno eodémque fidei principio proficiſcantur; quod in charitatem poteſt etiam cadere. Nam quis non videat Chriſtum ſe per eundem charitatis diuinæ habitum amaſſe, & à matre ſua ſanctiſſima amatum vt filium, à diſcipulis vt magiſtrum, à cæteris omnibus bene erga ſe affectis vt fratrem; cùm conſtet amorem ſui ab amore materno, fraternóque longè eſſe diuerſum?

Quibus ita ad propoſitæ quæſtionis explicationem inſtitutis. Dicendum imprimis exiſtimo gratiam habitualem, donáque virtutum diuinarum eadem eſſe in nobis, quæ primis mundi temporibus erant in iis, qui aliqua vel ſanctimoniæ laude, vel priſcæ legis obſeruatione floruerunt, cùm vera

ſidei, & ſpei ſecuritate animati Deum eodem, ac nos charitatis affectu dilexiſſent, beatitudinem aliam ab ea quam aſſequimur non fuerunt conſequuti. ita videlicet S. Doctor 3. p. q. 70. art. 4. vbi Magiſtrum ſecùs ſentientem reprehendit.

Dicendum 2. illos auitæ legis cultores eximios non niſi per fidem Chriſti, & vi meritorum illius diuinæ gratiæ factos eſſe participes. Ita commendatus Doctor eodem in loco, & q. 62. a. 6. vbi docet ſacramenta legis antiquæ gratiam ſanctificantem per ſeſe, hoc eſt, vi ſibi inſitâ, vt ſacramenta legis nouæ minimè peperiſſe: tum verò, quod eſt è re noſtrâ, docet Chriſtum fuiſſe cauſam veluti finalem iuſtitiæ, gratiæque veteris teſtamenti, non autem efficientem, perinde ac cauſa eſt omnis gratiæ nouæ legis. Dixi veluti finalem, ſeu moralem, *nihil enim prohibet id quod eſt poſterius tempore, antequàm ſit, mouere ſecundùm quod præcedit in actu animæ, ſicut finis qui eſt poſterior tempore, mouet agentem ſecundùm quod eſt apprehenſus, & deſideratus ab ipſo . . . ſed cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior in ordine durationis ſicut cauſa finalis*. Quo perficitur, Chriſtum Dominum vno, & altero modo homines iuſtos efficere, & gratiæ iis conceſſæ cauſam eſſe ſolere: prior quidem per eum quatenus creditus eſt olim, & antequam ipſe viueret, præſtitus eſt per fidem quam priſci illi iuſti in eum venturũ crediderunt. Cùm enim Deus futura filij ſui merita animo pręcepiſſet, fidem in Chriſtum primùm, tum fidei beneficio cætera iuſtitiæ dona in anticipatã mercedem tribuebat. Poſterior verò modus cauſæ efficientis eſt, quod Chriſtus ipſe vel per ſeſe, vel per ſuos adminiſtros, cùm pręceptione legis ſuæ, tum ſacramentorum adminiſtratione præſtare ſolet. Neque enim, qui confert ſacramentum plus habet rationem adminiſtri, quàm qui diſciplinam euangelicam tradit, cùm per vtrumque ſiue ſacramenti miniſtrum, ſiue verbi diuini doctorem, idem Chriſtus ſit, qui doceat, & rem ſacram adminiſtret: quæ via duplex eſt, quâ gratiæ cauſa, nouâ in lege Chriſtus eſſe poſſit. Planum quoque eſt, eum gratiam per ſe ſe in diuiniſſimo Euchariſtiæ ſacramento, præſentiſſimo numine operari.

Dicendum 3. Sacramentorum nonnullorum vi quoſdam

imprimi per Chriſtum characteres, qui menti tam altè inhæreant, vt nunquam deleri poſſint; quod in ſchola vulgatius eſt, quàm vt cuiquam obſcurum eſſe poſſit.

Dicendum 4. gratiam eam, quam Theologi dicunt ſacramentalem, ita Chriſtianis eſſe addictam, vt nec priſcæ legis cultores, nec qui per charitatis, & perfecti doloris actus abſque ſacramentorum ope in noua lege, iuſti effecti ſunt, illam acceperint; licèt non neceſſe ſit dicere eiuſmodi gratiam donum eſſe in habitu poſitum, cùm ſit tantùm quoddam ius ad eas gratias actuales obtinendas, quæ ad finem ſacramenti tenendum deſiderentur, vnde D. Th. 3. p. q. 62. art. 2. ait *gratiam ſacramentalem addere ſupra gratiam communiter dictam quoddam diuinum auxilium,* quo nomine S. Doctor quandam motionem diuinam potiùs quàm vllam qualitatem habitualem intelligere ſolet. At negari non debet, quin omnis gratia profecta à Chriſto, quæ proinde noui teſtamenti ſit, modum effectionis quendam, ordinémque habeat, quo ad Chriſtum tanquam ſui auctorem effectorémque referatur, adeóque quoad modum alia ſit à gratia veteris teſtamenti.

ARTICVLVS II.

Gratia noui teſtamenti perfectior eſt.

DICENDVM 5. iuſtos, & gratiæ per Chriſtum datæ participes, auxiliis actualis gratiæ muniri longè excellentioribus, maiori luce illuſtrari, crebrioribus voluntatis incitari motionibus, actus proinde multo edere perfectiores, quàm qui primis temporibus veteris teſtamenti iuſti erant. Hi nimirum Chriſtum venturum aliquando fide quaſi pendenti, & anxia licèt certiſſima credebant; & quadam bonorum caducorum ſpe, rerúmque fluxarum promiſſione adducti, impoſita ſibi à Deo præcepta ſeruabant, Deúmque amabant etiam vt bonorum iſtorum largitorem, adeò vt fides, ſpes, charitas, veteris teſtamenti, non quoddam ſempiternum duntaxat propoſitum haberent, ſed ſimul temporalia bona ſpectarent. Neque enim ita affecti erant Iudæi, vt

animos

animos ab oculorum conſuetudine penitùs abductos ſurſùm efferre poſſent, niſi fortè rerum terrenarum beneficio, quarum ſpecie adumbratam cæleſtem vitam, obſcurè admodum cognoſcebant, & amabant; eorum tamen iuſtitia, ac virtus licèt adhuc affixa humi non indigna Deo videbatur, quæ ſua aliquando mercede propter Chriſtum donaretur. Quàm verò longè diſpar fuit ratio legis nouæ, in qua fidelium virtus certâ ſpe, & charitate ardenti inflammata, nihil intuetur niſi diuinum, atque in ſola æternæ felicitatis fiducia, ac ſecuritate acquieſcit; cuius doctrinæ fundandæ, vt par eſt, ſtabiliendæque cauſâ,

Videtur obſeruandum primò, quod erga res terrenas affici, illarúmque amore aliquo teneri, non ita tamen, vt in iis vltimus finis conſtituatur, non modò non honeſtum ſit, verùm etiam eas à Deo expectare pium, ſi modus ſeruetur, & laudabile, nec non ſua, quantum res ferat, apud Deum, mercede dignum. Neque enim (credo) optabile id eſſe non poteſt, quod à Deo tam prolixa beneuolentiæ declaratione hominibus, tam ſæpe promiſſum accipimus; neque Deus ipſe bonorum iſtorum, ſi quid ferrent præ ſe perniciei, aut vitij, auctorem ſe prædicaret. Quidquid porrò vel à Deo proficiſci poteſt vt auctore, vel promitti vt largitore, illud idem fide diuinâ credi, ſperari, diligi poſſe exploratum eſt.

Obſeruandum ſecundò, in priori teſtamento nunquam niſi obſcurè admodum cæli factam fuiſſe promiſſionem, cùm videlicet Abrahæ poſteris, ſi poſitas à ſe ſeruarent leges, Deus pollicitus eſt effecturum ſe, vt illis bene foret. Nec quiſquam exiſtimet præcepta illa omnia ſolis Iudæis incubuiſſe obeunda; cùm eadem omnia, quæ pro inſtituendis moribus poſita ſunt, ſi quoſdam ritus ad Sabbatum pertinentes alióſq; ſimiles exceperis, cum illis fuerint omnibus aliis communia. Quod enim de Deo ex toto corde diligendo, quod de continenda rei alienæ cupiditate, de amore terrenarum rerum moderando præceptum eſt, illud ex æquo pertinet ad vniuerſos. Quapropter vnum, & alterum bonorum genus Iudæis in mercedem promiſſum eſſe à Deo, euidens eſt; alterum clarè apertéque, quod ſpectabat

Digitized by Google

vitæ huius commoda; alterum verò obſcurè, quo fluxarum rerum felicitate, vitæ nunquam interituræ felicitas adumbrabatur.

Quemadmodum autem Deus duplici hac ratione egit cum Iudæis, atque vtriuſque felicitatis illius terrenæ, ac cæleſtis poſſeſſionem promiſit; par erat, vt hi viciſſim pari modo ſe cum illo gererent, Deóque ſibi obſcurè loquenti, quodammodo obſcurè crederent ac ſperarent. Vnde id intererat diſcriminis apud Iudæos, eos inter qui à Patribus carnales dicuntur, & eos qui vitæ religioſioris erant, quòd hi bona temporalia clarè ac diſtinctè; æterna, quorum erant rudes, obſcurè; illi verò quòd non aliam ſui erga Deum cultus mercedem, quàm temporariam perituràmque expectarent; in quo maximè ab eis peccabatur.

Obſeruandum tertiò, non illud omne, quod quidpiam habet ſecum imperfectionis, continuò vitio dari debere. Poteſt enim imperfecti ratio ita ſe habere, vt non tam boni debiti priuatio ſit, quàm perfectioris, excellentioriſq; quædam abſentia, & negatio. Quare Iudæus qui quaſi mercede conductus Deo ſeruiebat, vt ab eo terrenum quid, ac temporale acciperet; de præmio æterno non niſi confusè admodùm obſcuréq; ſollicitus, nullo modo peccabat, ſi quod exhibebat Deo obſequium, ex animo puro, ac ſimplici proficiſcebatur, quo demum ſe præbebat dignum, qui mercedem æternam, quam vix optabat vtpote ſibi ignotam, conſequeretur. quod de homine Chriſtiano non ita ſtatuendum. Cùm enim palam facta ſint manifeſtiſſima Chriſti teſtificatione vitæ futuræ bona, eadem fidenter, & apertè credere, ac ſperare debet, Deúmque eorum largitorem ſummè amare. Neque tamen quiſquam id à me ſic dictum putet, vt neſcius ſim, priſca in lege floruiſſe olim tam eximiæ ſanctimoniæ viros, qui pro ſingularis pietatis, atque obſeruantiæ ſuæ merito obtinuerint à Deo, vt vitæ cæleſtis expectationem manifeſtam haberent. Verùm hæc cognitio tam peculiaris fuit, vt ad nouæ legis dona pertinere, inſignéſque illos viros, quibus facta eſt, Chriſtianos debere dici, à Patribus proditum ſit. Quamobrem gratia noui fœderis in eo diſcrepat ab ea, quæ eſt veteris, quòd tametſi idem in vtro-

Digitized by Google

que fidei ſit habitus, tamen ob factam diuersâ planè ratione in vtroque rerum diuinarum ſignificationem, diuersámque promiſſionum expectationem, fides ipſa alios aliis præſtantiores actus eliciat. Vt autem diuerſa fuit teſtamenti vtriuſque promulgatio, non eâdem vterque populus fidei obligatione tenebatur. Quòd ſi fidei ratio in vtroque diſpar eſt, erit etiam ſpei, & charitatis, cùm quod ſperatur, aut diligitur, ab ipſius fidei cognitione modum accipiat.

Merces quidem temporaria legis antiquæ cultoribus proponebatur, non ita tamen, vt æternam excluderet, quam in ſe ſe, ſed occultè admodum continebat; eáque qui mouebantur vt Deum amarent, legíque gererent morem, etiam ipſius quam non nouerant, gloriæ cæleſtis fiebant participes. At Chriſtianus, cui nihil propoſitum eſt niſi immortale, atque æternum, ſi rei terrenæ, ac mortalis ſpe duci ſe ſinat, ſi vt hac in vita ſit fortunatior, Chriſtianus fiat, ſi Chriſto ſe addicat, vt pinguior ei contingat auctiórque fortuna: non ſe peccati ſuſpicione liberabit. Hinc factum, vt temporalium bonorum appetitione Chriſtus diſcipulis ſuis, omnibúſque deinceps virtutis ſuæ æmulatoribus tam ſanctè interdictum voluerit. videtur quippe alienum, vt qui in ſpem, communionémque cæleſtis boni palàm vocatur, is rerum terrenarum implicet ſe nugis: atque adeò nemo putet poſſe ſe eo conſilio eſſe Chriſtianum, vt aut diuitiis ornatior, aut ab omnibus vitæ commodis inſtructior paratiórque eſſe queat. Quod ethnico legem Moſaïcam amplectenti fas erat; nefas homini de Chriſtiana lege amplectenda cogitanti. Quæ omnia & per ſe clara ſunt; & ad caſtigandos Ianſenij de lege Iudaica errores accommodata.

ARTICVLVS III.

Eadem de vtriuſque gratiæ diſcrimine, doctrina explicatur.

LEGIS vniuerſim acceptæ ſpecies cenſetur omnino triplex. Naturæ, Moſis, & Gratiæ; prima naturalis, ſecunda ſcripta, tertia Euangelica dicitur; quarum vnus idémque auctor eſt, inſtitutórque Deus: à quo poſitæ leges, & fidei,

ſpei, ac charitatis frequens vſus præceptus hominibus; & auxilium gratiæ, quod ad eas vices implendas, præſertimque Deum ſummè amandum requirebatur, benignè conceſſum, cum hac tamen differentiâ, quod Euangelicæ legis ritus ſacri, quos Sacramenta appellant, gratiam ad ſeruandam legem Chriſtianam neceſſariam abſque vllo fidei cùm miniſtri, tum iuſtificati actu, & merito abundè ſufficiant, res autem in lege vel ſcriptâ, vel naturali minimè ita habebat, cùm apud vtramque nullum eſſet eiuſmodi Sacramentum, quod per ſe, & vt aiunt *ex opere operato*, tam præſenter operaretur gratiam habitualem, aut cætera virtutum dona, ſine quibus nemo credere, ſperare, diligere poteſt, vt par eſt, ad ſalutem vel ipſam iuſtitiam conſequendam. Ita nimirum baptiſmus, quod eſt Sacramentum fidei, à Chriſto inſtitutus, purgat infantem ab omni labe, cúmque gratiæ donis ornatum, in viam ſalutis recipit; etiamſi vel qui Sacramentum adminiſtrat, vel cui adminiſtratur, nullum fidei actum exerceat; cùm ipſe Chriſtus cuius numen præſens eſt, Sacramenti quod confertur primarius effector ſit.

At verò de circumciſione aliter ſtatuendum, cuius vis erat tenuis adeò, & anguſta, vt ad iuſtitiam obtinendam nihil admodum conferret, niſi quod vel à circumcidentis, vel circumciſi fide expreſſerat. Cùm enim fidei eſſet quoddam quaſi ſpecimen, ac ſignaculum, illud vanum, ac inane meritò cenſebatur, niſi fides interueniret: vnde Apoſt. Galat. 2. *Quoniam non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Chriſti Ieſu.* In quo cum lege naturali conueniebat ſcripta; vt ad iuſtitiam acquirendam opis nihilo plus quàm illa afferret; in eo tamen potior erat, quod longè plura bona contineret, quæ ab Apoſtolo ad Rom. capite 3. ſtrictim, fuſiùs 9. recenſentur, vbi inquit, *quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, &c.* Cùm enim idolorum cultus hoc potiſſimùm nomine vigeret, ac propagaretur, quod vitæ commoda promitteret, atque homines vano malorum, mortíſque ipſius metu, ac terrore ſtupefactos in duriſſimam dæmonis ſeruitutem manciparet; vt Iudæos ab hoc cultu deterreret Deus, & ad ſuum reuocaret, eadem vitæ bona iis polliceri,

ſibique morem gerentibus largiri non dubitabat.

Verùm quoties ſe vel inquinabant flagitiis, vel ad idolorum cultum mentem referebant, animo planè inclementi ſeruum illud hominum genus, omni verberum, ac plagarum acerbitate exercebat, ita videlicet vel pœnarum metu, vel rerum terrenarum ſpe, nimiam illam ſuorum duritatem continebat. At quàm benigniùs liberaliúſque actum ab eo cum Chriſtianis, quos cùm ad immortalis vitę adeptionē vocabat, docuit, nihil illis magnopere faciendum, niſi quod immortale eſſet, atque æternum; hinc illa videlicet fuga deliciarum, hinc rerum humanarum contemptio, atque deſpicientia, hinc fortunarum ſatietas, & vitæ ipſius faſtidium, quibus legis Euangelicæ diſciplina tantopere commendatur: ita demum perfectum eſt, vt homines qui priùs vano metu adducti, dæmoni ſeruiebant, per gratiam Chriſti de illo triumphum agant, & ipſa rerum acerbarum perpeſſio quæ Iudæis terrori fuerat, Chriſtianis amori ſit, atque his mors inſtrumentum iuſtitiæ fiat, quod illis erat in pœnam, ac ſupplicium.

Atque vt in re nondum fortè ſatis explicatâ, dicam ipſe quod ſentio, ne quippiam difficultatis relictum ſit; lex naturæ, mihi quidem videtur non abſimilis ſyderi oſtendenti ſeſe, & purâ admodum ſerenâque in nocte lucenti; lex verò Moſaica lunæ; Euangelica ſoli, ſic vt ſolis, lunæ, & ſyderis lumen idem planè ſit, ſol tamen per ſe ſe luceat, illiúſque ſplendore omnia illuſtrentur: ſydus verò obſcurâ luce breue quoddam atque exiguum iter deſignet, nec ea quæ vel diſſita ſunt ſatis retegat, nec quæ retegit illuſtret ac diſtinguat; quòd ſi fortaſſe ſolis, à quo ſplendorem deriuat ſuum, notitiam det aliquam, qua tamen in parte cœli verſetur non oſtendat, mox ſi luna affulſerit, id conuerſione ſua declaret: ita lex naturalis obſcuram quidem Dei, futuríque ſaluatoris afferebat cognitionem, quem Moſaica è tribu Iuda naſciturum præcipiebat. Qui verò vel legis erant ſcientiſſimi, vel verſatiſſimi in dictis Prophetarum, ex ſtatu ſynagogæ deficientis poterant duci coniecturâ Meſſiæ primo quoque tempore affuturi. At quàm præſtantior longè præ duabus iſtis Euangelicæ legis conditio, in qua ſol prin-

ceps, ac moderator luminum cæterorum, luce ſua omnia luſtret, & compleat.

In triplici illa lege locum habuit fides, verbum Dei fuit manifeſtatum, cuncta, quæ ſciri oportebat, traditione, ſcriptura, libris, prophetis declarata; Iudæis quidem confusè, ac perturbatè per figuras, & parabolas, quibus regnum Dei obſcurè ferebatur; Chriſtianis verò clarè adeò ac diſtinctè, vt myſteriorum nihil eos iam prorſus lateat. Nec cuipiam mirum, opinor, videbitur, ſi idem fidei, & gratiæ lumen in gentibus, in Iudæis, & Chriſtianis, effectus operetur ita diſſimiles, cùm in vna eadémque Dei familiâ quæ fidelium communitas eſt, pueri, infantes, adoleſcentes, & viri, eiuſdem hæreditatis futuri aliquando participes, tam diuersâ ratione à Deo amantiſſimo parente ſuo habeantur. Neque enim arcana ſua communicat cum pueris, & infantibus, quæ maturæ ætatis viris aperit, neque illis bonorum ſuorum adminiſtrationem committit, quam non negat aliis, aut quibuſcum non iam vt ſeruis, ſed vt amicis ſe gerit. Quæ omnia pro inſtituti mei ratione ſtrictim ac breuiter expoſuiſſe ad planiorem eorum quæ conſequuntur intelligentiam, ſatis erit.

ARTICVLVS IV.

Hæc doctrina de vtraque gratia SS. Auguſtini, & Thomæ teſtimonio confirmatur.

NE quid fortaſſe lucis in re propoſitâ meritò deſiderari poſſit; diligenter etiam obſeruandum velim, cùm in lege ſcripta tum naturali, aliquod fidei in Chriſtum venturum extitiſſe veſtigium, legémque impoſitam, quæ præter præceptiones quaſdam ad mores bene inſtituendos pertinentes, primò quidem in eorum qui ſub lege naturali viuebant, mente, tum verò diſtinctè magis in lapide à Deo deſcriptas, & ob contractam prauitate peccati ignorantiam pleraque alia rituum, ac cerimoniarum præcepta, quæ ad Chriſti gratiam legémque Euangelicam ſignificandam ſpectabant, tum pœnas temporales legis diuinæ violatoribus intentatas continebat, quibus Iudæi à malefactis deterreban-

Digitized by Google

tur. hac porrò lege ſæpenumero ſancti Patres vnà cum ſacra Scriptura vetus Teſtamentum intelligunt.

Lex autem ſi ſeorſim abſque gratia ſumatur, eſt quidem peccati quædam cognitio, non fuga, cùm homini iam naturę corruptela deprauato præuaricationis, maioríſque peccati occaſio ſit; cùm autem vi legis malefactorum conſcientia, peccatíque cognitio augeatur, ipſa corruptionis noſtræ mole, quod dictum eſt à poëta, nitimur in vetitum; vnde Auguſtinus lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 5. *Virtus peccati lex. Auget enim*, inquit, *prohibitio deſiderium operis illiciti.* nihilominus in eo lex profuit, quod cùm daret occaſionem præuaricationi, homo de ſua infirmitate conuictus, abiectè, & humiliter ſentire de ſe debebat. *Et ſicut duo iſta, ſcilicet cognitio morbi, & impotentia infirmi, multùm inducunt ad quærendum medicum: ita cognitio peccati, & propriæ impotentiæ inducunt ad quærendum Chriſtum. ſic ergo lex obſequuta eſt gratiæ, in quantum præbuit cognitionem peccati, & experientiam propriæ impotentiæ.* Ita D. Th. lect. 8. in c. 3. ad Gal. quamquam hoc ſola lex præſtare per ſeſe non poteſt, niſi fidei facta ſit acceſſio, quæ ſola mediatorem Chriſtum nouit, & eum medicum eſſe declarat, quem qui in lege infirmus eſt, adire debeat, ſi valetudinis recuperandæ deſiderio teneatur. Vnde niſi manifeſtatum fuiſſet, Chriſtum aliquando eſſe promiſſum, non modò lex eſſet inutilis, ſed aliquem deſperationi locum daret. Nec verò, quod ait Paulus, lex pædagogus eſt, nec puerum curæ ſuæ commiſſum regit, ac moderatur, niſi doctor propoſitus ſit, ad quem diſcipulum ſuum deducat; de quo pædagogi munere quod lex obit, mira ſunt apud Petauium tom. 1. Theol. dog. lib. 10. cap. 26. apud quem, ob id muneris, Cyril. Alexand. legem vocat *præmeditationem quandam virtutis & proluſionem veri cultus diuini.* & cap. 4. ad Galat. Apoſtolus Iudæum cum puero infanti comparat, qui licèt ſit hæres, & dominus omnium, tamen quamdiu teneræ adeò ætatis eſt, nihil differt à ſeruo in tutoris clientelam commiſſus, vſque eò, quò iuris eſſe ſui cœperit. *Nos*, Iudæi, inquit Paulus, *cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes.*

Audio Auguſtinum de Idololatris hunc locum fuiſſe in-

terpretatum; ſed non ſum neſcius, quid pleriſque Græcis ſuper ea re videatur, qui eleměta iſta de quibus hîc mentio eſt, de ſacramentis Iudaicis, quibus præmium temporale proponebatur, exiſtimāt eſſe intelligenda, nec ab illâ explicationē ipſe abhorret Auguſtinus, qui hanc interpretationem de Iudæis ipſis, non exiſtimat reiiciendam: adeo vt Paulus ſtatum legis cum paruulo componat, vnde D. Th. lect. 1. hæc habet: *Notandum quòd in populo Iudaico, aliqui erant ſimpliciter ſerui, illi ſcilicet, qui propter timorem pœnæ, & cupiditatem temporalium, quæ lex promittebat, legem ſeruabant: & hi erant Iudæi carnales, qui ex fide Chriſti nulla viuebant. Aliqui verò erant, qui non erant ſerui ſimpliciter, ſed quaſi ſerui exiſtentes erant verè filij, & hæredes, qui licèt attenderent exteriùs ad temporalia, & vitarent pœnas, nihilominùs tamen in eis finem non ponebant, ſed accipiebant ea vt figuram ſpiritualium bonorum, &c.*

Quod autem Paulus ait Iudæos ſub elementis ſeruiiſſe, explicat S. Doctor de lege, quæ mercedem terrenam, ac mortalem promittebat, & pœnæ temporalis metu terrebat nocentes, quod non ita accipiendum eſt, quaſi Hebræi elementis, gentium more, cultum exhiberent, ſed quod Deo ſub illis ſeruiebant. *Fuit neceſſarium,* inquit, *vt Iudæi ſub elementis mundi huius deſeruirent Deo, quia iſte ordo eſt congruus naturæ humanæ, vt à ſenſibilibus ad intellectualia perducantur.* Ex quo perſpicuum eſt quod contendebam, Iudæos non modò deditos ſenſibus, ac ſolutiores, verùm etiam eos qui bene morati erant, Deóque proinde accepti, ſub elementis mundi ſeruiiſſe, adeò vt quaſi ſerui eſſent, qui licèt ad temporariam mercedem attenderent, æternam accipiebant. Verùm ſicut Auguſt. epiſt. 120. ad Honorat. cap. 5. ait: *Chriſtus homo vt per eum reuelaretur noui gratia teſtamenti, quoniam non ad temporalem ſed ad æternam vitam pertinet, non vtique terrena felicitate commendandus fuit*: quibus verbis diſcrimen vtriuſque gratię ſatis explicatur. Quòd autem veteris teſtamenti grātia ad iuſtos quoque pertineat, oratione conſequenti declaratur. *In veteri teſtamento, quando commendabas, non niſi à te peti, ſperaríque debere etiam ipſam terrenam, temporalémque felicitatem, in te ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt, & eruiſti eos, &c.* Illi porrò Patres quos Deus ſperantes

rantes in ſe, aure adeò benigna tam facilis exaudiuit, non erant carnales illi; *qui terrenis irretiti, eáque tantummodo ſperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem cæleſtis ſpiritualem patrimonij*. Sic Aug. in epiſt. ad Gal. Quod lib. 10. de Ciuit. Dei c. 14. repetit, his verbis; *Sicut vnius hominis, ita humani generis quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio per quoſdam articulos temporum, tanquam ætatum profecit acceſſibus, vt à temporalibus ad æterna capienda, & à viſibilibus ad inuiſibilia ſurgeretur, ita ſanè vt etiam illo tempore, quo viſibilia promittebantur diuinitus præmia, vnus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana, vel pro ipſis terrenis vitæ tranſitoriæ beneficiis, cuiquam niſi vero animæ creatori ac domino ſubderetur. Optimè igitur anima humana adhuc terrenis deſideriis infirma, ea ipſa quæ temporaliter exoptat bona infima, atque terrena vitæ huius tranſitoriæ neceſſaria, & præ illius vitæ ſempiternis beneficiis contemnenda, non tamen niſi ab vno Deo expectare conſueſcit, vt ab illius cultu, etiam in iſtorum deſiderio non recedat, ad quem contemptu eorum, & ab eis auerſione perueniat.* Et capite 15. *Hac lex diſtributione temporum data eſt, quæ priùs haberet promiſſa terrena, vt dictum eſt, quibus tamen ſignificarentur æterna, quæ viſibilibus Sacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci.* Nec tamen pauciſſimos iſtos Deo ſolos acceptos fuiſſe exiſtimat Auguſtinus, vt illi Ianſenius imponit; qua fide, viderint alij; non enim vacat in omnibus hominem torquere; nam de Auguſtini mente, quidquid dicat Ianſenius, res eſt in promptu; illi enim multi, paruuli licèt, rudéſque admodum & imperfecti erant filij, & hæredes per Chriſtum aliquando futuri. Niſi quippe Auguſtinus multorum illorum poſterorum Abrahæ, fluxa ac terrena à Deo expectantium, eúmque proinde colentium, rebus æternis obſcurè admodum intellectis, mores & inſtitutum probaret, illorum vtique omnium, paucorum videlicet intelligentium, & multorum rudium vitæ Chriſtianæ, *eruditionem rectam* non appellaret, nec doceret *optimè animam humanam terrenis deſideriis adhuc infirmam* à Deo *mercedem expectare*, eóſque hinc, *in iſtorum deſiderio à Dei cultu non receſſiſſe.* Quî enim fieri poſſit, ſi ipſum deſiderium vitioſum erat,

Deóque minimè acceptum, vt in eo Deus coleretur, cùm Dei cultus munus pietatis ſit, quod malum eſſe non poteſt. In quibus fusè tractandis ideò verſatus ſum, quoniam idonea videbantur, quæ ad confutandos Aduerſarij errores valerent; qui nonnullis Auguſtini ſententiis, de duritate terrenóque affectu Iudæorum dictis deceptus, pauciſſimos eorum ſaluos exiſtimat.

Hîc verò diligenter notandum, factam ab Auguſtino duobus in locis in quibus res ita ferebat, de lege Moſaïca mentionem, contra Manichæos primùm, cæteróſq; legis aduerſarios, tum contra Pelagianos; Cùm autem Pelagiani legem ſolam excluſâ Chriſti gratiâ, quam in veteri teſtamento fuiſſe negat Pelagius, cum libero arbitrio ad ſalutem ſufficere arbitrarentur; viſum eſt Auguſtino, ſanè quidem ſapienter, vt eos reprimeret, demonſtrare, legẽ Moſaïcam per ſe ſe ſine gratiæ vi atque ope, ad ſalutem prorſus eſſe vanam, atque inutilem; quòd ſolum pœnæ timorem, amorem iuſtitiæ nullum inſpiret, imò ſit occaſio vt Iudæus quadam operum iuſtitia præfidens, in faſtum atque ſuperbiam efferatur. Cùm verò legis ſtatum damnarent Manichæi, eius cauſa Auguſtino erat ſuſcipienda; & illius vis, ac dignitas fortiter defendenda. Eamobrem oſtendebat illam cum gratiâ coniunctè ſe habentem plurimùm ad ſalutem afferre adiumenti; gratiam porrò à Deo Iudæis quantumuis rudibus, atque imperfectis nunquam negari, cùm ab eius ſumma prudentia alienum videretur, legem aut præceptum imponere, nec vnde ſeruari poſſit, poteſtatem dare.

Tametſi autem Iudæos cum Chriſtianis comparatos magnopere imperfectos dicat Auguſtinus, nunquam tamen animum ſuum inducere potuit, vt eos flagitioſos, ac ſceleratos appellaret: ſed cùm mortalis homo ipſa peccati originis mole, vitiorúmque conſuetudine oppreſſus ſemper in humum inclinet, bonorúmque fortunæ deſiderio, atque appetitione ſupra modum teneatur; immoderatam illam cupiditatem legis Moſaïcæ primùm, tum Euangelicæ diſciplina ſtatuit Deus eſſe temperandam; ne quod via ad beatitudinem eſſe poteſt, beatitudinis ipſius ſummæque

felicitatis loco haberetur; acerbæque interdum adhibitæ pœnarum comminationes, vt intra iuſtos fines minùs moderatorum appetitio contineretur, & intelligerent homines duri, ac rudes, non à dæmonibus, ſed à Deo ipſo rerum omnium ſummo moderatore bonorum illorum communicationem eſſe expectandam, quam qui flagitarent, Deum facilem ſibi, atque placatum debito obſeruantiæ cultu exhibere, eúmque diligere, & poſitas ab eo leges nauiter ſeruare pro ſua parte contenderent.

Verùm quam carnis, vitæque huius naturalis cupiditatem, certè ſi modus teneretur, non malam veteri lege temperabat Deus, illã legis Euangelicæ inſtituto prorſus extinxit, & Chriſti dilectiſſimi filij ſui exemplo homines rebus omnibus nudos, imparatóſque durum, ac humile vitæ genus ſectari, acerbiſſima quæque ſublimi, erectóque animo tolerare, & ipſa cùm deſpectionis, tum afflictionis perpeſſione gloriari doceret, adeóque certiſſimam de generis humani hoſte crudeliſſimo reportare victoriam; penes quem cùm ius quoddam imperiúmque mortis eſſet, miſeri mortales impotentiſſimo immanis illius tyranni dominatu, ab obſequio diuino deterrebantur.

Verùm poſtquam ſumma Dei benignitate perfectum eſt, vt à Chriſto turpem in modum vinceretur, frangeretúrque omnis illius poteſtas, ac dominatio, nihil demum ei relictum eſt, quo Chriſtianos malè haberet; tum enimuerò reſedit timor omnis, quo Adæ poſteri miſerè affligebantur, cùm illius ſuperbiſſimo dæmonis imperio ſubiacerent; tum omnis animorum ſedata eſt anxietas, ac perturbatio. Quid plura? reſpirari cœptum, & receptâ libertate omnia demùm pacatiſſima ſperari. Et illa eſt nimirùm tam ſæpe commendata noui teſtamenti gratia data per Chriſtum, quam tantopere laudat in fortiſſimis illis heroïbus, qui primis Eccleſiæ temporibus floruerunt, totiéſque deprædicat Auguſtinus, præſertímque libro de correp. & gratia cap. 12. quam gratiæ olim Adamo, cùm primùm conditus eſt, conceſſæ longè anteponit; cuius excellentis gratiæ vis tam eximia fuit, vt homines à terrenarum rerum cupiditate, ac conſuetudine auocatos ad immortalis vitæ ſpem inflammarit,

Digitized by Google

omniúmque adeò bonorum vitæque ipſius contemptum Chriſtianorum mentibus tantum inſpirarit, vt nihil in hoc orbe optabile admodum ducerent, quàm quod cæleſte erat, ac ſempiternum. Quæ mirifica conuerſio animorũm, cùm ab eo tempore facta ſit, quo Chriſtus rediuiuus à mortuis prima Eccleſiæ Chriſtianæ ſtabiliuit fundamenta, huius diuinæ gratiæ tam admirabile donum Chriſto rediuiuo, & in cælum aſcendenti Auguſtinus cum Scripturâ, cæteríque Patres tribuere ſolent. Eò quippe pertinet illa quæ ab Apoſtolo ad Romanos habetur à lege, & doctrina gratiæ diſtinctio, quam vtramque ſine alterâ inducit, vt oſtendat, quàm parùm conſulti ſint Iudæi, qui inani legis ſpecie tantùm ſibi tribuant, vt importuno faſtu, atque oſtentatione arroganti ſortem ſuam velint gentibus longè eſſe anteponendam, tum vt gentes ipſas ſapientum ſuorum doctrina gloriantes comprimat. Quapropter vt vtriſque gratiæ Chriſtianæ vim neceſſariam eſſe probet, quàm tenuis ſine fide in lege & doctrina momenti ſit, & præſidij ad bene agendum, pluribus declarat.

CAPVT XIII.

Timor Dei cum gratia adoptionis comparatur.

ARTICVLVS I.

Timor Dei multiplex explicatur.

NON abs re videtur, quod Apoſtolus tam multus ſit in commendandâ dignitate Chriſtianæ legis, quam ſpiritum adoptionis, & in lege veteri deprimenda, quam iugum ac ſeruitutem ſolet appellare; hinc illæ voces tam crebrò repetitæ; *non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Rom. 8. tum verò addit, Spiritu ſancto teſtimonium reddente nos ſcire, quia ſumus filij, & hæredes Dei, vtpo-

te fratres Chriſti, & cohæredes, *ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Quia videlicet Chriſto reſurgente, certi ſumus quòd & reſurgemus, adoptionem perfectam filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri, quod eodem loco pluribus perſequitur Paulus, adeò vt ſpiritum adoptionis dicat eſſe eum, qui *ſuſcitauit Ieſum à mortuis, & viuificabit mortalia corpora noſtra*, hánceque adoptionis gratiam Chriſto reſurgenti tribuit, ob ſpem *qua ſalui facti ſumus*: & ad Galat. 4. *Cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes. at vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum.... vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus..... Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quòd ſi filius, & hæres per Deum. Adoptamur autem*, inquit S. Th. in illud cap. 4. lect. 2. *ſecundùm gratiam per Chriſtum, quia huic filio naturali Dei conformamur.* Et in c. 8. ad Rom. lect. 3. apertè docet ſpiritũ timoris, & adoptionis non eſſe *alium, & alium, ſed eundem Spiritum ſanctum, qui in quibuſdam facit timorem ſeruilem quaſi imperfectum, in aliis facit amorem quaſi quoddam perfectum.* Duplex eſt enim Spiritus ſancti in nobis effectus, amoris alter, alter timoris. *Timor autem facit ſeruos, non amor.* Atque vt Doctor ille diuinus explicet, quem timorem ſpiritus nobis inſpiret, duo eſſe obſeruat, quæ timori obiiciantur: alterum eſt ipſum malum, quod, qui timet, refugit; alterum verò, cauſa mali, quam amoliri à ſe, ſi quoquo modo ingruat, homo timidus ſedulò conatur. Ita videlicet reus timet & mortem, quæ ſibi imminet, & iudicem ſuum, à quo mortem ſibi deſtinari videt. Quæ duplex timoris cauſa etiam bifariam diuidi poteſt: nam malum quod timemus vel eſt æternum, vel temporarium, iſtúdque vel à Deo, vel à re creatâ proficiſci poteſt; timor mali, ſi per ſeſe cõſideretur, vt naturæ inſitus, nec mali quicquam, nec boni præ ſe fert; immoderatus tamen eſſe poteſt, ſi ab immoderata boni cupiditate oriatur. Quin etiam qui ita delicatus ſit, vt vel leuiſſimum quid moleſtiæ temporalis ab homine pati, nimis anxiè ſollicitéque refugiat, fugæ illius cauſa, timor eſt non bonus, vetitus à Chriſto dicente, *nolite timere eos qui occidunt corpus.* Quod tamen de timore eo intelligendum, qui cùm ſit ſupra modum, timori diuino contrarius eſt, quo

Digitized by Google

qui timet, hominem magis, quàm Deum timet. Eſt & aliud timoris genus, quod tametſi circa homines verſetur, tamen ſi moderatus ſit, cenſebitur non malus, is videlicet, quo Principes nobis præpoſitos timere, ac vereri tanquam diuinæ iuſtitiæ adminiſtros iubemur. Is autem timor cùm intra naturæ ipſius vires poſitus ſit, & ab ea manet, nec Spiritus S. opus eſt, nec gratiæ partus. Verùm timor is pœnæ etiam temporalis, qui Deum illius auctorem, ac offenſi ſui numinis vindicem acerrimum intuetur, poteſt à Spiritu ſancto qui omnium bonorum eſt dator, non proficiſci, eſt tamen *laudabilis,* inquit D. Tho. *quantùm ad hoc ſaltem, quod Deum timet.*

Quòd ſi eiuſmodi ſit, vt pœnam duntaxat temporalem reformidet; neq; ad peccatum, quod ſpirituale eſt, pertineat, erit vitioſus, eáque contractio animi, cùm ſeruile quippiam præ ſe ferat, ac verè mercenarium, non à Spiritu ſancto, ſed ab homine ipſo proficiſcitur. Quod ſecùs habet, ſi hoc vitio careat. Neque enim à ratione videtur alienum, eum vt facilem tibi reddere ſtudeas, ac placatum, quem non modò timeas vindicem, verùm etiam cuius intentatam vltionem propulſare à te nulla arte queas: in quo cùm erga Deum afficiare etiam vt tibi terribilem, ac metuendum; iam aliquâ diuini Spiritus motione impulſus agis. Et quamquam te in amorem Dei purum minimè vis illa inclinet, tamen quòd à peccati conſuetudine Deíque offenſâ deterreat, & Deo, ſin minus propter ſe, & purè, ſaltem propter aliud bonum cuius tibi ſit auctor amando locum det, cuiuſpiam laudis dignus videbitur. Ab illo quippe naſcitur amor is, qui vulgò dicitur initialis, quo peccatum, malúmque omne bono ſpirituali contrarium, ipſáque deinde ſeparatio à Deo refugitur; ita tamen vt hæc fuga Dei iuſtiſſimi vindicis causâ ſuſcepta ſit. Talis eſt timor gehennæ, omníſque adeò pœnæ æternæ, qui quia pœnam etiam cum culpa coniunctam conſiderat, initialis appellatur, quòd potiſſimùm in eos homines cadat, qui noui ſint in fide, ac recentes. *Timent enim,* inquit D. Th. *pœnam propter peccata præterita, & timent ſeparari à Deo per peccatum.* Vnde fit vt timor is ab aliqua charitate procedat. Neq; enim quis ſe à Deo per peccatum ſeparari refugit, niſi ipſi adhærere imprimis velit, quod coniun-

ctionis ſtudium charitas eſt, ſed non perfecta, quia coniunctionem cum Deo conſiderat ſibi fore commodam, & magnopere flagitat eum propitium ſibi reddere, ac placabilem, à quo pœna metuebatur.

At perfecta charitas non ea ſolet attendere, quæ è re ſua ſint; parùm enim ſollicita de ſe, de Deo, cui ſtudet vni, laborat; hunc amat propter ipſum, hunc intuetur, in eóque vno ſecurè acquieſcit. Qui verò ab hoc amore timor profluxerit, is caſtus timor, ac filialis à Doctoribus, quòd filium ſapiat non ſeruum, appellari ſolet, *quia facit voluntariè hominem operari ad honorem Dei, quod eſt propriè filiorum.*

ARTICVLVS II.

Gratia adoptionis breuiter exponitur.

PORRÒ ſeruum illum timorem inſpirabat lex vetus, qui licèt cum eo quem initialem diximus, nihil habet oppoſitionis, cùm vterque ſimul conſiſtere queat; cum eo tamen de quo extremo in loco dictum eſt, qui cum perfectâ charitate coniunctus ſit, ita pugnat, vt ab eo extinguatur. *Charitas enim foras pellit timorem.* Quapropter timorem imperfectum, & ſeruilem lex vetus acceſſione gratiæ laudabilem quidem efficiebat, ſed non perfectum, quæ partes erant nouæ legis, à qua omnis perfectionis complexio erat expectanda. Hinc videlicet excitatus in mentibus noſtris caſtus ille purúſque timor, ab adoptionis gratiâ productus, qui cùm feratur in Chriſtum tanquam in fratrem amantiſſimum, mirificum ciet in nobis, cùm vitæ iſtius mortalis contemptum, tùm deſiderium cæleſtis, atque æternæ, quam nullis præterea figuris adumbratam manifeſta in luce fidei intuetur. Cúmque amicitia omnis, ſi vera ſinceráque ſit, morum ſtudiorúmque ſimilitudinem efficiat, facit amoris illius benigna vis, vt Chriſto, quem vnicè amamus, imprimis ſimiles nos velimus, eiuſdémque mores, ac ſtudia quoad fieri poteſt imitemur, parcè ac duriter, quemadmodum ille, viuamus, acerba quæque, quæ libens amplexus eſt, amplectamur, nihílque eorum refugiamus, quæ fieri in ſe tam patienti animo ſuſtinuit.

Digitized by Google

Eò nimirùm pertinebat inſtitutum illud de diuiniſſimo Incarnationis myſterio conſilium, quòd eo eſſe ſuſceptum, vt homines filij Dei fierent, locupletiſſimis plurimorum Patrum & Scripturæ teſtimoniis tom. 2. de Theol. dog. l. 8. c. 7. & tom. 4. lib. 2. de Incarn. c. 8. fusè demonſtrat Petauius, adeò vt Patres illi conſtantiſſimè doceant ſpiritum adoptionis ante Chriſti Domini aduentum hominibus non fuiſſe conceſſum, nec datum fuiſſe οὐσιωδῶς, hoc eſt ſecundùm ſubſtantiam, ſed duntaxat κατ᾽ ἐνέργειαν, ſecundùm operationem; hócq; diuinæ liberalitatis tam admirabile, támque magnificum donum ipſo Pentecoſtes die fieri cœptum, iuxta illud Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus ſanctus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.*

Nec defuêre è ſcriptoribus antiquis, qui tam certâ Patrum auctoritate adducti exiſtimarent nullam in priori lege, nec nobiliſſimo legis illius ſacramento, quo nimirum originis vitioſitas expiabatur, datam fuiſſe gratiam ſanctificantem. quod Doctor diuinus putat non ferendum 3. p. q. 62. art. 6. & q. 70. art. 4.

Sanè quidem Cyrillus memoratus à Petauio, nullum ante aduentum Chriſti, licèt propheta fuerit, aliáque claruerit apud ſuos dote, templum Dei eſſe vocatum obſeruat, & affirmat Aug. lib. 2. de ſermone Domini cap. 4. neque Deum primo in fœdere patrem, neque eos, qui iuſti erant, filios Dei fuiſſe appellatos. Hæc erat enimuerò debita Chriſtianæ legi honoris, ac dignitatis prærogatiua; hoc ſacratiſſimi Chriſti cruoris pretium, eò ſpectabant labores tui Ieſu diuiniſſime, cùm tradebas temetipſum, cùm ad mortem raptabare, cùm te tortorum furori permittebas, cùm pendebas è cruce, & medios inter cruciatus animam profundebas, hoc vnum moliebare, vt nobis quos dura dæmonis ſeruitus premebat, faceres copiam tuiipſius, & ſpiritum tuum in nos effunderes, adeò vt *non iam per gratiam viſitationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis, atque in vaſa iam non odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxerit vnguenti*, inquit Aug. ſer. 185. de tempore, qui eſt primus de 2. feria Pentec.

Verùm quia hac etiam ratione primo mortalium parenti, cùm res illi etiam ſaluæ eſſent, atque integræ, ſpiritum eundem

dem

dem fuiſſe datum, fateantur Doctores; quo demum modo id dicendum ſit, abſque vlla legis veteris, aut prophetarum, ipſiúſque adeò Ioannis Baptiſtæ offenſione, quibus id muneris negatum eſſe à Patribus accepimus, cùm de gratia Adamica, & Christiana erit diſputandum commodiùs explicabitur. Interea non videtur omittendum, quod in rem noſtram appoſitè dictum eſt ab Aug. in epiſt. ad Galat. *Nos Dei filios eſſe participatione ſapientiæ, id eſt, præparante atque præſtante mediatoris fide, qua nos non aliam quàm eius hæreditatem à patre expectamus.*

CAPVT XIV.

Errores Ianſenij de lege Moſaïca.

ARTICVLVS I.

Quid de lege Moſaïca Caluinus, & Janſenius ſentiant ſummatim proponitur.

LICET omnem legis, ac doctrinæ diſciplinam ab eorum, quæ per Chriſtum nobis parta ſunt, donorum, adiumentorúmq; numero putat Aduerſarius omnino eſſe reiiciendam, quia tamen plures habet, eóſq; Deo legis Moſaicæ auctori iniurioſos errores, illos, quòd ad eiuſdem de doctrinâ & lege Euangelica, de gratiâ habituali, aliiſque Chriſti donis ſententiam non parùm lucis allaturi ſint, placet accuratè, ac ſeorſim proponere. Cùm verò Caluinum (vt ſemper) in ea parte ſequutus, non modò attigerit, verùm etiam vir plenus animorum ſuperarit, de illius mente priuſquam dico, Caluinum ipſum producam; cuius quidem ſingularis impietas illa, qua Deum peccati auctorem inducebat, nemini non nota: à quâ tamen ſi Caluinum liberes, in iis quæ de lege ſcripſit, Ianſenio reperias longè modeſtiorem. nam libro 2. Inſtit. cap. 10. & 11. fusè, & abundanter de eâ diſputans, ſtilum ſtringit *in prodigioſum nebulonem Seruetum,*

Digitized by Google

& furioſos nonnullos ex Anabaptiſtarum ſecta, qui non aliter de Iſraëlitico populo ſentiunt quàm de aliquo porcorum grege, vtpote quem nugantur à domino in hac terra ſaginatum citra ſpem vllam cæleſtis immortalitatis. Hæc eſt nimirum doctrinæ tuæ ſumma, Corneli, ita ſentiebas. Et profectò, ſi tibi cum oratore aliquo res eſſet, excitaretur hoc loco Caluinus ex inferis, qui te, cum furioſâ illâ Anabaptiſtarum turbâ, orationis ſuæ acerbitate exagitaret, tuos caſtigaret in hanc partem errores, & te fortaſſe, nî mens eſſet tibi admodũ læua, ad frugem reuocaret, cùm carnalem, ac terrenam felicitatem non fuiſſe *metam Iudæis propoſitam, ad quam demùm aſpirarent, ſed in ſpem immortalitatis fuiſſe cooptatos*, pluribus doceret. Tum adderet eoſdem Chriſtum mediatorem agnouiſſe, per quem Deo coniungerentur, & promiſſionum compotes fierent. Puderet te, opinor, tui, cùm intelligeres hominem hac, & ſuperiori ætate, impudentiâ famoſum, in ea parte te ipſo minùs fuiſſe impudentem. Quid, amabo, cauſæ erat, vt Hebræis tam grauis, ac durus eſſes? quod cùm in te etiam atque etiam reprehendo, non exiſtimo propterea audiendum Caluinum, qui plus æquo illis fuit indulgens, ac liberalis; cùm eorum ſortem ita commendet, *vt non fœderis tantùm gratia pares nobis faciat, ſed etiam Sacramentorum ſignificatione*, quod non puto ferendum, cùm præſertim in religionis noſtræ contemptum, concludat in hanc ſententiam: *Quare certò claréque conficitur non eaſdem modò quibus nos nunc dignatur Chriſtus Dominus, vitæ æternæ, ac cæleſtis promiſſiones communicatas fuiſſe Iudæis, ſed etiam ſacramentis verè ſpiritualibus obſignatas, qua de re copioſè Auguſtinus aduerſus Fauſtum Manichæum.* In quo turpiter hallucinatur, cùm Auguſtinus ibidem contrarium omninò doceat. At de iis hactenus. parùm enim prudens ſim, ſi Caluinum pluribus refutare pergam, cùm id abundè à pleriſque factum ſit. Quod verò eſt inſtitutæ diſputationis, agendum, & Aduerſarij de lege Moſaïca doctrina explicanda, quæ, nî fallor, ſex conſequentibus ſententiis poteſt definiri.

Primò, quod ſuprà declaratum eſt, omnem bonorum mortalis huius vitæ amorem, cupiditatem eſſe vitioſam; omnémque proinde pœnæ, ac malorum temporalium ti-

morem damnandum contendit; quod nullum amorem Deo acceptum eſſe poſſe exiſtimet, quàm qui perfectæ charitatis ſit, illius videlicet, quæ Theologica in Scholis appellatur, cui quemlibet bonorum terrenorum amorem, ac deſiderium planè aduerſari profitetur.

Secundò, in lege Moſaicâ factam à Deo bonorum iſtius duntaxat caducæ, ac fragilis vitæ promiſſionem, & ſpes fluxas in cultus diuini præmium huic populo eſſe propoſitas, adeo vt lex illa prauam eam periturarum opum cupiditatem aluerit magis, atque inflammarit.

Tertiò, Deum legem Iudæis impoſuiſſe eo fine, vt prauæ cupiditatis impedimentis irretitos teneret, locúmque daret eorum præuaricationi, adeóque legis iugo preſſi deteriores fierent, quàm ſi legem non habuiſſent.

Quartò, quod conſequens eſt, legem ad ſalutem, beatitudinémque aſſequendam impedimento potiùs fuiſſe, quàm adiumento, nec illius vi non modò datum Iudæis vllum gratiæ ſufficiens auxilium quo ſalui fieri poſſent, ſed nec ad ipſam legem ſeruandam vllam gratiæ opem tunc temporis, & cum lege ipſa conceſſam.

Quintò, pauciſſimis Patriarchis, ac Prophetis exceptis, reliquos omnes, quippe qui toti bonis temporalibus imminerent, fuiſſe damnatos. Quòd ſi beatitudinem expectabant, non aliam præcipiebant animo, quàm quæ in vitæ huius felicitate poſita ſit, ſi Chriſtum ſperabant venturum, illum non Deum, ſed Dauidis filium, regémque potentia, atque opibus florentem futurum credebant, nec quid vera Chriſti gratia eſſet nouerant; ipſóſque Chriſti diſcipulos ad illud vſque tempus, quo raptus eſt in cælum, ita porrò fuiſſe animatos.

Sextò, legi nihilominùs quaſdam quaſi pædagogi, qui homines ad Chriſtum deducat, partes eſſe tribuendas, eáque ad fidem Chriſtianam præſidia, quæ nec ipſi Semipelagiani libero arbitrio tribuere vnquam auſi ſunt. Vnde licèt ad Chriſti dona legem pertinere præfractè neget; id tamen illi concedit vltrò, quod non niſi per gratiam Chriſti præſtari poteſt. Ac ne quidquam Aduerſario imponere videar, aut hominem malè criminari, has illius ſententias eſſe de-

monſtrabo, eáſque vna Auguſtini auctoritate, quæ apud Ianſenium grauiſſimi ponderis eſſe debet, refellam.

ARTICVLVS II.

Ianſenius omnem boni temporalis amorem impiè damnat.

ILLA eſt videlicet ex ſententiis Ianſenij ſuperiori articulo recenſitis, quæ omnium ordine prima ſit, quam alio in loco ex inſtituto fusè docet, vt ſuprà, cùm de gratiæ Chriſtianæ natura diſputabatur, fuit à me demonſtratum, & prætereà in libro 3. de gratia Chriſti Saluatoris de lege Moſaica diſſerens, hæc habet cap. 6. *Cùm talibus teſtamenti ſui promiſſis inhiarent Iudæi, cultus internus, quo Deum, talium bonorum largitorem colebant, iſti dilectioni velut cardini cunctorum motuum congruus reſpondebat. nimirum & dilectio Dei carnalis erat, talis eſt enim amor, quo quempiam diligis, qualis cauſa propter quam diligis. ſi enim diligis propter Deum, purus amor eſt, vera dilectio Dei, ſincera charitas: ſi propter carnalia, non gratuitus, ſed mercenarius eſt, ideóque impurus, carnalis, vitioſus, quem veriùs amorem creaturæ dixeris, quàm Dei: tota ſpes, tota charitas eorum erga Deum, totúſque cultus erat carnalis, ideóque vitioſus.* & capite 7. *dilectionem iuſtitiæ, ſine qua omnino peccatur*, negat, *aliam eſſe*, quàm *illam veram, puram, legitimam, laudatámque charitatem Dei.*

Quæ porrò pura & laudata charitas alia, quàm Theologica poteſt intelligi? Quapropter ſi fides Ianſenio habeatur, niſi quis iuſtus ſit, & charitatem illam quam ita prædicat, habuerit, quidquid vel amat, vel agit, vitioſi, ac carnalis amoris, qui lege æterna damnatur, motu incitatus operatur. Quodſi ita ſit, quid tandem futurum eſt de illis, qui difficillimis conflictati ægrotationibus, orationum, ſacrificiorúmque opem adhibere ſolent, vt quam flagitant morbi ſedationem, ſanitatémque corporis obtineant? Túne verò, Corneli, qui tam miſericors es, miſeros eos, quos morbi vis peredit ac perditè affligat, ab aris vnde malo ſolamen ſperant, exiſtimabis eſſe repellendos? An tu hac ſpe prorſus interdici debere dolentes, ac languidos putabis?

Digitized by Google

Vide quid ſtatuas. Id enim ſi vitio des, tua ad ipſam Eccleſiam, cuius auctoritate id fieri ſolet, criminatio pertinebit, damnabis tot ſupplices, qui quod ab aris ſuſpenſi ſumma animi cum fiducia, valetudinem orant minùs afflictam, quod d[illegible]m aculeos, & morbi vim deprecari à ſe pro ſua parte conantur, ſtatim eos homines impuros, carnales, ſuíque magis, quàm Dei amantes appellabis.

Non dicam hoc loco, quod tamen res ipſa fert, quàm ſe cùm philoſophiæ, tum moralis Theologiæ ignarum prodat Ianſenius, atque inſcientem, cùm dilectionem perſonæ ab amore commodi non diſtinguit; nec pro ſua vel ſupinâ ignoratione, vel contradicendi intemperāti libidine animaduertit, Deum, etiam vt vitæ necíſque auctorem, religioſè coli poſſe, amari, ac timeri; eundémque vt bonorum huius vitæ beneficum largitorem, pium, miſericordem poſſe ſpectari, adeóque puro ſanctóque amore diligi; poſtremò non eſſe neceſſe, vt qui vitæ tuendæ ſeruandæque amans ſit, eam continuò Deo eiúſque amori præferat, aut in eâ finem ſuum vltimum tanquam in ſummo bono conſtituat.

Vrgebo te etiamnum nî cedas, & fateare minimè vitioſum, ac carnalem Iacobum illum, qui Gen. cap. 28. *Votum vouit dicens, ſi fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſúſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Num ſimul ab eo expectat vitæ huius bona, pro quorum adeptione promittit ſe eum in Deum habiturum? At his omiſſis audiatur Auguſtinus, qui præter ea quæ ſuperiùs à me ſunt commemorata, Pſ. 72. *Synagoga,* inquit, *id eſt, qui Deum ibi piè colebant, ſed tamen propter terrenas res, propter iſta præſentia . . . . cùm ergo illi pij ſecundùm carnem attenderent, id eſt illa ſynagoga, quæ erat in bonis, pro temporalibus bonis, non ſpiritualibus, quales erant ibi prophetæ, quales pauci intelligentes regni cæleſtis æterni,* &c.

Obſeruandum verò tria hominum genera ibi ab Auguſtino in ſynagoga diſtingui; alios fuiſſe perfectos, qui quæ bonorum terrenorum figuris continebantur, bona æterna, & nunquam interitura intelligebant, eáque ſpretis neglectiſ-

Digitized by Google

que cæteris amabant; alios carnales, & impios, quibus nihil erat ægrius quàm vt mentem ab oculorum conſuetudine auocarent, cùm nihil haberent propoſitum, quàm quod ſenſibus erat accommodatum, ipſámque adeò vitam immortalem, hac triſti & caduca adumbratam ne vel obſcurè quidem expectarent; alios denique, qui aliquid ab vtroque temperatum haberent, & medio quaſi in loco conſiſterent, eos videlicet, qui bona terrena figuras meliorum perfectiorúmque bonorum animo quidem coniicerent, ſed quæ porrò eſſent, niſi confusè admodum obſcuréque perciperent, víxque alia quàm hiſce temporalibus ſimilia quidem, ſed tamen præſtantiora intelligerent: idcirco *putabant hoc pro magno dare Deum, nec habere melius, quod dare poſſet diligentibus ſe*, nihilominùs *erant pÿ, erat ſynagoga in bonis, & ibi Deum piè colebant*.

Deinde in Pſal. 73. inducit comparationem Iudæi primùm cum puero adhuc infante, tum Chriſtiani cum eodem iam adulto, ac florenti; Deum verò cum vtroque ad vtriuſque indolem accommodatè ſe gerentem. Iudæis enim tenue quiddam, ac ludicrum datur, vt poma, & nuces dari ſolent pueris: Chriſtianis verò quæ magna ſunt, quæ ampla, quæ immortalia, quemadmodum iis, qui ad maturam conſtantémque ætatem peruenere, nugæ è manibus excutiuntur, vt in earum locum veniant ea quæ plus afferant vtilitatis. Vterque tamen populus filius Dei fuit, Iudæus verò quamdiu paruulus à ſerui conditione nihil admodum diſcrepabat.

Nec verò opponas quod ab eodem Auguſtino in Pſ. 77. habetur, *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant non vtique Deum, ſed illa quæſiuiſſe, quia eo modo, timore ſeruili, non liberali dilectione Deus colitur, ſic ergo Deus non colitur, hoc enim colitur, quod diligitur. vnde quia Deus rebus omnibus maior, & melior inuenitur, plus omnibus diligendus eſt, vt colatur*. Hoc enim dictum Auguſtini non pugnat cum aliis eius dictis ſi attendatur. perſpicuum enim eſt eum non colere Deũ, qui tantùm propter res terrenas illũ colat; ſed non ex eo conficiat Aduerſarius eum, qui ab eodem ſperet eiuſmodi bona, non ſperare in ipſum: non eapropter eundem ipſum diligere, beneficámque ac miſericordem eius bonita-

Digitized by Google

tem, qua eiuſmodi bona elargitur. Cur enim fieri non poſſit, vt Deus cùm ea donet, & donare cognoſcatur, vt bonus eſt, à nobis non diligi queat? Quæ interpretatio quàm mẽti ſummi illius Doctoris conſentanea ſit, liquet ſatis ex lib. 3. ad Bonif. cap. 4. vbi de carnalibus Iudæis eadem propemodùm repetit, aítque: *Illi quicumque in veteri teſtamento, ſola quæ ibi Deus pollicetur terrena promiſſa ſectantes, & quid pro nouo teſtamento, ea ipſa ſignificent ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta ſeruabant, imò non ſeruabant, ſed ſibi ſeruare videbantur: Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metúſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio inuitus facit, ac per hoc in animo non facit: mauult enim omninò non facere, ſi ſecundùm ea quæ cupit, & metuit, permittatur impunè: Ac per hoc in ipſa voluntate intùs eſt reus, vbi ipſe qui præcipit, inſpicit Deus. Tales erant filij terrenæ Ieruſalem.*

Velim autem etiam atq; etiam obſeruari, quod ait Auguſtinus ſola terrena amari, & ignorari quod data ſint, in quoddã quaſi futurorum bonorum pignus, quæ futura bona vel eos prorſus latebant, vel turbidè admodum obſcuréque ab illis cognoſcebantur; præterea damnari qui nulla fide animati, nulla incenſi dilectione feruntur in Deum, cùm hæc peritura bona tam perditè amant. Qui verò ſic agant, eos perperam agere, qui non videat, opinor bene cordatum futurum neminem. Omitto cætera, & quæ inſtituti noſtri ſint expedio.

Idem diuinus Doctor lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 5. & ſequẽtibus vſque ad 10. ita demùm propoſitam quæſtionem ſoluit, vt nihil præterea, quod vel ambiguum, vel obſcurum eſſe poſſit, relinquere videatur; ea ſeligo tantùm quæ in rem noſtram ſint. Mentionem faciebat de ſignis, ac figuris, quibus lex antiqua continebatur. *Ea,* inquit cap. 5. *eſt miſerabilis animæ ſeruitus, ſigna pro rebus accipere, & ſupra creaturam corpoream oculum mentis, ad hauriendum æternum lumen leuare non poſſe.* ô deſperatam Iudæorum conditionem! nam quis hæc audiat, ſimúlque non intelligat, de eorum ſalute planè eſſe conclamatum? At ego te ex animo oratum velim, quiſquis es, vt aſſenſum etiamnum tuum tantiſper ſuſtineas, do-

Digitized by Google

nec rem totam definiat Auguſtinus. *Quæ tamen ſeruitus*, inquit cap. 6. *in Iudæo populo longè à cæterarum gentium more diſtabat, quandoquidem rebus temporalibus ita ſubiugati erant, vt vnus eis in omnibus commendaretur Deus.* Sentis Deum commendari colendum, amandúmque cum ſpe & fiducia? quibus porrò? iis videlicet in quos cultum & amorem diuinum cadere poſſe negabat Iprenſis. Sed redeamus ad Aug. *Et quanquam ſigna rerum ſpiritualium pro ipſis rebus obſeruarent, neſcientes quò referrentur, id tamen inſitum habebant, quod tali ſeruitute, vni omnium quem non videbant, placerent Deo; quam cuſtodiam tanquam ſub pædagogo paruulorum fuiſſe ſcribit Apoſtolus.* Intelligis (opinor) Corneli, Deum non fuiſſe tam delicati faſtidij, quàm tute ipſe illum conſtituebas? quando ei *tali ſeruitute placuerint Iudæi obſeruantes ſigna, & neſcientes quò referrentur, & ita tanquam ſub pædagogo cuſtoditi.* At ſubiicit nonnullos Chriſtum venientem, & illas fluxas opes ac peritura bona contemnentem non modò auerſatos eſſe, ſed etiam ore importuniſſimo calumniatos, qui videlicet *talibus ſignis pertinaciter inhæſerunt, & ſignis illis tanquam rebus aſtricti fuerunt*; Neque tamen omnes ita fuiſſe affectos ſubdit. *Nam qui crediderunt, ex quibus facta eſt prima Eccleſia Hieroſolymitana, ſatis oſtenderunt, quanta vtilitas fuerit eo modo ſub pædagogo cuſtodiri, vt ſigna quæ temporaliter impoſita erant ſeruientibus ad vnius Dei cultum, qui fecit cælum, & terram, opinionem obſeruantium religarent. Namque illi quia proximi ſpiritualibus fuerunt, in ipſis etiam temporalibus, & carnalibus votis*, (aut vt alij legunt) *vocibus atque ſignis, quamuis quomodo ſpiritualiter eſſent intelligenda neſcirent: quia vnum tamen didicerant venerari æternum Deum, tam capaces extiterunt Spiritus ſancti, vt omnia ſua venderent .... ſeque totos dedicarent Deo, tanquam templum nouum, cuius terrenæ imagini, hoc eſt, templo veteri ſeruiebant. Non enim hoc vllas eccleſias gentium feciſſe ſcriptum eſt, quia non tam propè inuenti erant, qui ſimulachra manufacta Deos habebant.* An tu præterea ita hebes plumbeúſque ſis, vt non percipias, *ſignorum vtilitatem, quæ religabant* Iudæos *ad Dei cultum*, hoc eſt, quæ pios illos, ac religioſos faciebant? num vides, *illos fuiſſe proximos ſpiritualibus*, & legis beneficio propiùs ad Chriſtum adductos?

Digitized by Google

adductos? itáne verò fieri poteſt, quod obtendis, vt qui ad Chriſtum acceſſerint, illo carnali ac vitioſo amore cupiditatis tam miſerè laborarint? neque tamen ab illo, quo premebantur, ſeruitutis iugo erant liberi, ſed non opprimebantur. *Signum enim vtiliter inſtitutum pro ipſa re ſequi, cui ſignificandæ inſtitutum eſt, carnalis eſt ſeruitus, & ſi ſigna retuleris ad ea ipſa, quæ ſignificantur, eíſque colendis animum obligaueris, nihilominùs ſeruili, carnalíque onere, atque velamine non carebis. Quamobrem Chriſtiana libertas eôs quos inuenit ſub ſignis vtilibus, tanquam propè inuentos interpretatis ſignis, quibus ſubditi erant, eleuatos ad eas res, quarum illa ſigna ſunt, liberauit. Ex his factæ ſunt eccleſiæ Sanctorum Iſraëlitarum.*

Noua igitur lex Iſraëlitas quos à iugo ſeruitutis liberauit, non ex prauis bonos, ſed ex bonis meliores, ex imperfectis perfectos, ex pueris viros effecit; atque prætextâ, bulláque depoſitâ togam virilem indutos emancipauit. *Sub ſigno autem ſeruit qui operatur, aut veneratur aliquam rem ſignificantem, neſciens quid ſignificet: qui verò aut operatur, aut veneratur vtile ſignum diuinitùs inſtitutum, cuius vim ſignificationémque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur, & tranſit, ſed illud potiùs quò talia cuncta referenda ſunt. Talis autem homo ſpiritalis, & liber eſt, etiam tempore ſeruitutis, quo carnalibus animis nondum oportet ſigna illa reuelari, quorum iugo edomandi ſunt. Tales autem ſpiritales erant Patriarchæ, ac Prophetæ, omnéſque in populo Iſraël, per quos nobis Spiritus ſanctus ipſa Scripturarum & auxilia, & ſolatia miniſtrauit... vt litteram ſequi, & ſigna pro rebus, quæ iis ſignificantur accipere; ſeruilis infirmitatis eſt: ita inutiliter ſigna interpretari malè iam vagantis erroris eſt. Qui autem non intelligit, quod ſignificet ſignum, & tamen ſignum eſſe intelligit, nec ipſe premitur ſeruitute.*

Ex quibus palàm eſt, quod ſuperiùs à me iam fuit obſeruatum, populum Hebræum toto legis Moſaicæ, & primi fœderis tempore, qui Deo vni, non idolis ſeruiit, ab Auguſtino triplicem in ordinem fuiſſe diſtributum. In primo, cenſendi ſunt primi illi totius generis principes Patriarchæ, tum Prophetæ, illi denique omnes qui diuina quadam ſancti Spiritus motione animati, ab ipſis rerum terrenarum ſignis, ac figuris, cæleſtes atque æternas præci-

Digitized by Google

piebant, nihilque agitabant animo, niſi quod ad beatæ feliciſque vitæ perpetuitatem pertineret. In altero, illi qui quidem aliqua vel pietatis, vel obſeruantiæ laude florentes, rebus humanis vitam meliorem feliciorémque adumbrari non ignorabant, nec illis proinde ſe implicabant admodum, cùm tamen nihil melius liquidò claréque cognoſcerent, ea tanquam à Deo ſibi conceſſa dona amabant, iis diuinum in cultum vtebantur, & ita in carnalis ſeruitutis infirmitate iacebant, vt ab hoc impoſito ſibi iugo non grauarentur. Denique poſtremo in ordine collocandi, quos ſtupor, tarditáſque corporis ita premebat, vt ſolis addicti ſenſibus, nihil, niſi quod materiatum eſſet, ac mortale, ſibi proponerent, ſuámque caſſis fluxíſque in opibus, cæteríſque eiuſmodi vitæ bonis, tanquam ſummo in bono felicitatem poni debere exiſtimarent.

Tales videmus etiamnum eos, qui quantumuis ſacris Chriſti myſteriis initiati, quod animantium commune eſt, neutri ſeruiunt, ſibíque effusè indulgent. De quibus ſic ſtatuendum exiſtimo; hominum genus fuiſſe, vt humi magnopere affixum, ita à regno Dei, & legis nouæ libertate maximè alienum. De iis quos ſecundo in loco poſuimus non ita ſentiendum. Cùm enim quoſdam quaſi legis Euangelicæ ſpiritus hauſiſſent animo, ab ea non magnopere abhorrebant, quin immo aliqua Chriſti fide iam inducti, venturum eum, & bona longè potiora iis, quibus abundabant, largiturum aliquando ſperabant. At quàm præſtantior eorum conditio, de quibus principio dictum. Cùm enim à terrena concretione ita eſſent expediti, vt nihil ſpirarent animo, niſi quod altum erat ac ſublime, cùm felicitatem ſuam ſolâ temporum æternitate metirentur; nihílque magnifacerent eorum, quæ ſubiacent viciſſitudinum mutationi, ad nouum potiùs, quàm ad vetus teſtamentum pertinere videbantur.

Id autem quod ab Auguſtino animaduerſum eſt de triplici illo hominum in perceptione legis genere, illud litterarum ſtudioſis in capeſſendis diſciplinis vulgò contingere ſolet. Qui enim rudes ſunt, & imperiti, cùm primùm ad ſtudium animos applicant, verbis, quæ ſenſorum animi

ſigna ſunt, ita hærent, vt nihil præterea attendant, atque de ſola vocum appellatione ſolliciti, cætera non curent; cuiuſmodi ſunt pueri, aliíque omnes qui in deponendis rudimentis occupantur. Qui verò in litterariâ exercitatione plus verſati, aliquid operæ nauarunt, vtuntur ij quidem verbis, quibus animi ſenſa exprimant; ſed cùm nimij ſint in exquiſitiori vocum ſupellectile comparanda, atque in omnibus delicatioris elegantiæ lenociniis ſectandis, verbis ipſis ſeruire dicuntur. Poſtremi denique, qui ipſam diſciplinæ, cui ſtudent, complexi animo perfectionem, cùm de rebus ipſis laborent, de verbis, ac vocibus tam parùm videntur eſſe ſolliciti, vt interdum dictionis ſuæ negligentes ſint. Quæ ad Auguſtini mentem explanandam valere poſſunt. Nunc quod eſt extremum, non poſſum non magnopere admirari ſummum Ianſenij vel ſtuporem, vel malam fidem, qui eadem Auguſtini teſtimonia ita pro ſtabiliendâ doctrinâ attulit, vt ea ſibi aduerſari vel non viderit, vel quod turpius eſt, diſſimularit.

ARTICVLVS. III.

Ianſenius in vetere teſtamento ſola bona temporalia fuiſſe promiſſa docet.

VIDEO quo ſe præſidio tueatur Ianſenius, quàm magnificè prædicet Pelagium à Synodo Dioſpolitana in crimen vocatum, quòd ſcripſiſſet *regnum cælorum etiam in veteri teſtamento promiſſum;* neque id eſt eiuſmodi, vt à quoquam ignorari poſſit, cùm præſertim quid de propoſitionis illius falſitate ſentiendum ſit, abundè ſatis ab Aug. lib. de geſt. Pelag. cap. 5. ſit explicatum. Verùm licèt fuerit illud proprium, ac peculiare veteris teſtamenti, vt regni temporalis, ac terreni promiſſione duceretur; non tamen exiſtimandum eſt eos, qui in ſeruandâ lege præclarè ſe geſſerant, cæleſte regnum minimè fuiſſe conſecutos. Cùm enim in priſca lege noui fœderis, præmiíque immortalis figura contineretur; conſentaneum erat, vt qui in Deum legis illius auctorem ritè, quemadmodum lex ipſa poſtulabat, crederent ſperaréntque, bonorum eorum quæ ſub ipſa figurarum ad-

Digitized by Google

umbratione expectabant, fierent aliquando participes; tametſi cuiuſmodi forent hæc bona, non ſatis intelligerent. Vnde Ianſenius impietatis meritò eſt reprehendendus, qui libro 3. de gratia Chriſti Saluatoris capite 6. ait Deum *diſpenſaſſe vetus teſtamentum eâdem prouidentiâ, quâ carnalem vitam ſolis carnalibus deſideriis deditam non negligens, illam quoque mira ſapientia, & benignitate moderatur, vt in illa quidam ciuilis honeſtatis vel ſplendor luceat, vel iuſtitiæ forma, per pœnarum corporalium comminationes, præmiorum carnalium promiſſa, ſeruetur, vtque patefaceret terrenam felicitatem donum ſuum eſſe.*

Adeo vt, ex Cornelij ſententia, nihil admodum fuerit in tota Iudæorum religione, quod vel ad veram pietatem, vel ad conſecrationem myſteriorum magis pertineret, quàm in ipſa politica Romanæ, vel cuiuſuis alterius reipublicæ adminiſtratione; nec plus ſanctimoniæ, atque probitatis fuiſſe in Moſe primi fœderis legiſlatore, quàm in Numa, Lycurgo, ac Solone; hoc vnum ſi excipias, quòd à Moſe & præceptum ſit vt Deus rerum terrenarum auctor largitórque crederetur, & ſacra inſtituta, quibus quæ bona, praua inducti cupiditate flagitarent, à Deo Iudæi obtinere poſſent. Quapropter ſi Plato, vel Ariſtoteles, vel quiuis alius, huius notæ Philoſophus, his ſuam rempublicam temperare, ac moderari inſtitutis ſtuduiſſet, vt quem vnum Deum profitebatur, coli obſeruaríque conſtituiſſet, longè diuinior Moſe legiſlator fuiſſet. Nihil hîc dicam tantæ impietatis, quæ per ſe ſe ita grauis eſt, magis grauandæ causâ, neque teipſum, Doctor inconſiderate, quamquam res ita poſtulet, acerbiùs exagitabo. Nam miſeret me tui; qui iudicij fueris ita perditi, profligatíque, vt tantum nefas prodire ab ore tuo tam imprudenter ſuſtinueris. Sed pergit porro vir ad quodlibet audendum proiectus.

Propter hanc igitur (inquit) *cauſam, & hanc vtriuſque teſtamenti differentiam, nihil omnino ſpiritale in veteri teſtamento promittitur, ſed ſola carnalia ..... hoc autem teſtamentum in quo ſola terrena promitterentur congruis hominibus dedit, hoc eſt, carnalibus .... idque non ea de cauſa, vt per huiuſmodi teſtamenti promiſſiones, & obſeruationem eorum ſalus æterna in tuto collo-*

Digitized by Google

caretur, vel etiam de propinquo curaretur, ſed ne res illæ, quas carnali vitioſóque amore diligebant, à dæmonibus quærerentur ..... addit, *non aliter Iudæos coluiſſe Deum ex inſtituto legis Moſaicæ, quàm auari ſtrenuè Deum diligunt, velut ſatellitem ſuæ cupiditatis.* Quin tu eâdem operâ addis libidinoſum, aut crudelem, qui Deum libidinis ſuæ, & crudelitatis habere velit adminiſtrum? ſi quippe facultates fortunæ, ſi valetudo commoda, non niſi carnali, impuro, vitioſóque amore deſiderari poſſunt, opinor, tam nefarius eſt qui ea poſtulet à Deo, quàm qui nefandæ vel libidinis, vel crudelitatis ſatietatem ab eodem flagitet, aut oret ea, quæ vani Deorum cultores ab idolis ſuis orando impetrare contendebant; Quod vel reputare animo videtur ita flagitioſum, vt non dubitem, quin Ianſenium ſuæ puduiſſet amentiæ, ſi quod nefas ab ore ſuo temerè excidere paſſus eſt, attentè magis apud ſe conſideraſſet.

Nam quid, quæſo, diceret magis alienum, ſi eum, piè ac religioſè Deum verum colere affirmaret, qui velut Iouem, Martem, Mercurium, Venerem, impuræ libidinis, malitioſi furti, immaníſque crudelitatis auctorem, adiutorémque venerari cogitaret, & in hanc fermè ſententiam loqueretur. Valeant iſta, quæ aniles inducunt fabulæ, profana numina. Nam quid tanta Deorum multitudine opus ſit; vbi Deum vnum habemus, à quo tantùm opis, explendæ ſatiandæque libidinum cupiditati poſſimus expectare, quantùm ab illa numinum varietate, quam ſtulta, & imprudens vetuſtas tam anxiè venerabatur? Ne quis verò hæc ab Ianſenio, *de carnalibus iſtis animis filiorum veteris teſtamenti*, dicta, putet de *improbis intelligi, ſed potiùs de illis, qui probiores eſſe viderentur. ex quo fiebat, vt ſynagoga, conſiderata vt ſynagoga, non eſſet aliud, quàm terreni populi turba, hominúmque carnalium congregatio ſolis terrenis, & carnalibus incubantium, & propter illa ſola colentium Deum.* Addit etiam ex Auguſtino, cuius mentem penitùs penetraſſe gloriatur, *vetus teſtamentum tenebris & vmbræ mortis datum eſſe.* erat opus teſte locupletiſſimo, vt tibi tam inaudita dicenti fides haberetur.

Itáne verò Auguſtini mentem ſic penetraſti, vt teſtamentum illud, quod ſi diuinum neges, mentiare, ſub ipſa qua fuerat inſtitutum à Deo teſtamenti ratione, *tenebris & vmbræ*

mortis datum eſſe contendas? Quod ſi dicas, idem de lege Moſaïca profiteare neceſſe eſt. ſed res eſt eiuſmodi, vt quid ſuper ea ſentias, non iam obſcurum eſſe poſſit; ſatis enim planæ ſunt tuæ illæ voces: ſynagogæ filij, hoc eſt veteris teſtamenti, ſeu legis Moſaicæ cultores, non ex accidenti, non ſolo cultorũ vitio, ſed quatenus tales ſunt, víque formali ſynagogæ, veteris teſtamenti, & legis Moſaicæ, vi inquam formali, ipſiſque inſitâ, própriâ, adeóque eſſentiali (id enim præ ſe fert particula reduplicata) *ſunt carnales, ſolis terrenis incubantes, nihil omninò, niſi carnalia diligentes, ſectantes, & expectantes, cogitantes, à vera cordis iuſtitia, & regno cælorum aſſequendo valdè remoti, habentes animum valdè vitioſum, puritatiſque cæleſtis regni adipiſcendi neceſſariæ è diametro contrarium.* ô ſacrilegum caput, ô blaſphemum. Nam quid de ſynagoga, quid de Moſaicâ lege grauius vnquam duriúſque à Manichæis, cæteríſque illius aduerſariis dici, aut cogitari potuit? aut quid à Caluino firmum magis, ac validum, dictum fuit, vt Deum peccati auctorem probaret, quàm quod dictum eſt à Ianſenio, qui Deum *ſynagogæ conſiderata vt ſynagogæ*, hoc eſt, perditæ auctorem facit?

Nec verò dubium eſt, quin Doctor noſter non Manichæo tantùm & Caluino, verùm etiam Luthero conſentiat. Quod enim ille ibidem dicit, *nihil aliud fuiſſe vetus teſtamentum niſi magnam quandam quaſi comœdiam*, nónne alludit ad id quod Luthero apud Coccium vulgò tribuitur: *Lex eſt vera labyrinthus, quæ conſcientias ſolùm in terrorem coniicit. Iuſtitia legis minotaurus eſt, hoc eſt, mera fabula non ad ſalutem, ſed Acherontis ducens ad vndas?* Poſtremò, Ianſenius ibid. cap. 11. probat, *ſtatum veteris teſtamenti vt talem non fuiſſe iuſtitiæ, & ſalutis, ſed potiùs peccati, & mortis.* Adeóq; vetus teſtamentum, quod à Deo tam magnificè ſancitum eſt, non ſolùm ipſo Iudæorum vitio, quemadmodum de ſanctiſſimâ Euchariſtiâ fieri credimus, quæ non per ſe, ſed eorum, à quibus malè ſuſcipitur, negligentiâ, atque improbitate interitum afferat; verùm etiam ſeipſo, vt vetus teſtamentum eſt, abſque vlla re ſibi aduentitia quâ deprauetur; & vt loquuntur Theologi, abſque vllo accidente, *eſt peccati & mortis*; ex quo quid conſequitur aliud, quàm Deum qui fœderis illius au-

ctor ſit, peccati pariter, & mortis eſſe auctorem?

Neque verò quiſquam putet id Ianſenio fortaſſe (vt fit interdum) non cogitanti excidiſſe, cùm idem illud ex inſtituto, ſcienter, & deliberatè iterum, ac tertiò repetat, quod profectò non faceret, niſi in eo plurimùm ineſſe momenti ad reliquam ſuam de gratia doctrinam ſtabiliendam, exiſtimaret: Nec dubito, quin Ianſenianæ factionis myſterium aliquod præcipuúmque dogma hoc dicto contineatur; quandoquidem qui Ianſenio præluſit Petrus Aurelius, ſiue Abbas Sancyranus illius ſymmyſta quàm qui maximè fidus, in Vindiciis pag. 610. primæ edit. dixerat, *legale, & Iudaicum officium per ſe ſe ad peccatum trahere*, quia *qui* (nimirùm Deus legis illius auctor) *præceptum dat, nec addit vim gratiámque illi præſtando idoneam, per ſe ad peccatum trahit, & neceſſitatem peccandi infligit, niſi aliunde ſubueniatur.* Quod in vetere teſtamento contigiſſe, & Deum in inſtituenda lege illud habuiſſe propoſitum, Ianſenius, vt deinceps patebit, disertè docet.

ARTICVLVS IV.

Ianſenij blaſphemia confutatur.

CVM tam diligens fuerit Auguſtinus vnà cum cæteris ætatis ſuæ Patribus in lege Moſaicâ contra Manichæos tuendâ, parùm ipſe conſultus ſim, ſi in hâc causâ defendēdâ diutiùs verſari cogitem. Tanti viri patrocinium tam graue, præſidio noſtro non eget; neque opinor, id expectabit à me Ianſenius, neque ſi expectet, meas partes eſſe putem, id vt faciam: aliò me vocat rei indignitas. nam quis ferat animo ſatis æquo, atque patienti, hæc à te dici quæ cum Auguſt. ita pugnent, Doctor inconſulte, legem bonam fuiſſe, ac ſanctam, ac *qui in ea probiores ſunt, & ex eius inſtituto viuunt, & Deum colunt*, vitam viuere non abſimilem iis, qui auaritiæ dediti, toti lucro imminent; quod tu profiteris: Præterea, filios ſynagogæ, quà tales, carnales eſſe, & à regno cælorum valdè remotos, nam quomodò hæc conſentiunt cum Aug. *qui eoſdem ad Dei cultum religatos, ſpiritualibus proximos, Spiritus*

Digitized by Google

ſancti capaces affirmabat? Quomodo *ſynagoga conſiderata vt ſynagoga* fuit *turba carnalium hominum, & vitioſorum*, cùm nihilominùs eadem *fuerit in bonis*, virorum communitas, *qui Deum piè colebant?*

Quæ lex non erat data, vt ſalutem æternam ſubditorum *in tuto collocaret, vel etiam de propinquo curaret quæ tenebris & vmbræ mortis data erat, quæ ſuis animum, puritati ad cæleſte regnum adipiſcendum neceſſariæ, è diametro contrarium* inſpirabat, quæ per ſe ad peccatum inclinabat; vt ais Ianſeni, eadem nihilominùs *pædagogus fuit ducens* ad Chriſtum lucis, & vitæ fontem, quæ *docebat Deum vnum venerari*, quam qui obſeruabat, *initium habere videbatur, quo Deo placeret*, cuius adeò magna ad Chriſti doctrinam excipiendam *vtilitas* fuit, vt Auguſtinus nos docet.

Denique quonam pacto Ianſenius dicere potuit, hanc diui Doctoris fuiſſe mentem, vt ſola bona terrena in veteri lege à Deo propoſita fuiſſe velit, cùm ille affirmatè dicat, & aſſeueranter, vetus teſtamentum fuiſſe figuram noui, hócq; illo eſſe adumbratum, proindéq; promiſſum à Deo, & propoſitum iis, quibus eiuſmodi ſignis vti conueniebat? niſi fortè quis neget aurum crumena inuolutum, cum ea dari, quod palam non datur; id autem quis dicat ſi ſanus ſit? vnum eſt quod inficiari non poſſum, ſola bona terrena Iudæis in propriam idoneámq; mercedem promiſſa, neque viciſſim inficiari debet Aduerſarius, iis bonis velut figuris quædam præſtantiora ſignificata contineri, quæ ſui aliquando obtinendi ſpem facerent. Quemadmodũ qui arcam ſignati auri pleniſſimam ſed obſeratam accipit, is tametſi aſpectabili illius pulchritudine minimè delectetur, nec fruatur commodo, quod eius in poſſeſſione eſſe poteſt; non propterea compreſſo intùs auro fruſtrabitur, ſed illius potiundi ſpe ductus aurum etiam incluſum ſuos in vſus anticipata prouiſione deſtinabit.

Nec procul dubio id erat eiuſmodi, quod Ianſenium lateret, & ipſius Auguſtini mentem perſpexiſſet aliquando, niſi ſe ab acumine ſuo deſeri maluiſſet. ſed fecit, quod erat hominis cæci, noluit videre, ne ſe errare ſentiret. Id ipſum enim quod contendo, iiſdem in Auguſtini locis, quæ ſuam in partem attulit, ita planum eſt, vt is ſalebras vltrò quærat, ac offenſiones,

Digitized by Google

ſenſiones, cui id impeditum videri poſſit. Sic enim D. Doctor libro 22. contra Fauſt. cap. 76. *Deus* (inquit) *vetus teſtamentum ſecretum regni cælorum tempore opportuno aperiendum promiſſionibus terrenis operuit, & quodammodo vmbroſiùs opacauit.* Et libro de geſtis Pelagij capite 5. *In vetere teſtamento non inuenitur promitti apertiſſimè, niſi terrena facultas.* Nam cur addat, *apertiſſimè*, niſi quod reuera illud idem ſecretum regni cæleſtis intelligebat? Quòd ſi ibidem ait bona illa eſſe *promiſſa veteris teſtamẽti*, ſubdit quoque illis *figurari ad nouum teſtamentum pertinentia ſpiritualia*. Denique in Pſal. 72. quem locum Ianſenius pro ſe affert, ſic habetur: *Tales erant & illæ promiſſiones non perſeueraturæ, per quas tamen figurabantur futuræ promiſſiones perſeueraturæ, vt ille omnis decurſus temporalium promiſſionum, figura eſſet & quædam prophetia futurorum* .... tum deinde: *Quare res illæ temporales defecerunt, niſi vt aliæ quærerentur? vt quærerentur, quæ? Quæ ibi non erant? non, ſed quæ ibi tegebantur figuris, non quæ iam ibi non erant, ſed ibi tanquam in radice occultabantur quibuſdam ſecretis myſteriorum, quæ inquit Apoſtolus, figuræ noſtræ fuerunt.* I nunc Ianſeniane, & nos, ſi animo tuo libitum eſt, ſeditioſos appella, qui ſic ab Auguſtino diſſentiamus; iam, credo, ſentis, & vides vter noſtrûm ab eo plus abhorreat. Ego certè venio in ſpem fore, vt, ſi iudicium tuum attendas, te aliquando vtamur æquiore?

ARTICVLVS V.

De legis Moſaïcæ fine, & Dei in eâ dandâ propoſito, vna & altera Janſenij blaſphemia affertur.

SENTIO me eum in locum incidiſſe, qui toti factioni moleſtus grauíſque futurus ſit. Nam quid magis odioſum eſſe poſſit, quàm blaſphemiæ damnari? ſed res eſt eiuſmodi, quæ præterea diſſimulari minimè debeat. Altera itaque Doctoris noſtri blaſphemia eſt, finem legi Moſaicæ, alium à Deo non fuiſſe propoſitum, quàm vt Iudæos, partim pœnarum metu, quo deſpondebant animum, partim vitioſo, craſſóque rerum humanarum amore, quo ſe impli-

cabant, efficeret deteriores: ídque non ſolo Iudæorum vitio factum eſſe, ſed Dei ipſius qui ſic ſtatuendum iudicauit, conſilio.

Altera verò fuit; Deum, vt Iudæos in præuaricationem induceret, non modò nullam iis gratiæ, & ſanctitatis opem, ſed ne vel ipſa, quæ ad legem ſeruandam deſiderabantur adiumenta, procuraſſe; tantúmque abfuiſſe, vt ritus legis à Deo inſtituti aut ad veram virtutem conſequendam, aut Deum ipſum colendum quidquam profuerint, cùm obfuerint multùm.

Quæ duo dici à Ianſenio tam perſpicuum eſt, vt non aliam ob cauſam libro tertio de gratia Chriſti diſputationem de lege Moſaïca ſuſcepiſſe videatur, quàm vt probaret omnem omninò gratiam, ipſúmque adeò ſufficiens adiumentum à Deo nonnullis negari, etiam cùm præcepta imponit, quæ maximè velit obſeruari, nec ex eo quod Deus nobis aliquid præcipiat, rectè confici, præceptæ rei faciendæ copiam, & poteſtatem nobis ab illo fieri debere, cùm lex ſcripta non modò non dabat id, quo præcepta ſeruarentur, ſed ex ipſo fine inſtitutóque ſuo, ne ſeruarentur impediebat. Hæc videlicet apud Ianſenium habetur libro 3. capite 5. inſcriptio: *Iudæis lex data eſt, & Chriſtianis plurimis præcepta dantur, ſine vlla gratia ſufficiente, aut adiuuante. Probatur hoc multis modis, & oſtenditur illam gratiam repugnaſſe ſcopo legis.* Adeo vt quod Auguſtinus cum Scriptura ait legem non tantùm nihil iuuare, ſed locum dare præuaricationi, nil prodeſſe litteram, ſed potiùs occidere; contendat Ianſenius hunc fuiſſe legis ſcopum, hunc finem, hancque peculiarem eius propriámque rationem, vt cùm ſine gratia & ſpiritu nihil proſit (quam in partem mens Auguſtini accipienda eſt) ipſa gratiam, ſpiritúmque per ſe ſe excludat, quia *gratia*, inquit, *repugnat ſcopo legis. ex his* (quæ conſequuntur ibidem) *ſufficienter demonſtrari puto, eſſe quendam ſub lege ſtatum, ſub quo generaliter, paucis exceptis, Iudaica natio ante Saluatoris aduentũ fuit, in quo non ſolùm non dabatur gratia ſufficiens implendi id quod iubebatur, multò minùs gratia ſufficiens ad ſalutem, ſed è contrario, vt iam antè ſecundùm Auguſtinum* (ſuum videlicet) *diximus, & propter momentum rei non parum*

abſtruſa à multorum cognitione, ſæpiùs commendari expedit, talis gratia lationi legis, ac ſcopo Dei capitaliter repugnabat.... Scopo Dei, legem ſcilicet ferentis, *nihil* repugnat magis, *quàm ſi lex ſimul atque impoſita eſt, gratiæ ſufficientis auxilio communiatur.* Nam *congruit* (inquit) *immò neceſſarium eſt ad illum finem, vt omni gratia nudatus, viribus propriæ voluntatis relinquatur.* cap. 6. illam *legem inutilem fuiſſe ſaluti* dicit. cap. 7. hæc eſt inſcriptio; *non adfuiſſe hominibus ſub lege viuentibus gratiam ſufficientem ſeruandi legem vel vllum præceptum eius.* Quod non de ſola legé ſcripta, ſed de quauis alia eum id profiteri poſtea oſtendam. nam de ſola Moſaïca hîc diſputare mihi eſt propoſitum. Eò poſſunt etiam referri quæ de Petro Aurelio ſuperiùs à me commemorata ſunt. Nam vnum idémque eſt legem per ſe inclinare ad peccatum, peccandíque neceſſitatem inferre; & eius ſcopum ac finem vnicum, præcipuúmque fuiſſe, eos quos obligabat, reos facere, ac præuaricatores.

ARTICVLVS VI.

Janſenij blaſphemia ex D. Thoma refutatur.

ETSI habeam ex Apoſtolo, quo me tueri, & Aduerſarium profligare poſſim, illud (quod res non poſtulet) omittam. dixerat enim ad Rom. capite 5. *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* Quo loco triumphat Ianſenius; ſed triumphus eſt militis glorioſi, qui dum effert ſe iactantiùs, non ſibi cauet ab hoſte, à quo imprudens occupatur. nam quid ad perdendum hominem magis accommodatum, quàm quod cap. 7. habetur. *Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt, abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem.... occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam...ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem, nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit, itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.*

Digitized by Google

At non ego te hîc vexabo Corneli: non dicam legem eam, cuius ſcopum & finem fuiſſe dicis, peccatores efficere, excludere omnem gratiam, per ſe in peccatum inclinare, eam eſſe, quam Paulus ſanctam, iuſtam, & bonam appellabat. Quæſo te (agam enim tecum leniter) exiſtimáſne idem eſſe, dare locum & occaſionem peccati, homini flagitioſo; & eidem peccandi neceſſitatem imponere? Vide quid dicas? ſi quippe concupiſcentia, non malè ab Apoſtolo peccatum appellatur, quæ hominem ad peccandum inclinet, non neceſſariò compellat, quomodo lex peccatum eſſe tam conſtanter negatur, ſi non tantùm ad illud inducit; ſed etiam (quod pugnas) per ſe ſe trahit?

Sed veniamus ad diuinum noſtrum Doctorem, cui, non video ſatis, quid ſis reſponſurus. Nam in illud cap. 8. *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* Lect. 6. ſic quæſtionem proponit: *Sic videtur, quod abundantia delicti ſit finis legis, & ita ſequitur, quod lex ſit mala, quia cuius finis malus, ipſum quoque malum eſt*, & reſpondet, ex gloſſa tripliciter, primò particulam, *vt, non poni cauſaliter ſed conſecutiuè; non enim ad hoc data fuit lex, vt peccatum abundaret, quin potiùs lex quantùm in ſe fuit, peccatum prohibuit.* Quia tamen concupiſcentiam lex non tollebat, factum eſt, vt ipſo interdicto, acrior fieret incitatiórque. quod quomodo fiat idem Doctor ibidem explicat pro more ſuo, quàm accuratiſſimè. Tum verò adiicit: *lege veteri data non in omnibus peccatum abundaſſe, ſed in pluribus.* 2. particulam illam *(vt)* de qua eſt omnis diſceptatio, poſitam eſſe dicit *cauſaliter*, non vt peccatum abundaret, ſed vt abundantiùs cognoſceretur, quomodo res dicitur fieri, cùm primùm vulgatur; quia per legem cognitio peccati. Tertiò etiam *cauſaliter*, ſed non ita vt referatur ad delicti abundantiam, ſed ad hominis abiectionem, quæ fuit finis permiſſionis diuinæ, ſiue Dei peccati abundantiam permittentis. *Intentio ergo Dei legem dantis non terminatur ad abundantiam peccatorum, ſed ad humilitatem hominis, propter quam permiſit abundare delictum*, inquit S. Doctor, & addit, *circa finem legis ſciendum in populo Iudæorum fuiſſe primò peccatores duros, & rebelles, 2. proficientes, 3. perfectos. Rebellibus data lex moralis in flagellum, & cæremonialis ne ido-*

Digitized by Google

lolatræ fierent, proficientibus in pædagogum, vt per præcepta cæremonialia continerentur in diuino cultu, & per moralia, ad iuſtitiam promouerentur; perfectis denique quoad cæremonialia lex data eſt in ſignum, & quoad moralia in ſolatium. Ita D. Tho. vnus videlicet ex illis Theologis, à quorum cognitione ſuam doctrinam ſecretam, abſtruſámque eſſe Iprenſis pro ſua ſingulari modeſtia gloriatur. quanquam nec ipſi Auguſtino, cuius ita ſtudioſus eſt, parcitum voluit, nam cùm cap. 7. reprehendit recentiores, qui gratiam copioſiorem in nouo teſtamento datam fuiſſe, quàm in veteri dicunt, etiam pungit Auguſtinum, qui lib. 13. de Ciuit. cap. 4. *maiorem & mirabiliorem ſaluatoris gratiam eſſe* dixit, quod proculdubiò nunquam dicere animum induxiſſet, niſi in veteri fœdere aliquam datam eſſe intellexiſſet.

Redeo etiam ad S. Thomam qui cap. 7. ad Rom. lect. 2. ſi *lex per ſe, & directè cauſat paſſiones peccatorum, & ducit ad mortem*, (quod cum Aurelio profitetur Ianſenius) *legem eſſe peccatum* non negat, ita vt *lex doceat peccatum; & in lege eiuſmodi ferenda legiſlator peccauerit*: ſi verò lex tantùm occaſio ſit paſſionum peccati, & mortis, id enimuerò conſequens eſſe fidenter pernegat.

ARTICVLVS VII.

De vtilitate legis Moſaïcæ mens ſancti Auguſtini proponitur.

IMPRIMIS certiſſimum eſt nullam prorſus legem per ſeſe gratiam dici poſſe, nec proinde ad felicitatis æternæ adeptionem, ad quam gratia deſideratur, eſſe ſufficientem, neque tamen eam ob rem exiſtimo dicendum, quod ab Aduerſario video iactari, legem Moſaïcam nullomodo diuini ad ſalutem auxilij rationem habere, cùm ipſâ gratiæ Chriſti acceſſione, & ad mandata Dei ritè obeunda, & ad felicitatem æternam promerendam, plurimum afferat vtilitatis, atque adiumenti. Neque is ego ſum qui dubitem, legem ſine gratiâ prorſus eſſe inutilem, cùm potiùs aliquem peccandi locum det, quod ita perſpectùm vnicuique exiſtimo, vt pluribus illud probare velle, videretur ſuperuacaneum.

Digitized by Google

Quod verò pertinet ad illam Ianſenij, quam lib. 3. de gr. Chriſt. capite 4. molitur in nos criminationem, quod hoc ipſo, quod lex datur, gratiam dari velimus, eam video eſſe ita friuolam, vt de illa nobis admodum laborandum eſſe minimè putem: nam quis noſtrûm id vnquam dixerit, quem vocare in calumniam ſuam Ianſenius meritò queat? fateor quidem has iterari ſæpenumerò ab hominibus noſtris, omnibúſque bene ſanis voces, Deum ea, quæ vires noſtras ſuperent, præcipere minimè eſſe ſolitum; cùm præcipit monere ſe, gratiam ſuam, qua mos geratur, nobis non defuturam, adeò vt planè in nobis ſitum ſit, facere quod præceptum eſt, ſi velimus, quæ poſtea fuſiùs ab Auguſtini auctoritate erunt clariora.

His autem in præſentiâ prætermiſſis, hoc vnum ago, quod à me video eſſe ſuſceptum; oſtendo ex Auguſtino legem Moſaïcam Iudæis ad ſalutem magnopere fuiſſe vtilem, quia illis cum lege, non tamen vi legis non tantùm gratiæ ſufficientis, ſed & efficacis auxilium, tam ad præcepta legis ſeruanda, quàm ad ſalutem conſequendam, fuit conceſſum, quod, opinor, non erit difficile demonſtrare. In comment. enim ad Galat. *Lex*, inquit, *profuit quantum dici poteſt*. lib. 1. poſt. cont. Iul. ſect. 92. *In hoc eſt prædeſtinatis adiutorium littera, quia iubendo, & non iuuando admonet infirmos confugere ad ſpiritum gratiæ, ſi lege legitimè vtantur, quibus bona eſt, id eſt, vtilis, alioqui per ſe ipſa littera occidit, quia iubendo bonum, & non largiendo charitatem, quæ ſola vult bonum, reos præuaricationis facit*. Intelligit, credo, has Auguſtini voces, homo in Auguſtino explicando experientiſſimus, videt legem nonnullis bonam fuiſſe & vtilem. Nam quid planius verbis ſancti illius Doctoris? atque adeò legem præſtare auxilium, etiam tum, cùm non iuuat ad opus faciendum, quæ duo cùm pugnare inter ſe videantur, ita ſunt concilianda, vt aliud ſit velle bonum, aliud facere, & operari. Lex per ſeſe, ſuáque neutrum præſtare poteſt, quod charitatis vtrumque ſit, velle nimirum charitatis imperfectæ, operari verò perfectæ. Cùm verò is qui vult bonum, nec tamen illud, quod lex imperet, agit, intelligit ſe reum, ac præuaricatorem, ſimúlque ſuæ conſcius infirmitatis, vt faciat quod vult bo-

Digitized by Google

num, Dei iubentis opem implorat, non ignarus diuinæ bonitatis, quæ tanta eſt, vt ad id faciendum, quod præcipitur, ſemper idoneas vires offerat, nec deſit iis, qui cùm diffidant ſibi, in vna opis ſuæ ſpe acquieſcunt.

Et ſanè cùm nemo ſine aliqua motione gratiæ bonum velit, qui legis præcipientis beneficio, imparem ſe nouit, ac infirmum, nec non dolet ſe ita miſerum, ac infelicem, eo ipſo, aliquo ſeruandæ legis deſiderio tenetur, quod vel deſideriũ gratiæ munus eſt. Quapropter aliud eſt legem occidere, aliud per ſe impellere ad peccatum, cùm impulſione aliqua actio ſignificari ſoleat, non verò occiſione, quæ in eam partem accipi debet, vt quòd inſpiratâ charitate lex non iuuat, occidere dicatur. Idem ſerm. 13. de verbis Apoſt. cap. 1. *Ne lex videretur aut ſufficere poſſe homini habenti liberum arbitrium, etiam ſi nullum vltrà auxilium diuinum porrigeretur, aut certè fruſtrà data eſſe crederetur, dicta eſt & cauſa, quare ſit lex data, quia & ipſa in adiutorium data eſt, ſed non ſicut gratia ..... ſic data eſt in adiutorium, ne te ſanum putares?*

At quid tot teſtimoniis opus ſit, vbi res lib. 3. ad Bonif. cap. 2. ita patet? nam quid clarius his verbis? *Legem* (res illi tum erat cum Pelagianis) *veteris teſtamenti, nos aiunt dicere, non ob hoc datam, vt iuſtificaret obedientes, ſed vt grauior fieret cauſa peccati.* Reſpondet verò *iuſtificari eos, qui ſunt legi obedientes, ſed lege fieri, vt Deus quid fieri velit, audiatur, gratiâ verò fieri, vt legi obediatur.* Quibus Auguſtinus fatetur legem veteris teſtamenti *ob hoc datam*, non quidem *vt iuſtificaret*, ſed vt adiuncta gratia Iudæi fierent ei obedientes, adeóque iuſtificarentur. Tu verò qui tam ſplendidè iuras in Auguſtini verba, non video ſatis, quid ſis in hoc loco facturus, in quo cum S. Patre ita pugnas. qui negas legem illam datam Iudæis, vt eorum *ſalus in tuto collocaretur, & gratiam eius fini repugnare* contendis? *Lex ergo auditores iuſtitiæ facit, gratia factores,* inquit Auguſtinus. An tu, *audire iuſtitiam,* qui legis proprius eſt effectus, idem eſſe dicas, atque per legem fieri præuaricatorem, aut eam, omnem gratiæ aditum præcludere? Quid cauſæ eſt, obſecro, cur in omnibus ita cum Auguſtino diſcrepes? cuius te patronum, ac defenſorem verbis ita magnificis ſoles prædicare? At quærit etiamnum ex

Apoſtolo Auguſtinus, vtrum *data ſit lex, vt grauior fieret cauſa peccati*, quod dictum vt eſt ſimpliciter, diuus Doctor non putat ferendum, ſed eo modo, quo lex dicitur occidere, nec nos in lege implenda *infirmari* per ipſam litteram, ſed *per carnem*, id eſt, per *carnalem præſumptionem*, *nec littera malum eſt*, inquit, *quia occidit*, *ſed malos præuaricatione conuincit*. Et cap. 4. quod eâ quâ ſolet peruicaciâ negat Ianſenius in veteri lege datam eſſe gratiam, quam *fini*, *& ſcopo legis* affirmat *è diametro oppoſitam*. olim à Pelagianis obiectum eſſe Catholicis docet Auguſtinus, & ita refellit. *Quis enim catholicus dicat, quod vos dicere iactitant Spiritum ſanctum adiutorem virtutis in veteri teſtamento non fuiſſe, niſi cùm vetus teſtamentum ſic intelligimus, quemadmodum Apoſtolus dixit à monte Sina in ſeruitutem generans?* Quaſi dicat in monte quidem Sina, cùm fœdus illud ſancitum eſt, non fuiſſe datum Spiritum ſanctũ, ſed eo tempore, quo lex illa viguit, datum fuiſſe illum *prophetis ſanctis, & iuſtis ſiue occultis, ſiue conſpicuis, & vbi abundauit delictum, ſuperabundaſſe & gratiam per fidem iam humilis hominis in lege deficientis, & ad Dei miſericordiam confugientis*.

Si verò gratia iam tum fuit abundantior cùm abundauit delictum, id tempore legis veteris videtur contigiſſe. Cùm enim lex illa præuaricationis gratiâ propoſita, per præuaricationis peccatum tunc Iudæorum ſuperbiam de ſua iuſtitia præſumentium conuinceret, proculdubio iam tunc quoque eadem lex conuictos ad gratiam Saluatoris compellebat; ea quippe rationis ab Auguſtino initæ conſecutio eſt. In quo fœdè ac turpiter falſus eſt animi Ianſenius, qui finem legis totum poſuerit in ea præuaricatione efficienda, cùm medium, non finis illa præuaricationis effectio ſit, quo medio Deus vtebatur, vt Iudæos ſuperbiæ conuictos, ſuæque conſcios tenuitatis ad gratiam, miſericordiámque diuinam implorandam compelleret, qui finis legi fuit propoſitus; vnde factum, vt lex ipſa pædagogi ad Chriſtum iter intendentis nomen, & munus ſortita ſit.

Quare ſi Chriſtus etiam tum temporis iis propoſitus eſt, quibus lex fuit data tanquam dux ad eum, & pædagogus, num manifeſtè conſequens eſt, Chriſtum venturum iam tum illis propoſitum fuiſſe, ad quem lege ipsâ tanquam du-

Digitized by Google

ce, iter ſuum intenderent? Namque non poteſt eſſe itio, niſi terminus, quò ſit eundum proponatur, quod cùm perſpicuum ſit, illud quoque euidens, gratiam oblatam eſſe, ſine quâ ad Chriſtum perueniri non poteſt, cuius gratiæ in lege partes erant, vt daret opem, qua lex ipſa ſeruari poſſet.

ARTICVLVS VIII.

De Iudæorum proborum paucitate error Ianſenij refertur.

NE ſit ea, me inter & Aduerſarium altercatio, quæ eſſe non debet, quid illi concedam breuiter exequor, vt ad ea quæ negem, diſputationis curſus magis expeditus eſſe poſſit. Fateor imprimis Chriſtianæ religionis myſteria, paucis admodum Iudæis, iiſque Prophetis & Patriarchis, aliiſque ſacrarum litterarum adminiſtris fuiſſe manifeſtata. Fateor 2. eos ſenſibus, & carni addictos, rebus terrenis ſeruiiſſe, neque ſi Chriſtianis comparentur, probitate morum eſſe multùm commendandos.

Sed quemadmodum eos inter, qui ritu Chriſtiano initiati ſunt, flagitioſi ſunt permulti, pauciſſimi omninò bene perfectéque morati, longè plures, qui medium, inter vtrumque extremum, ordinem teneant, hoc eſt, nec flagitioſi admodum, nec ab omni parte perfecti; ſic exiſtimo de Iudæis ſtatuendum, quorum pars maxima improbitate idolorúmque ſeruitute tenebatur, à qua licèt plurimi abhorrerent legémque ſeruarent, erant tamen mancipati ſenſibus, & carnis vinculis irretiti, quod cùm dico, non propterea negari velim, ante Chriſti aduentum, eorum probos iuſtóſque viros bene multos aliqua ſanctimoniæ commendatione floruiſſe. Id porro cùm inficiatur Ianſenius, eum temeritatis primùm, tum etiam erroris, poſtremò cùm in legem Moſaïcam, tum in ipſam prouidentiam diuinam grauiſſimæ offenſionis meritò notari debere contendo.

Ille nimirum cap. 5. lib. 3. de gratia Chriſti aſſerit, *eos, qui ſub lege poſiti ſunt, nullum adiutorium bene viuendi præter legem accepiſſe, non adiuuari gratia.... ex quo accidit, vt quando cum concupiſcentiis ſuis ſurgentibus, pugnare volunt, faciliùs*

quàm antè ſuperentur, quia talibus lex ſubintrauit, vt abundaret delictum. Quæ quemadmodum generaliter loquendo in Iudæis pleriſque in illo ſtatu ante aduentum Saluatoris, perpaucis exceptis, locum habuerunt, ita etiam nunc, poſt eius aduentum in nonnullis Chriſtianis locum habent. Ita Doctor noſter, nunquam ſui oblitus, *perpaucis exceptis*, reliquos omnes Iudæos nulla gratia adiutos, grauiùs peccaſſe vult, quàm gentes ipſas, quibus nulla lex, quæ peccati virtus eſſet, fuit impoſita. Cúmque inter Iudæos plurimi pecudum more ſuis cupiditatibus obſequerentur, non pauci pro ſua parte repugnarent; hos quoque eodem in loco vult eſſe ponendos; adeo vt (inquit) *quando cum concupiſcentiis ſuis ſurgentibus pugnare volebant, faciliùs quàm antè ſuperarentur, quia talibus lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* tum addit ibid. *toti Iudaico populo præter paucos ſufficientem implendæ legi gratiam ſubtractam fuiſſe*, eandémque ipſam gratiam orandi ſufficientem multis Chriſtianis ereptam, *ſub veteri teſtamento penè toti Iudaicæ nationi paucis exceptis defuiſſe.* cap. 6. *Nec verò iſta omnia quæ de carnalibus iſtis animis filiorum veteris teſtamenti diximus, de improbis intelligenda ſunt, ſed potiùs de illis, qui probiores eſſe viderentur.* cap. 8. *Erant admodum pauci, qui ſpiritalia in carnalibus præfigurata intelligerent, pauciores qui intellecta ſperarent, ac diligerent, pauciſſimi quibus dilectio illa ſpiritalis per ſufficiens gratiæ adiutorium corrigeret carnales mores, æternæque vitæ præcipiendæ ſpiritali præceptorum obſeruatione præpararet.*

Si ergo ſoli iſti Iudæi pauciſſimi ſalui facti ſunt, vel potiùs ſalui eſſe potuerunt, cùm his ſolis *gratiæ adiutorium ſufficiens adfuerit,* & hi longè pauciores fuerunt Iudæis myſteria figuris adumbrata intelligentibus, quod ſi in ſolos patriarchas, prophetáſque ex ſententia Doctoris noſtri cadebat, ex illius eiuſdem opinione euidens eſt, non omnes prophetas ad ſalutem peruenire potuiſſe, quando etiam eorum, qui intelligebant pauci fuerint, qui eò peruenirent. Neque id Ianſenius tulit aut obſcurè, aut diſſimulanter. poſtquam enim pauciores bonorum ſpiritualium amatores, quàm intelligentes eſſe dixit, de intelligentium iſtorum paucitate, ita loquutus eſt, vt tandem concluſerit, pro diuerſa tempo-

Digitized by Google

rum ratione fuiſſe factum, *vt illa ſigna futurorum perpauci intelligerent, ſpirituales videlicet quidam, illíque maximè, quos Deus ſpiritu prophetiæ illuſtrauerat, reliqua verò carnalium turba nullum fructum ex eorum ſpiritali ſignificatione caperet; hæc verò ſeruitus ſub ſignis non intellectis, non ſolùm abſtruſorum comparatione myſteriorum noui teſtamenti locum habuit, quorum fides non eſt ad ſalutem neceſſaria, ſed imprimis quoque reſpectu fontis gratiæ Chriſti Ieſu, & reſpectu ipſius gratiæ; ſine cuius agnitione nemo adultus ſaluari poteſt.* quod vt probet nullos facultatulæ ſuæ neruos non intendit.

A *cuius opinione ac deſiderio*, videlicet carnali, regníque terreni per Chriſtum reſtituendi, *tanquam reliquiis teſtamenti veteris, necdum plenè Apoſtoli erant liberati, quando ipſum cuius iam diuinitas eis, & immortalitas innotuerat, tamen interrogabant: Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* Hæ verò reliquiæ, hæc opinio, hoc deſiderium ex eiuſdem Ianſenij doctrina cum vera germanáque charitate, dilectione iuſtitiæ, fide in Chriſtum ſpirituali, & ſpe omnino ad ſalutem neceſſaria pugnabant. Vnde conſequens eſt, tunc temporis Apoſtolos illis adhuc deſideriis irretitos, vera fide tam Chriſti, quàm eius gratiæ, ipſáque gratia ſufficiente caruiſſe; eorúmque amorem Dei, Chriſtique, qui terrenus erat etiamnum, *fuiſſe impurum, carnalem, vitioſum, quem veriùs amorem creaturæ dicas, quàm creatoris*, vt Ianſenij ipſius verbis vtar, nec ab eius mente diſcedam. Quæ voces tam nefariæ, támque ab omni veræ pietatis ſenſu abhorrentes vix me ſinunt à durioribus verbis abſtinere. Nam ipſe cauſæ meæ præuaricator ſim, ſi tantum nefas diſſimulem, dabo tamen operam, ne qua vox aſperior à me exeat, ſed lectorem etiam atque etiam monebo, reputet ipſe ſecum, quò impotens contradicendi libido, nouitatis amor non conſideratus, & falſa Auguſtini intelligentia hominem tranſuerſum agat, quos inducat in errores, quas in Deum legis Moſaicæ auctorem, in Chriſtum, eiúſque diſcipulos blaſphemias præcipitet.

ARTICVLVS IX.

Ianſenij error allatus refutatur.

ITA abſurdus eſt hòc in loco Doctor noſter, vt me confutandi ſui curâ, ac negotio liberet. Nam ſuperuacua foret hîc longior oratio, vbi tam fœdi erroris importunitas eſt adeò manifeſta. Quapropter de tanta impietate reprimenda non laborabo, vnum tamen eſt quod moneam pro tuenda Auguſtini auctoritate, qua turpiter ille ad doctrinæ ſuæ nouitatem meliùs ſtabiliendam abutitur, malè contra totam Iudaïcam gentem afferri ab Aduerſario, quæ S. Doctor contra flagitioſos, & improbos attulit, & quod legis illius cultores eodem in loco habeat, ac eos, qui craſſo, pinguíque affectu ducti litteræ ſeruiebant, ab eo malitioſè eſſe factum. Nam Auguſtinus vt plurimùm ſub lege poſitos appellat eos omnes, qui nulla dilectione iuſtitiæ, ſed ſolo pœnæ timore legem ſeruare videbantur. Denique licèt pauci fuerint, qui myſteria Chriſtiana Moſaïcæ legis imaginibus inuoluta perſpexerint, pleroſque tamen fuiſſe, qui eiuſmodi imagines ritè venerati ſint tanquam ſigna meliorum bonorum, quæ confusè nouerant, ídque fuiſſe ſatis, vt lege, pro eo ac fieri oportebat, legitimum in modum vterentur, & è numero eorum cenſerentur, qui ad filios adoptionis pertinerent. In quo pariter ordine exiſtimabat reponendos eos omnes, qui Chriſtiano more, myſteriorum intelligentiam reconditam, abſtruſámq; in figuris aſſecuti fuerant, réſque terrenas aſpernati, amorem ſuum ab omni materiæ contagione exemptum, identidem Deo repræſentabant; cæteri verò licèt non ita eſſent animati, ſed rerum humanarum cupiditate aliqua etiam tenerentur, non propterea viſum eſt Auguſtino, illos à ſpe ſalutis excludere.

Quæ ſi ea, qua par eſt, cautione obſeruentur, ipſe ſibi abſque negotio conciliabitur Auguſtinus, qui præter illos perfectiores Iſraëlitas, multos etiam alios minùs perfectos Deo acceptos fuiſſe velit. Ita libro 3. ad Bonif. capite 4. *Chriſtum multi iuſti videre cupierunt, in quem venturum, ab*

Digitized by Google

ipſius humani generis initio crediderunt. quos videlicet multos nondum nomine, ſed re Chriſtianos, eandémque gratiam, quæ per Spiritum ſanctum data eſt, accepiſſe dicit. Tum verò apud eundem lib. de vnit. Eccl. cap. 13. cùm Donatiſtæ, vt paucitatem ſuam magis commendarent, idem ipſum Ianſenij placitum de exiguo bonorum apud Iudæos numero afferebant, illos refellit diuus Doctor ex illo loco 3. Reg. cap. 11. *reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.*

Nec verò reſponderi poteſt Auguſtinum hîc ſermonem inſtituiſſe de Iſraëlitis, qui licèt dediti ſenſibus, minimè tamen Idolis ſeruiebant. Nam ibidem eodem vtitur teſtimonio, vt contra Donatiſtas probet, *Non obeſſe iuſtis in medio impiorum conſtitutis, quidquid in ipſos populos, propter impiorum multitudinem dicitur.* Id verò nullius planè eſſet momenti, niſi omnes illi probi ac iuſti fuiſſent. Neque enim Donatiſtæ hæreticorum, aut idololatrarum duntaxat, verùm etiam adulterorum, & quorumuis flagitioſorum conſuetudine probos infici, contaminaríque exiſtimabant.

Quis porrò dicat Nathanaëlem, qui nulla apud populares ſuos prophetiæ, aut vllius eximię perfectionis dote claruerat, fuiſſe è numero perfectorum eorum, de quo hîc diſputatur, cùm Meſſiam alium quàm Nazaræum expectaret? nemo vt opinor. liquet tamen eum ab ipſius Chriſti teſtimonio, fuiſſe ſine dolo, & verum Iſraëlitam, adeóque, quod ita ferebat præ ſe Ianſenius, vt Iſraëlita, impurus vitioſúſque minimè fuit, neque *ſynagoga, vt ſynagoga, erat turba carnalium*; hunc enim vt bonum, & probatæ compertæque virtutis fidelem, in quo dolus non erat, à Chriſto laudatum commendatúmque conc. in Pſ. 65. perhibet Aug. In Pſ. verò 77. ad ea verba, *& ſuſcitauit teſtimonium. Timor præualet in lege, & initium ſapientiæ timor Domini*, per quod initium cùm prima gratiæ Chriſti lux affulgeat, quomodo abſque vlla eiuſmodi gratia timor is, qui initium ſapientiæ eſt, in lege veteri præualuit?

At quid tricis, argutiiſve opus ſit, vbi tam manifeſta Auguſtini auctoritate conſtantiſſimum eſt, in circumciſione per fidem in Chriſtum venturum, eámque iuſtificantem, quamplurimis Iudæis Chriſti gratiam eſſe conceſſam? adeó-

Digitized by Google

ne verò res in arctum, anguſtúmque deducenda eſt, vt ſolis prophetis, aut circumcidentibus aut circumciſis gratiam Chriſti datam eſſe dicendum ſit? video quid reſpondeat Ianſenius, qui nullam habitualem gratiam à Chriſto dari poſſe contendit. Sed alium mihi refutãdi erroris illius locum propoſui. Id tantùm hîc dictum velim, dubitari non poſſe, ſi pueri à parentibus circumciſi gratiam illam acceperint, hos in circumciſione verè in Chriſtum credidiſſe, & proinde aliquam Chriſti gratiam actualem habuiſſe. Huc poſſunt reuocari quæ ſuperiùs à me art. 2. huius cap. ex Aug. allata ſunt in Pſ. 72. vbi pios Dei cultores *à paucis intellectoribus regni cæleſtis diuerſos* in ſynagoga fuiſſe ait, & lib. 3. de doct. Chriſti, eos *placuiſſe Deo, & religioſos fuiſſe,* quod qui abſque gratia per Chriſti meritum data fieri potuiſſe dixerit, is meritò Pelagianus poterit haberi.

ARTICVLVS X.

Ianſenius cum Pelagianis conſpirat, dum omne rerum caducarum deſiderium peccati mortalis damnat.

ETSI Caluino deditus omninò Ianſenius à Pelagio prorſus abhorruiſſe videatur, nihilominùs in illius partes (imprudens fortaſſe) non rarò tranſire ſolet. Neque profectò id magnopere mirum cuipiam videri debet, ſi præſertim attendat ad Auguſtinum, qui Manichæos, Pelagianóſque doctrinæ, morúmque inſtituto quàm diſſimillimos, aliquando tamen errorum communione ſocios fuiſſe docet, & lib. 2. ad Bonif. cap. 2. *vtroſque gratiam Chriſti ſimul oppugnaſſe, baptiſmum eius ſimul euacuaſſe, carnem eius ſimul exhonoraſſe modis cauſiſque diuerſis.* Nam vt cætera omittam, in quibus conſentit Ianſenius cum Pelagio, quæ fortè eſſent à re aliena; vnum quod præſentis eſt difficultatis, contendo, vtrumque in eo conueniſſe, quòd omnem Chriſti gratiam à veteri lege ſuſtulerit, ita tamen vt Pelagio Ianſenius Iudæis longè fuerit iniquior, qui omnes non perfectos promiſcuè damnarit, cùm Pelagius vi legis, atque liberi arbitrij aliquos eorum ſaluos fuiſſe profiteatur, quod ex variis Aug. locis, tũ maximè ex lib. 1. ad Bonif. cap. 21. ſatis liquet, vbi habet

Digitized by Google

Pelagianos cum magiſtro ſuo, *diſtribuiſſe tempora, & dixiſſe, ante legem ſaluos factos eſſe per naturam; deinde per legem: poſtremò per Chriſtum.*

Quanquam non exiſtimem mentem Iprenſi noſtro fuiſſe adeò ſiniſtram, vt priſcæ legis pueros circúciſos, & fato ſublatos ſalutem negarit eſſe conſecutos. Quamobrem quod ſolos prophetas, pauciſſimóſque illos probitate morum, ac pietate conſpicuos ad noui teſtamenti gratiam, Chriſtúmque ipſum pertinuiſſe voluerit, vt abundè declaratum eſt, ſatis ſignificauit, velle ſe reliquos qui in ea gente ſalui facti ſunt, nec pertinuiſſe ad Chriſtum, nec eius beneficio ſalutem eſſe adeptos; quod omnino Pelagianum eſt: Atque vtinam eò ſtetiſſet hominis præfractè audacis petuicacia, & diuiniſſimæ Chriſti ſeruatoris cruci, qua nihil Chriſtiano magis ſacrum eſſe debet, ipſiúſque meritis peperciſſet; nihil denique ab infinita illa opum vi, quam morte ſua Chriſtus nobis pepererat, fuiſſet detractum, ſed proh nefas! ea fuit noui Doctoris impietas, vt Iudæos pro ſua lege ſuóque fœdere Chriſto quicquam debuiſſe, cum Pelagio negare non dubitarit; affirmarítque legem eam, quodcumque porrò tulerit adiumenti, id nequaquam ob futura ſaluatoris merita fuiſſe datum; niſi fortè rem adeò duram vt molliret, legem ipſam, donum Chriſti, crucíſq; fructum eſſe conceſſerit, quam mortis damnationíſque legem, non modò ſaluti inutilem, ſed & pernicioſam, quæ per ſe inclinaret ad peccatum, peccandíque neceſſitatem imponeret, quæque non alio fine data fuerat, quàm vt homines reos efficeret, & præuaricatores, ipſe quemadmodum ſuprà dictum eſt à me ſolitus erat appellare; adeóque Ianſenianis potiori iure impium illud effatum tribuendum, quàm Pelagianis: *Chriſte abſiſte à nobis, neque enim opus eſt tali ſaluatore.*

Abutar otio, ſi omnia quæ eò pertinent, perſequi velim; vnicuique vel tenuiter in Pelagij doctrinâ verſato promptum erit cætera repútare ſecum, in quibus cum illo gratiæ Chriſti aduerſario conueniat Ianſenius, qui omnem, quo homo ſe, non Deum diligit, amorem, cum Dei contemptu coniungi, & æterna lege damnari velit. Quod ſi ita eſt, vt dicit, non video, quid peccatum veniale inter & mortale diſ-

Digitized by Google

criminis eſſe poſſit, ſi peccatum omne à cupiditate proficiſcitur, ipſáque adeò cupiditas, reíque creatæ amor eſt Dei contemptio; quod à Patribus damnatum in Pelagio, memoriæ proditum eſt, quemadmodum & notatam ab iiſdem accepimus illius ſententiam, qua omne rerum terrenarum deſiderium vitioſum eſſe affirmabat; quæ Ianſenij fuit doctrina, hócque dogmate tanquam præcipuo, omnia quæ deinceps de Iudæorum, legíſque prauitate docuit, tanquam primario fundamento ſtabiliuit, quæ ne fortè hîc repetam cum faſtidio omitto, & damnata ab Hieronymo & Auguſtino ſuper ea Pelagij dogmata propono, quibus nî peti ſe ſentiat Cornelius, næ ſtupidus admodùm erit.

Hieronymus lib. 1. aduerſus Pelag. cap. 8. refert Pelagium dixiſſe, *In die iudicij, iniquis, & peccatoribus non parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos*, temerariúmque ait; *iniquos & peccatores impiis iungere, qui à nobis ſic definiantur. Omnis impius iniquus eſt, & peccator, nec reciprocatur, vt poſſimus dicere, omnis peccator, & iniquus, etiam impius eſt, impietas enim propriè ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitionem tranſgreſſione mutarunt, peccatum autem & iniquitas, pro qualitate vitiorum poſt peccati, & iniquitatis vulnera recipit ſanitatem.* Nec propterea exiſtimes, in eam partem eſſe Hieronymum accipiendum, vt velit ſolos infideles, & impios eſſe damnandos, ſed eos etiam qui Deum aſpernantur, illius mandatis morem non gerunt, *ſunt* vt ipſe ait *præuaricatores*; háncq; tenent agendi, viuendíque rationem, quæ à fide diuina prorſus aliena ſit. Vnde ſubiungit peccatores eos à Deo cædi tanquam diſcipulos, ac filios, *magiſtri & parentis affectu*, non tanquam aduerſarios. Hunc porrò errorem Pelagio obiectum eſſe in Synodo Palæſtina refert Aug. lib. de geſtis Pelag. cap. 3.

Quòd verò terrenorum bonorum amorem omnem impurum, vitioſúmque, & charitati diuinæ contrarium contendit Ianſenius, valdè conſentaneum eſt iis, quorum teſte Auguſtino ibid. cap. 11. accuſatus eſt Pelagius in eâdem ſynodo. *Quod diuites baptiſati, niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non illis reputetur, neque regnum Dei poſſint habere.* Et memoratus ſuprà Hieronymus refert dictum à Pelagio,

lagio, *gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrariam, & ita hominibus ſæculi apertè bellum indici, & inimicitiæ contra Deum, ſi pretioſis, atque nitentibus vtantur exuuiis.* Hunc errorem Pelagij pluribus refellit Aug. epiſt. 89. ac præſertim quòd Pelagius aiebat: *ideò Patres antiquos non vendidiſſe omnia quæ habebant, & dediſſe pauperibus, quia hoc eis non præceperat Dominus nondum reuelato nouo teſtamento.*

Quod admodum videtur affine doctrinæ Ianſenij de gratia Chriſti, quæ nulla eſſe poteſt, inquit, niſi exemplo Chriſti ſpretis omnibus huius vitæ bonis, id ametur vnum, quod ſpirituale ſit, ac ſempiternum. Quòd ſi eſſet integrum, hîc ſine magno negotio demonſtrare poſſem, conſilia diuina cum præceptis confundi à Ianſenio, & quidquid imperfectum eſt, tanquam malum, vitioſum, perperam factum damnari, quod ex purâ dilectione Dei non fit, eſſe flagitioſum; & vt verbo dicam, quod ab Hieronymo dictum eſt de Pelagio, *nullum eum in rebus modum tenere, vbique mediocria ὑπερβολικῶς tranſgredi:* quod quàm aptè conuenientérque de Ianſenianis dici queat, nemò niſi eorum ignarus, non videt.

CAPVT XV.

De doctrinâ, & ſcientiâ quauis dogma Ianſenianum proponitur.

ARTICVLVS I.

Nullam legem, doctrinam, aut ſcientiam, Chriſti donum eſſe Ianſenius docet.

ADIVMENTVM gratiæ Chriſti quidpiã eſſe aliud ab ipſa gratia Chriſti priùs à me obſeruatum eſt; hæc enim, ſi fortè gratiam habitualẽ à virtutibus infuſis diuerſam excipias, ſiue virtus ſit, aliáve affectio in habitu poſita, ſiue in actu, ea vel voluntatis gratia eſt, vel certè voluntatem afficit, & cum ea cõiunctè ſe habet, quod & in ipſa fide Theologica

euidens eſt, quę licèt per ſeſe in intellectu ſit, tamen quòd ad voluntatem quodammodò pertinet, cuius motionem quandam requirit, eam gratiæ Chriſti propriè dictæ nomen, rationémque obtinere nemo Catholicus negauerit, quæ ad inſtitutæ quæſtionis intelligentiam neceſſariò videbantur præmittenda: nunc ad rem ipſam venio. Quæritur hîc vtrum quæcumque Dei dona ad doctrinam conferunt, quæ à Pelagio gratia ipſa aut certè adiutoria naturæ & liberi arbitrij, in quo ille gratiam ipſam vtpote boni poſſibilitaté ponebat, adiutoria nuncupari ſolita erant, cuiuſmodi eſt doctrina legis Euangelicæ, Chriſti Domini inter homines agentis exempla, minæ, promiſſiones, adhortationes, & pleraque alia, quorum meminit Auguſtinus in lib. de gr. Chr. c. 7. & conſequentibus, in quibus ſolis Pelagius Chriſti gratiam & adiutorium collocandum eſſe ſtatuebat: vtrum, inquam, hæc dona non modò gratiæ Chriſti rationem non habeant, ſed ne vel ad eius beneficia debeant referri.

Hæc diſputandæ controuerſiæ ſumma. De qua quid ſentiat Ianſenius dictum iam à nobis ſatis enucleatè; & quia res poſtulat etiam dicendum. Negat itaque eiuſmodi auxilia digna videri, quæ inter Chriſti beneficia meritò cenſeri poſſint. Audiendus ipſe quo ore, quàm impudenti neget: neque pigebit locum illum iam ſuprà allatum iterum referre cùm famoſus ſit, & ad rem planè accommodatus, ſic ille lib. 2. de gr. Ch. c. 5. *Vnde fit, vt neque lex, neque reuelatio, neque ſapientia, aut ſcientia quæcumque, aut qualiſcumque ſit illud adiutorium quo, quod quærimus, ſed vt ſumimus tantummodò ſine quo non; neque ſit adiutorium ægræ, infirmæque voluntatis, ſed fortis, & ſanæ, nec adiutorium Chriſti, ſed Adami.* Timebat, opinor, ne loqui ſatis intelligenter non videretur; omnia nimirum complexus eſt, *neque lex, neque reuelatio, neque ſapientia, aut ſcientia quæcumque.* Quid omiſſum obſecro ab homine tam nauo, quod vel eò pertinere quoquo modo poſſet? Quid præterea? Nam quorsùm tam accurata verborum non admodum diſſimilium complexio? negat hæc omnia ad gratiam Chriſti eſſe referenda, *nec ſcientia quæcumque aut qualiſcumque ſit, adiutorium eſt Chriſti.* Loqueris tam planè, nullus vt ſit qui non intelligat. At perge enimuerò, dic

ſodes: cuius igitur beneficium ſit, ſi Chriſti non fuerit? Adami, inquit, quo quid dici poteſt magis nefarium?

Perdidit genus humanum Adamus, perditum Chriſtus reparauit, de iſtius beneficẽtia detrahit quod poteſt Ianſenius, vt illi tribuat. ô crimen poſt Pelagiana tempora inauditum! Quis tantam hominis ita iniqui importunitatem ferat? Sed res eſt palam facienda ſcelúſque teſtibus peruincendum. In toto l.1. de gr. Chr. quandam intellectus gratiam conſtituere molitur, quam tamen Chriſto tribuit nunquã, ſæpiùs negat, & c.6. duplex illius genus inſtituit, alterum eorum quæ foris fiunt, & in ipſos ſenſus cadere ſolent, qualis eſt verbi diuini explicatio, adhortatio, ſuaſio; alterum quod ad imam vſque mentem pertingit, eam complet veritatis luce, ac cognitione ſapientiæ, éſtque adeò ipſa intelligentia, ſcientia, ſapientia, illuminatio. *Vtraque*, inquit, *generaliter nomine doctrinæ, aut legis appellari ſolet.* Eò referri ſolent exempla Chriſti, & Sanctorum ad vitam bonis moribus inſtituendam, tum ſacri omnes ritus illi cùm legis veteris, tum nouæ, omníſque proinde gratia, quæ doctrinæ amplitudine continetur. Quærit Ianſenius: *Vtrum huiuſmodi gratiæ auxilio ſublenata, & adiuta natura voluntatis liberari poſſit à ſeruitute, qua detinetur, & expedita fieri, vt velit, & operetur bonum. Id à Pelagianis,* ait, *æſtimatum.* Tum vt propoſitam difficultatem ſoluat, addit ſe *generaliter de viribus legis, quæ Iudæis data fuit ad aſſerendam libertatem diſputare; ex cuius diſputationis luce palàm fiet, quid de quacumque doctrina, ſiue veteris, ſiue nouæ legis, ſiue interna, ſiue externa, prout amplitudinis eius limites paullò antè deſcripſimus, arbitrandum erit.*

In quam boni doctoris noſtri ſententiam tria ſunt quæ monita velim. Primũ ab eo nullum prorſus pro ratione gratiæ, & auxilij diuini ad bene viuendum diſcrimen poni inter legem Moſaïcam, & quãcumque aliam ſiue legem, ſiue doctrinam, ſiue ſapientiam, cuiuſcumque porrò generis fuerit: vnde fit vt exempla bene viuendi à Chriſto relicta, regni cæleſtis promiſſiones, & lex Moſaïca ex opinione aduerſarij ad gratiam, auxiliúmque Chriſti ex æquo pertineant, nec proinde plus momenti illa omnia, quàm ſcripta lex, afferant ad pietatem, ac vitæ ſanctimoniam. 2. Quidquid à Pelagianis gratiæ

loco habitum eſt, illud apud Ianſenium, à gratia Chriſti planè eſſe alienum, nec niſi vanum, commentitiúmque gratiæ & auxilij illius nomen retinere poſſe. 3. Quæſtionem ab illo vel imperitè, vel fraudulenter, quod vtrumque in hominem honeſtum, ac liberalem cadere non debet, eſſe propoſitam. Nam quis Catholicus negét vnquam, quin lex, & iſtiuſmodi doctrina ſit aliquod diuinum, atque adeò Chriſti gratiæ adiumentum? Sed quæſtio fuit omnis, num doctrina ſit ipſa Chriſti gratia, & ſuapte vi, nullâ alterius doni voluntatem ipſam afficientis, immutantíſque (qualis eſt charitas) acceſſione factâ, libero ſufficiat arbitrio, vt aut poſſit velle, & operari bonum, aut reipſa velit, & operetur. Deinde num doctrina ſola ſit gratia vel operationis, vel voluntatis, vel ſaltem poſſibilitatis, Ianſenius autem illam *ſolius* gratiæ, & auxilij particulam omiſit, in qua vna Pelagianorum error poſitus erat.

His, quæ moneri oportebat, conſtitutis, c. 8. l. illius 1. rem decernit, *Tantùm abeſt,* inquit, *vt lex inſtitutionis, allatæq; ſcientiæ, de rebus agẽdis cauendíſq; beneficio maiorem afferret iuſtitiæ facilitatem, vt potiùs difficiliorem fecerit, & quaſi muro quodam oppoſito impoſſibilem*, quod *paradoxum* videri poſſe fatetur. Nondũ ad omnem planè ſenſum obſtupuit, qui id ſentiat. Nam quid magis contra communem omnium opinionem eſſe poſſit? inde enim manifeſtè conſequitur, omnem euangelij diſciplinam, traditúmque nobis à Chriſto vitæ tam præclarè inſtituendæ exemplum, *non tantùm non reddere maiorem iuſtitiæ facilitatem, ſed quaſi muro quodam interpoſito impoſſibilem.* Ad quod quis Chriſtianus toto animo non perhorreſcat? Et quia vt oſtenſum eſt, quidquid de lege Moſaïcâ erat dicturus, id de quacumque alia, ipſáque etiam Euangelica doctrina arbitrandum eſſe indicit; pariter quoque de hac ſentiendum eſt, quod ibidem ſubiicit, *legem Iudæis maiorem ſeruandæ iuſtitiæ difficultatem, peccandíque pronitatem, ac promptitudinem attuliſſe, & quia quod malum eſt, vetat lex, accendere potiùs, quàm ſedare peccandi ſitim*. Eodem cap. 8. *Sola charitate peccandi deſiderium extingui* (ait) *ſolum illud remedium eſſe aduerſus cupiditatẽ, gratiam eſſe non cuiuſquam cæleſtis illuminationis, aut cogitationis congruæ, aut terroris, aut ſimilium, quæ recentiores pro gra-*

tiæ Chriſti obtrudere voluerunt, ſed vnicam regiam Dei charitatem.
Satis mentem ſuam declarat, cùm recentiores iſtos nimirùm Suarem, Leſſium, Molinam, & alios refutet, quòd falſam pro vera Chriſti gratia obtrudunt; nam diſſentiat ab illis neceſſe eſt, quos ita reprehendit, adeóque negat ſcientiam, & doctrinam etiam Euangelicam, vllum Chriſti auxilium eſſe, nec niſi in ſola charitatis diuinæ motione conſiſtere. Nam nunquam venit in mentem Theologis illis aſſerere ſolam doctrinam eſſe Chriſti gratiam, ſed cùm intelligerent ineſſe in voluntate gratiam tam habitualem virtutum infuſarum, quàm actualem inſpirationum, doctrinam eſſe quoddam gratiæ illius adiumentum profeſſi ſunt; nec inter Chriſti beneficia ſolam charitatem, aut gratiam Ianſenianam, ſed quæcumque à Chriſto dicta, factáque ſunt, vnde quidquam vtilitatis in nos conſecutum eſt, exiſtimarunt eſſe numeranda. Neque enim ſola per Chriſtum gratia, ſed etiam veritas rem in noſtram facta eſt.

Neque expectet Cornelius, vt grauiſſimorum illorum Doctorum, quos indignis certè modis habet, patrocinium cauſámque ſuſcipiam; non illi ſunt, qui vel defenſione noſtra egeant, vel qui hominis tam vani, támque inepti cenſoris aculeos reformidare debeant. Cùm enim nihil ſit in tantis támque in omni doctrinæ genere excellentibus viris, quod meritò reprehendi queat, de illorum tuendâ auctoritate, quæ per ſe ſtare poteſt non laborabo, vt me eò dedam quò res vocat, & in proponendis aduerſarij erroribus totus eſſe poſim. At ne quiſpiam fortè putet ea quæ iam à me de illius doctrina allata ſunt imprudenti excidiſſe: ſatis enim patet ex capite 16. quàm tenaciter menti illi adhæreat, nihilque in hanc partem dicat niſi conſultus admodum, meditatúſque, ſic habet; *Ex his quæ de natura legis veteris generaliter, ac de eius effectibus diſſeruimus facilè perſpicuum eſſe poteſt, quid de quacumque gratia intellectus exiſtimandum ſit, ſiue illa promiſsio, ſiue illuminatio .... ſiue Chriſti, aut alterius exemplum .... Quidquid illud tandem ſit, tantummodo intellectum inſtruunt, nec aliam gratiam complectuntur quàm illam Pelagianam legis atque doctrinæ.* Pelagianam autem vllam gratiam Chriſti eſſe conſtanter negat, licèt gratiam aliquam eſſe, &

ab Auguſtino cognitam fuiſſe cap. 17. fateatur, vbi aſſerit, *nunquam ab Auguſtino cogitationem congruam* (quæ eſt illuminatio) *pro Chriſti gratia propriè dicta ad bene operandum neceſſaria obtrudi.*

Articvlvs II.

Omne Pelagianæ gratiæ adiumentum, Chriſti negat eſſe Janſenius.

Cvm Chriſti gratiam vnà cum illius auxilio confusè permiſceat, non mirum ſi de vtroque ſentit ita perturbatè, vt quod de altero dicit, illud ad alterum pertinere velit. Hominem non vrgebo, vt magis diſtinctè loquatur. ſcio enim quàm id difficile ſit in tanta præſertim doctrinæ, quam amplexus eſt, perturbatione. Quapropter ne ſim illi iniquus, quod fieri non potuit, ab eo factum non eſſe, diſſimulabo; de gratia verò ſeu adiutorio ad bene viuendum Pelagiano, ſeu quod Pelagius cum ſuis admittebat, tria ex Ianſenio colligo.

Primum eſt, eum fateri multas, atque adeò omnes tam habituales, quàm actuales gratias, quas Theologi recentiores admittunt, à Pelagio aliquando, & ab eius diſcipulis poſtea fuiſſe conceſſas, eóſque hoc ſolo nomine hæreſis notatos, quòd gratiam vt fingitur à ſchola Ianſeniana, reſpuerent. De Semipelagianis verò paulò pòſt erit quæſtio inſtituenda, nunc tantùm moneo Ianſenium cenſere, hos germanam Chriſti gratiam ad bene operandum neceſſariam dicere ſolitos, non verò ad fidei ipſius initium, & eam ob rem eſſe damnatos.

Secundum eſt, à Ianſenio non negari, quin Pelagiani gratias propriè dictas, & quales Adamo fatetur eſſe datas aliquando admiſerint, ſed id vnum conſtantiſſimè negat, vllam gratiam prout accipiebatur à Pelagianis, propriè dictam Chriſti gratiam vllo modo eſſe poſſe.

Tertium eſt, non poſſe hoc loco excuſari Ianſenium, quod aliquam tantùm ſingularem, & eximiam Chriſti gratiam intelligat, cùm neget vniuerſim vllam à Pelagianis admiſſam gratiam aut gratiæ auxilium Chriſtianum eſſe. Quantum momenti ſit in hac ratione, nemo, opinor non

videt. Si enim ſecundùm Iprenſem nullum gratiæ adiumentum, eo in ſenſu, quo à Pelagianis vſurpabatur, ad Chriſti gratiam pertineat, & conſtet aliunde gratiam habitualem ſanctificantem ab eodem Pelagianam eſſe dictam, idem de cæteris omnibus actualibus dicendum eſſe ſtatuat; eâ ſolâ exceptâ, quam ille tanquam chariſſimam filiolam ſuam, hoc eſt fictam, informatámque à ſe, ſuauiſſimè deoſculatur; manifeſtiſſimè conſequens eſt, Doctorem noſtrum ita demum ſuam gratiam Chriſtianam inſtituere, vt eam ſolam eſſe velit, reliquas omnes, quantumuis porrò gratiæ ſint, tamen nec eſſe Chriſtianas, nec inter diuinas Chriſti Saluatoris opes, facultatéſque eſſe recenſendas.

Quod autem res ita habeat, ipſe poteſt ore ſuo profiteri Ianſenius, cùm præſertim negat vllum gratiæ auxilium, quo modo vſurpabatur à Pelagio, eſſe Chriſtianum, quod tom. 1. libro 5. de hæreſi Pelag. capite 27. & alibi paſſim *Pelagianas gratias* ita commemorat, vt dicat eodem lib. cap. 1. *veram gratiam Chriſti Pelagium, ac Cæleſtium ſuſtuliſſe*. Neque ſinam te vel effugere, vel tergiuerſari quiſquis es, qui magiſtrum purgas, cùm non de omni, ſed eximia aliqua Chriſti gratia mentem illius accipiendam ariolaris. Nam non video quâ fiduciâ id facis, cùm apud ipſum Ianſenium ſecùs habeatur. Sic quippe lib. 8. de hæreſi Pelag. c. 7. id definit: *Pelagiani, & Maſſilienſes omnem Chriſti gratiam ſuſtulerunt*. Non ergo eximiam, ac ſingularem aliquam, vt diuinant eius interpretes; Quod confirmatur ab eodem libro 2. de gratia Chriſti capite 12. Maſſilienſes, atque ipſum Auguſtinum cum eis aliquando errantem, *Veram Chriſti gratiam repudiaſſe* dicit, quos ideo vocat *gratiæ medicinalis deſtructores*. & cap. 25. Auguſtinus in epiſt. 107. de *gratia Chriſtiana ex profeſſo diſputans eam Pelagianæ opponere* dicitur. cap. 29. vt probet concurſum generalem non eſſe Chriſti gratiam, hoc argumento vtitur, *quia talem gratiam Chriſti nec ipſe Pelagius detrectauit*. Quod dicit ita enodatè, idem tanquam ſuis principiis conſentaneum eodem lib. 2. de gratia Chriſti capite 9. repetit, *naturam adiutorij medicinalis pro quo largiendo Chriſtus crucifixus eſt*, declarari ait ex Pelagij & Auguſtini concertatione, quam in duplici controuerſiâ po-

Digitized by Google

ſitam eſſe notat, alteram, quod, aut quale eſſet adiutorium Chriſti, non aliquod pręcipuum & ſingulare deſignat, ſed in vniuerſum, *Chriſti adiutorium iſtud Pelagius aſſerebat eſſe legem, atque doctrinam; ſapientiæ, ſcientiæque revelationes, peccati remiſſionem, Chriſti exemplum, atque huiuſmodi, de quibus antea diximus*, quod de gratia habituali, de motionibus non deliberatis voluntatis, aliíſque piis affectionibus, eſt intelligendum: Auguſtinus à contrario eſſe occultam ſubminiſtrationem Spiritus ſancti, eam videlicet ſolam, quam Ianſenius affert.

Et eodem libro cap. 1. probat nullam à Pelagio Chriſti gratiam eſſe cognitam, quòd ille nullum naturæ humanæ vitium, non ipſa cupiditatis, & ignorantiæ vulnera cognouerit, quibus duntaxat curandis, Chriſti gratia impenditur; cúmque ſanæ voluntatis auxilia ab iis quæ ſunt ægræ, planè diuerſa eſſe velit, contendit à Pelagio nulla niſi firmæ atque integræ auxilia fuiſſe nota, quæ à Chriſto diſputat minimè eſſe profecta. Nam contendebat, inquit, *unicè Pelagius, naturam humanam quantumuis peccati eſſet rea, & remiſſionis egeret, non eſſe peccando vitiatam, ſed poſſibilitatem, hoc eſt, poteſtatem voluntatis, qua bene viuere, & malè poterat, integram perſtitiſſe, qualis ante peccatum fuerat: eáque de cauſa nullum iam voluntati tanquam læſæ adiutorium eſſe neceſſarium.* Tum addit, *deleri nomen Saluatoris, totúmque medicinalis eius aduentus apparatum, ſublatâ illâ pœnali imbecillitate naturæ, cui ſoli medendæ neceſſarius medicus eſt.* Tum deinde, pœnalium iſtarum difficultatum ſcilicet ignorantiæ, & concupiſcentiæ vim, inquit, dicendo exaggerat Auguſtinus, digitúmque intendit in fontem; *propter quem ſolum*, iam Chriſti adiutorium ad bona opera facienda, peccatáque ſuperanda poſtulamus. In quo, vt ſemper, fœdè delirat Ianſenius, licèt enim Auguſtinus ſæpiſſimè commemoret illa naturæ noſtræ vulnera per primum peccatum toti generi inflicta, vt gratiæ illius medicinalis neceſſitatem probet, nunquam tamen S. Doctor ſoli vulnerum eorum medelæ, atque curationi gratiam Chriſti prodeſſe demonſtrauit, nî fortè exiſtimauerit, eadem gratiæ dona, quæ perdidit Adamus, ad perfectam ægrotationis noſtræ curationem deſiderari.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter falſum eſt, quod præ ſe fert Aduerſarius, nullum quod ſanæ, integræque voluntatis fuerit auxilium, aut ægræ eſſe poſſe, aut ad Chriſti gratiam medicinalem pertinere, quod cap. 2. eiuſdem libri repetit ſic. *Quia nullum omninò ampliùs peccatum, illa indifferenti, & verſatili libertate committitur, ſicut antea fuerat, nullo vitio proritante perpetratum, ſed quidquid iam ab Adami poſteritate peccatur, totum hoc ex fontibus illis duobus, ignorantia, concupiſcentiáque fluit, fit vt nemini mirum videri debeat, omnem Chriſti gratiam, qua rectè operamur, adeóque bene viuimus circa iſta duo vitia voluntatis ſuperanda, curandáque verſari.* Cùm autem ea prorſus à Pelagio fuerint ignorata, conficit inde Ianſenius eundem omnem veram Chriſti gratiam penitus latuiſſe, & quamcumque porrò admiſerit, nullo modo fuiſſe Chriſtianam, ſed *ad ſummum*, ſic enim loquitur, *Adamicam*, de qua ſuus erit poſtea diſſerendi locus. Demùm quia Cornelius ſola ſua gratia cupiditatis vim ſanari velit, *maximè verò & capitaliter, adeóque ſolam concupiſcentiam eſſe propter quam medicinale Chriſti adiutorium neceſſarium eſt*, inquit lib. 2. cap. 12. & cap. 25. *ipſa vera & ſola Chriſti gratia, gratia eſt, quam ſananda naturæ peccatricis infirmitati attulit Dominus.*

Quapropter, cùm nec vulnera hæc, nec gratiam qua ſanantur, nouerit Pelagius, ſequitur, quamcumque ille attulerit, non eſſe veram Chriſti gratiam: quod ita ſuperiori oratione hactenus eſt declaratum, vt nemo ſit non ſtupidus, qui id non ſentiat. Adeóque mirum videri non debet, ſi lib. 5. de hæreſi Pelag. cap. 22. & ſequentibus tantopere laborat Aduerſarius, vt probet à Pelagio admiſſum fuiſſe adiutorium poſſibilitatis, ſeu *ſine quo non*, ſufficiens, gratiam habitualem, pios motus non deliberatos, actuales gratias internas, cæteráque eiuſmodi gratiæ adiumenta. Id enim ſpectabat vnum, vt in reliquorum omnium gratiæ auxiliorum ruinâ, ſuum illud idolum, *adiutorium quo*, quam gratiam vnicam Chriſti eſſe vult, conſtitueret; quam cùm huius ſuperiorîſque æui doctoribus omnino fuiſſe ferat ignotam, illos eamobrem ſolet appellare Pelagianos, cùm non aliud auxiliorum genus, quàm quod tenebant Pelagiani admittant, eamque reiiciant gratiam, quæ duntaxat vna Catholicos ſecernebat à Pelagianis.

ARTICVLVS III.

Janſenius gratiæ Chriſti, & crucis merito inimicus acerbior eſt, quàm Pelagius.

QVIA paratus veniebat Ianſenius ad tollendam arbitrij libertatem, erat illi cauendum imprimis, ne quam vllius cum Pelagianis commercij reſidere in ſe ſuſpicionem pateretur. quod dum facit pro ſua ſingulari, nimíſque fortaſſe curioſâ ſedulitate, ac diligentiâ, eo demùm offendit ſcopulo, à quo tantopere recedere vel profitebatur, vel ſimulabat, factúſque eſt ipſo Pelagio magis Pelagianus. Neque enim vnquam memoriæ proditum eſt, Pelagium diuiniſſima Chriſti Domini exempla, præceptiones, diſciplinam, eiuſdem eximia erga nos eſſe beneficia fuiſſe inficiatum; neq; is erat qui diceret Chriſti doctrinam iuſtitiæ conſequendæ eſſe per ſe contrariam, damnationis, & mortis fuiſſe legem, (quod cùm vel cogito, totis ſenſibus perhorreſco) eámque vi ſua inclinare ad peccatum, cæteráque alia, quæ cùm Ianſenius de lege Moſaica dixerit, ſignificauit ſatis eadem velle ſe de doctrina Chriſti, cùm parem velit eſſe vtriuſque rationem, eſſe intelligenda; nec opinor ipſe negauerit, ſi voluerit ſecum conſentire. Quódque fuerit illius ſuper ea re iudicium, ſatis copioſè fuit declaratum.

Quod autem à Chriſti cruce animo fuerit longè, quàm erat Pelagius, inimiciori, vel ex eo liquidum eſt, quod illi quæ potuit detraxerit, gratias habituales, actualéſque, & omnia dona olim Adamo conceſſa, eiuſdem eſſe fructus ſumma cum impietate negauerit; licétque eiuſmodi auxilia non omninò de medio tollat, immo illis *orbem vniuerſum eſſe pleniſſimum* fateatur; ea tamen non vult Chriſto eſſe referenda. Quorſum verò, niſi vt ſolam illam, quam fingere primùm, tum inducere molitur gratiam à Chriſto eſſe profectam, ſi Deo placet, perſuadeat? Quæ profectò cùm neceſſitatem præ ſe ferat, ſi ſemel admittatur, non video quid loci meritis noſtris futurum ſit; vt paulò pòſt clarius erit.

Quid autem ſimile dictum vnquam à Pelagio, quod &

Digitized by Google

ad dignitatem crucis deprimendam, & ad omnem meritorum Chriſti vim extenuandam magis pertinere videretur? Fateor illum reprehenſum grauiter eſſe ab Auguſtino, erroríſque damnatum, ſed in eo duntaxat, quod cæteris conceſſis omnem voluntatis gratiam tolleret, quam quidem non vnicum, ſed præcipuum Chriſti donum eſſe contendebat Auguſtinus. Quòd ſi Pelagius crucis vim, fructúmque extenuare meritò dictus ſit, quòd præcipuum illud crucis beneficium tollere cogitauerit; num Ianſenius violatæ eiuſdem crucis reus manifeſtò tenebitur, qui ſaluo præcipuo eius dono (ſi tamen verum illud germanúmque agnoſcit, & pro eo ſuum illud fictitium ſupponit) cætera, quæ propè infinita ſunt, vniuerſa vel tollat, vel aliunde velit eſſe repetenda? Crede mihi (mi Corneli) non vides quid velis; an tu Chriſto viam ſe, veritatem, & vitam profitenti, concedas tertium, primum, & alterum neges? eò res ſpectat; ſed non attendebas.

Quis verò ſummum non miretur hominis ſtuporem, & ἀσυλλογισίαν, qui dum negat legem vllam, aut doctrinam in Chriſti donis eſſe cenſendam, dúmque vult eam non alio fine, quàm vt præuaricationi locum faciat, eſſe datam, ſimul tamen fatetur vtilem eſſe ad ſalutem, eíque tribuit partes illas, quas Semipelagiani ne vel nobiliſſimis iis originalis iuſtitiæ quas fingebant exuuiis auſi fuerant tribuere? lib. 1. de gratia Chriſti cap. 11. *ſuperbiam lege fractam, vt gratiæ adiutorium quæratur, próque gratia impetranda*, identidem repetit. Quo verò pacto frangitur ſuperbia, niſi voluntas fiat humilis & abiecta? At quod ſuperbiam ponit, quod humilitatem amplectitur, quod opem gratiæ requirit, ac flagitat, vt eam impetret; quis neget gratiæ Chriſtianæ quoddam eſſe initium? nam ex quo peccatum odio haberi cœptum eſt, medici curatio deſiderari, flagitari auxilium, iam aliquod bonæ voluntatis initium eſt, & Chriſtianæ gratiæ, Chriſtique Saluatoris beneficium fides enim idcircò dicitur iuſtitiæ eſſe initium, cæterarúmque ſanctitatis dotum fundamentum, quòd prima virtutum omnium orare Saluatorem, & ſaluti operam nauare doceat. cap. 12. *Lex Iudæis data eſt, vt cuſtos eorum eſſet, ne nimis procul à Deo ad idola fu-*

Digitized by Google

gerent, quemadmodum paruulo cuſtodiendo cuſtos apponitur..... cuſtodia iſta profuit Iudæis, quantùm dici non poteſt; nam inde factum eſſe tradit Auguſtinus, quòd Chriſto veniente, tam propè ad Deum inuenti ſunt. præterea lex eos, qui ſub ſe viuebant Iudæos, tanquam paruulos ad agnitionem gratiæ Chriſti, & conſequenter ad fidem auctoris eius manu ducebat, & quodammodo cogebat. hæc erat pædagogicæ manuductionis ratio.

Quanta vtilitas Deus immortalis! quæ commoda! nihilominùs eam Chriſti beneficium fuiſſe pernegat Ianſenius. Itáne verò; ſi fideli adhuc paruulo in æternæ hæreditatis ſpem, animos tollenti, creſcentíque tutor datus ſit, in cuius clientelam, diſciplinámque committatur, ſi præceptionibus excolatur iis, quæ ad vitã præclarè inſtituendam conferant; id abſque Chriſti, qui ſalutis noſtræ auctor, conſummatórque eſt, vlla ope, atque prouiſione factum eſſe exiſtimabimus? Inſtructum eſt ab Rege potẽtiſſimo ampliſſimum conuiuium, qui ſunt inuitati, conueniunt frequentes, omnia ad magnificentiam, ac ſplendorem ſunt comparata; quiſquámne fuerit bene ſanus, qui vbi tot ſumptus tam effusè facti ſunt, dicat famulos, qui inuitarent, nec à rege tam liberali miſſos fuiſſe, nec vllos ab eodem vt mitterentur, factos ſumptus?

Longum eſt narrare, quàm multa eiuſmodi, quàm grauiter peccet nouus iſte noſter Pelagianus, *Hanc* (inquit eodem loci) *pædagogi rationem, quam præcipuè in danda lege Deus attendit, non haberet lex, ſi tantummodo iuberet,.... peccata cumularet, niſi ſimul ſupplicium legis tranſgreſſionibus intentaret.* Quæ quis non horreat? nam nî fallor huius orationis ſenſus eſt, quòd lex niſi quos ſupra modum peccati pondere grauatos, etiam grauiori reatu implicuiſſet, eos adhuc addito pœnæ maioris ſeruo timore Deo magis redderet inuiſos, cum quippe timori pœnæ Doctor Iprenſis ſolet tribuere effectum, ad Chriſtum non duceret. *At nihilominùs hoc tranſgreſſioni legis addito malo factum eſt, vt peccator ſeriò legis præuaricationem pertimeſceret, ad eámque cauendam gratiæ adiutorium à Mediatore quæreret, & ad implorandam gratiam cogeretur.* Num qui *ſeriò legis præuaricationem pertimeſcit*, qui ad eam *cauendam gratiæ adiutorium à mediatore quærit*; *eámque*

implorat: iam cœpit fieri bonus? Quiſquámne eſt, niſi ipſe Aduerſarius media in luce cæcus, qui id non videat? Is quippe legem ſine vlla Chriſti gratiâ datam eſſe vult, nihílque adeò ab eius fine, & ſcopo magis eſſe alienum pronuntiat, quàm ſufficiens ad eam ſeruandam gratiæ adiumentum, neque legem illam non modò non eſſe gratiam, verùm etiam nec eam comitem habere poſſe exiſtimat; ita vt abſque vlla gratiæ Chriſti ope legem omnibus pædagogi partibus doceat ritè perfunctam.

Non poſſum hîc præterea diſſimulare quàm turpiter diuerſus à ſe vel pugnet ipſe ſecum, vel cum iis quorum operâ primùm, tum interpretatione cœpit manare in vulgus, & in hominum ore verſari. Quid enim magis alienum dici poſſit, quàm quod habet cap. 13. *Præuaricationum cumulum quo ſuperbia contereretur, non fuiſſe ex intentione, vel ordinatione legiſlatoris Dei, ſed ex præuiſione duntaxat.* ô profligatam hominis vel malitiam, vel ignorationem, qui legis finem, ſanctionémque ab legiſlatoris ordinatione, atque propoſito diuellat, & ea ſeparet, quæ non poſſunt eſſe non coniunctiſſima! Quod lex per ſe promittens præmium temporale, prauam rerum terrenarum cupiditatem, ac ſitim acuebat, quod augebat præuaricationem, quod ſeruum illud genus, intentato mali timore vi ſuæ inſtitutionis in ſcelus magis inducebat, factum eſt præter voluntatem legiſlatoris, cui non id erat propoſitum? ô malè prouidum legiſlatorem; ô ſanctionem legis parùm conſideratã, ô ſtupidum potiùs, & à mente iudicióque planè deſtitutum Ianſenium, qui poſtquam tot maledicta animo tam inimico iecit in legem, hoc eodem cap. 13. addit, *Non paruam fuiſſe vtilitatem legis, multum enim profuit per omnem modum, ſed non vt gratia,* (debuit addere nec vt gratiæ adiumentum) *non enim inutile, aut noxium dici debet aſſequendæ ſanitati, quod ægrotus medicinali quodam dolore cruciatur. medici quippe ſcopus eſt, etiam per ipſas vexationes, apertíque vulneris moleſtias non ægrotum interimere, ſed aliquid in inferiori licèt gradu conferre recuperandæ ſanitati..... non ergo vt hominibus deſperatio iniiceretur, peccata præuaricatione cumulata ſunt, & peccator arctiſſimè ſub iniquitate concluſus; ſed è contrario, vt ſpes adipiſcendæ ſanitatis conciperetur.*

Hæ videlicet erant partes legis, hoc officium, quod abſque vllo gratiæ Chriſtianæ auxilio præſtabat: hoc efficiebat legiſlator; *cuius ſcopo nihil,* inquit, *repugnat magis, quàm ſi lex ſimul atque data eſt, ſufficienti gratiæ auxilio muniatur.* Quod itaque nec Chriſti gratia eſt, nec eius auxilium, nec ad illius beneficiorum rationem quoquo modo pertinet, *multùm prodeſt per omnem modum, non inutile eſt aſſequendæ ſanitati, medicinalis dolor eſt,* medici vulnus aperientis, nec tamen gratiæ rationem habet vllam, aut Chriſti quidem medici aliquod remedium eſt, quod gratiæ nihil præ ſe ferat, ita *ſpes adipiſcendæ ſalutis* abſque vllo gratiæ dono *concipitur*? Quod quid aliud eſt, quàm ſentire cum Pelagio, & crucis vim extenuare dicendo, & quod dictum eſt ab Apoſtolo, crucem ipſam euacuare?

Sed intelligo quod titubãter etiamnum, & ſubobſcurè Doctor noſter inſinuare viſus eſt, legem videlicet aliquid in inferiori licèt gradu conferre recuperandæ ſanitati, ſeu quia quidquid recuperandæ ſanitati conferre ſolet, aliquod gratiæ genus eſt, lex quidem iam aliqua gratia dici poteſt, at ea notæ inferioris, *tanquam adiutorium roboris naturalis*, vt lib. 2. de gr. Chr. cap. 1. habet, *non remedium ægritudinis, auxilium ſine quo non, & ſanæ voluntatis, non ægræ, & adiutorium quo* Chriſti vnicum, gratia denique non Chriſtiana, ſed Pelagiana, quemadmodum legem appellat lib. 1. de gra. Chr. cap. 16. Vbi & hæc de gratia intellectus, ſeu de lege, & doctrina addit, *Iuuat iſta gratia, vt ægrotus medicum, hoc eſt, veram volendi, operandíque gratiam quærat, qua fiat, vt velit, & faciat, quod volendum faciendúmque perceperit, denique tota illa gratia legis atque doctrinæ, non eſt ipſa quæ iuſtitiam præceptam facit, ſed vires hominis peccato vitiati naturales.* quod deinde ita perſequitur, vt eandem legis cuiuſlibet, gratiæque intellectus etiam vt Chriſti exemplum complectitur, ac naturæ ipſius vim & virtutem eſſe velit, nec quæcumque tãdem lex atque doctrina, aut cuiuſlibet generis ſit, Chriſti ſaluatoris magis beneficium ſit, quàm natura ipſa, & *vires hominis peccato vitiati naturales.* Natura igitur, léxque naturæ inſita vnicuique, & viſceribus inſcripta, vt ibidem non obſcurè profitetur, peræquè iuuat, ac quæuis Chriſti doctrina,

Digitized by Google

vt ægrotus medicum, hoc eſt veram volendi, operandíque gratiam quærat. At id ſi obtinuerint Semipelagiani, nihil (opinor) erit quod præterea requirant.

Et verò miror quomodo Ianſenius tam craſſus, pinguíſq; factus ſit, qui non animaduertat, non poſſe quæri medicum, eiúſq; gratiam, & opem flagitari ab eò qui nec amet medicũ, nec eius opem deſideret, aut velit; quę voluntas cùm iam bona ſit, non poteſt non eſſe Chriſti beneficiũ, & ab eius gratia, beneuolentiáque profectum; *à quo ipſa boni imperfecti cupiditas eſt. Si enim ſine Dei gratia, per vos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed ſecundùm meritum noſtrum dabitur*, inquit Auguſt. lib. 2. ad Bonif. cap. 8. qui non aliam ibi quàm voluntatis gratiam intelligit, & rudem atque inchoatam charitatem. *Quid eſt enim boni cupiditas, niſi charitas?* ſed ita turbida eſt noſtri Doctoris acies, vt facilè cæcetur erroribus, nec proinde gratiam volendi ab operandi gratia ſatis diſtinguat. Mirum tamen eſt, quomodo vir in Auguſtino ita verſatus, ex S. Patris ſententia non intelligat, eum qui iam vult bonum, & nondum facit, aut facere poteſt, gratiæ, non primæ quidem, qua iam fuit occupatus, ſed cuiuſdam vberioris opem implorare, vt qui gratia præueniente adiutus iam bonum vult, vbi gratiæ ſubſequentis cumulus acceſſerit, velit ita ardenter, vt operatio ipſa conſequatur.

At vt dicam ad extremum, quid demùm nobis de Ianſenio poſt tam manifeſtam ſententiæ illius declarationem ſit ſtatuendum, non intelligo quomodo ſe purgare poſſit ab Pelagij cognatione. Res enim eò deducta eſt, vt iam Pelagianum ſe negare minimè queat, cùm ſine verâ, & propriè dictâ Chriſti gratiâ, eáque voluntatis (ſi qua fortè alia ſit eiuſmodi) velit gratiam deſiderari poſſe, quod prorſus eſt Pelagianum. Nec, ſi quis dubitet, Auguſtino repugnabit lib. de correp. & gratia cap. 1. ita pronuntianti : *Qui legitimè lege vtitur, diſcit in ea malum, & bonum, & non confidens in virtute ſua, confugit ad gratiam, quâ præſtante declinet à malo & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, niſi cùm à Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius volet? At per hoc & de-*

ſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt. Is porrò gratiam Chriſti negat, qui quemquam ſine gratia Chriſti, lege vti legitimè, atque auxilium gratiæ deſiderare poſſe profitetur.

CAPVT XVI.

De præceptorum Dei poſſibilitate.

ARTICVLVS I.

Quid Ianſenius cum Caluino ſuper ea re ſentiat?

DE propoſitâ quæſtione tam multa garrit Iprenſis, tam copioſè, lib. 3. de gratia à cap. 13. vſque ad 20. vt ſatis appareat in eâ quidpiam agi, quod illius maximè interſit. Nam quò ſpectaret tantus rationum vndique quæſitarum apparatus? quorſum is verborum ſtrepitus, támque ventoſa oratio, & magniloquentia, niſi quod nouę doctrinæ rationes ita poſtularet? At quia ſæpe ita ſe gerit in ſubiectâ re, vt hominem ſola ſua pollentem vi, & libertate præcepta diuina ſeruare non poſſe, diſputando peruincere velle videatur, illum amicè monebo, ne multum ſe vexet, ac torqueat, vt quærat hoſtem, quem debellet. Neque enim quemquam noſtrûm in ea parte habebit ſibi repugnantem. Damus vltrò, quod ipſe nihil non agit, vt vincat, hominem diuinæ gratiæ præſidio nudum, ſpoliatúmque non eum eſſe, qui mandata Dei ſeruare poſſit, fatemur, ipſe viciſſim non nobis moleſtus ſit; nec quod concedimus, negare nos præterea contendat. Malitioſæ enim calumniæ eſſet fingere diſſenſionem, vbi nobis eſt cum eo tanta conſenſio; quibus ad rei veritatem explorandam ita conſtitutis, nunc quid ipſe ſentiat videamus.

Exiſtimat imprimis hominem iuſtum, & viua fide, & charitate animatum, omni gratiæ etiam ſufficientis auxilio, vel cùm agendum eſt, vel orandum, eſſe ſæpenumerò deſtitutum, vnde colligit id temporis præcepta ſeruare nullomodo poſſe. Sic enim habet lib. 3. de gratia Chriſti cap. 13. *Primum*

mum eſſe quædam homini præcepta, ſecundùm ſtatum, & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia. Secundum, non adeſſe ſemper gratiam, qua poſſimus, hoc eſt, quâ eadem illa præcepta implere ſufficiamus.... Tertium, hanc impotentiam reperiri non ſolùm in excæcatis, & obduratis, & infidelibus..... ſed etiam in fidelibus, & iuſtis, qui & fidem Chriſti, & charitatem iuſtitiæ ſuſceperunt,.... Quartum, hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt. Neque quis putet hîc ab eo agi de conſiliis non de præceptis. Nam ait *quarundam cupiditatum tentationes aliquorum hominum vires ſuperare, ita vt eas ſuperare non poſſint.... & eos qui credunt Deo, & etiam iuſtificati ſunt, etiam volentes, conantéſq; multa Chriſtianæ diſciplinæ præcepta implere non poſſe, & idcirco cælum precibus tundere, vt poſſint..... Quintum, plurimis non dari iſtam faciendi præcepti poſſibilitatem, quæ precibus implorari ſolet.... primò quia multi fideles non conuertuntur ad implorandam gratiam.... ſecundò quia non omnes etiam qui petunt à Deo vires illas magnas, præcepta faciendi, cupiditatem ſuperandi, impetrant id quod petunt... non enim exigua quorundam hallucinatio eſt, quâ putant ſemper adeſſe homini gratiam, vt petat, ac tam ardenter petat, vt infallibiliter impetret id quod petit.*

In quibus obſeruandum eſt, non eſſe hîc mentionem de quauis petitione, & oratione, ſed de ea, qua bonum ad ſalutem omninò neceſſarium, nimirum gratia ad peccatum vitandum, & ad ſeruanda Chriſtianæ diſciplinæ præcepta flagitatur... *Non omnibus gratiam vel feruenter petendi, vel omnino petendi Deus largitur..... ex quibus conficitur, non aliter verum eſſe, quod Deus non iubeat impoſſibilia, niſi quia quæcumq; iubet, hominis voluntate per omnipotentẽ gratiam Dei adiuta fieri poſſunt.* Quod ſi ita ſit, quidni poterit Deus æquè præcipere; vt nullos habeam concupiſcentiæ motus non deliberatos, atque vt iis liberè non conſentiam, cùm peræquè gratiam poſſit ſufficere, vt eos non habeam, quemadmodum dat vt iis non conſentiam? Cùm verò motus illi per ſeſe ſpectati quidpiam habeant prauitatis, ac vitij, quoad per Dei auxilium fieri licet, reprimendi ſunt; ex quo fiet, ſi Doctoris Iprenſis norma teneatur, tam peccare primos illos cupiditatis motus ſen-

Digitized by Google

tientem, quàm conſentientem, quandoquidem, cùm præcipitur à Deo, ne poſt concupiſcentias eatur, id interdum tam fieri non poſſit, quàm vt concupiſcētiæ motus non habeatur.

At quia ſentiebat, hominem peccare in eo, quod vitare non poſſit, auribus Catholicis graue futurum; idcircò rem vt molliat ac temperet, multus eſt cap. 15. in afferendis modis; *quibus præcepta dicuntur poſſibilia ſine gratia ſufficiente. Ac primò dicit hominem id poſſe remotiſſimè per ſolam liberi arbitrij flexibilem facultatem ad bonum, & ad malum. Hæc poteſtas in natura nuda liberi arbitrij conſtituta eſt, quamdiu nondum ad malè faciendum, per ſupplicium æternæ damnationis obduruit.* Secundò minùs remotè per fidem, quæ eſt ſemen orationis, quâ præditus, dilectione Dei, & actuali gratiæ ope carere poteſt. Tertiò magis propinquè per charitatem, quâ homo fit iuſtus. Intelligit autem fidem & charitatem habitualem, quâ præditus amens dicetur poſſe ſeruare mandata, licèt iis liberè vti non poſſit. *Quartò completiſſimè dicimur poſſe quando ſancti Spiritus inſpiratione ſic voluntas præparatur, vt non nudè poſſit ſed etiam velit. Tali gratia non ſolùm poſſe, ſed etiam ipſum agere adiuuatur; dat enim non ſolùm poſſe ſi velis, ſed & velle quod potes. Hoc poſſe nunquam habetur, niſi quando reipſa quoque agitur, & eſt proprius effectus non fidei aut charitatis, ſeu bonæ voluntatis, ſed illius gratiæ actualis, quam Chriſtus attulit hominibus infirmis per crucem ſuam.*

Sed bonus Iprenſis dum in fabricandâ doctrinæ ſuæ nouitate nimis eſt attentus, errore amens, fertur auius interdum, & vt plurimùm deſiderari patitur in ſe iudicium. Quid enim magis alienum, quàm quod ab eius ſententia conſequens eſt, fidem & charitatem habitualem nihilo plus gratiæ rationem habere, quàm habeat nuda libertas, quæ in vtramque partem, bonum, & malum flecti poſſit? Deinde eum qui peccat non aliter gratia Chriſti iuuari, nec aliter poſſe mandata Dei ſeruare, quàm poteſt homo furioſus, & ratione deſtitutus, qui fide, & charitate habituali præditus ſit? vnde ſubiicit ad ſuperiora, *quocumque poſſibilitatis modo ex illis tribus primis homo poſſit præcepta Dei facere, ſatis eſt, vt ſi non fecerit, ſit inexcuſabilis.* Si quis agitur amens, ſi compos rationis, ſed ſui oblitus, & eorum ad quæ obligatur, vel non om-

nimò animum aduertens, non facit præceptum; is apud Ianſenium excuſationis locum habere non poterit; quod confirmat, cùm reſpondet duplicem eſſe præcepti faciendi impotentiam. Vna eſt ex defectu alicuius quod non poteſt, quantumuis omnes voluntatis vires intendat, & fortiter velit, ſuppleri. Hanc ait excuſare, quia *non eſt culpa voluntatis quòd non fiat, ſed pura inopia poteſtatis. Altera impotentia eſt, quæ ex defectu ipſius voluntatis, ſeu volitionis oritur, quæ ſi adeſſet quanta adeſſe debet, præceptum facillimè impleretur.... hæc impotentia non faciendi nullomodo excuſat eum, qui non implet quod præcipitur. poſſet enim implere ſi vellet.* Quòd ſi quæras vtrum velle poſſit, meritóque reprehendendus ſit, ſi non facit quod facere non poteſt, quia non poteſt velle: non video quid ſit reſponſurus. Nam dicam pariter de furioſo, & amente, de non memori, & ad præceptum non attento, quod iſtum habeant voluntatis, quæ requiritur defectum; nec proinde erit illis, vnde excuſari ad Aduerſarij doctrinâ vllâ ratione poſſint.

Quæ omnia quàm à rectâ fide diſcrepent, & abhorreant dicere promptum eſt, vbi, quàm Caluini doctrinæ cognata ſint, eſt ita manifeſtum. Sic quippe nobilis ille partium ſuarum deſertor lib. 2. inſt. cap. 5. §. 6. de Catholicis Doctoribus: *Præcipuum robur locant in præceptis, quæ putant facultatibus noſtris ſic attemperata eſſe, vt quidquid ab illis exigi probatum ſit, his præſtari neceſſariò conſequatur..... Aut enim, inquiunt, illudit nobis Deus, cùm ſanctitatem imperat, cùm idololatriam interdicit, aut ea tantùm requirit, quæ ſunt in noſtra poteſtate.....qui pro ingenti piaculo ducunt, ſi dicatur legis obſeruationem eſſe impoſſibilem, validiſſimo ſcilicet argumento inſiſtunt, fruſtra aliàs datam eſſe legem. Perinde enim loquuntur, ac ſi nunquam Paulus de lege loquutus eſſet.... an ad noſtras vires limitandam fuiſſe, ne fruſtra daretur? quin potiùs longè ſupra nos poſitam, quo impotentiam noſtram conuinceret.* In Antid. ad c. 6. ſeſſ. 6. *Valdè nouitios eſſe oportet venerandos iſtos Patres ſi ex præceptis æſtimant, quid valeat homo, cum ideò potiùs requirat à nobis Deus quod ſupra vires noſtras eſt, vt imbecillitatis noſtræ conuicti ſuperbiam omnem exuamus.* In reſp. ad lib. 2. Pigh. pag. 146. *Sic primò habendum eſt etiam ſi legis iuſtitiam*

nec implere, nec inchoare poſſimus, eam tamen iure à nobis requiri, neque nos excuſari infirmitate, aut viriū defectu, cuius vt vitium à nobis eſt, ita culpa nobis imputanda eſt. & in lib. de æter. præd. pag. 720. *Nec eſt quod quempiam moueat vulgaris illa calumnia, illudere Deum hominibus quos pedibus captos ad ambulandum hortatur. Nam ſi nihil exigit, quod illi non debeant, non facit iniuriam, niſi verò qui ſoluendo non eſt decoctor, cum ludibrio creditoris ſolutum ſe iactabit. porrò litem hanc, quæ niſi propriâ cuiuſque conſcientiâ dirimi nequit vlterius non perſequor.* quo eodem exemplo nobilis Ianſenianus Abbas anonymus vtitur. Idem ſentiebant Doctores Embdani in actis ſynodi Dordracenæ p. 759. q. 23. *Homo poſt lapſum nequaquam illud præſtare poteſt, quod mandat Deus, non magis quàm Æthiops pellem ſuā aut pardus maculas immutare poteſt.* q. 24. *Reſpondemus Deum iure à nobis omnia, quæ mandat poſtulare. dederat enim poſſibilitatem, quam cùm ſua culpa amiſerit homo, Deus propterea non amittit ius ſuum.* Idem videbatur Britannis Theologis, adeò conſentiunt inter ſe hæretici, cùm ſemel ab Eccleſia diſſentiunt.

ARTICVLVS II.

Nunquam præceptum Dei obligat, niſi fiat poſſibile per gratiam.

QVÆ mihi fuit cum Aduerſario de legis diuinæ vtilitate tam acris diſceptatio, poſſet in hunc locum reuocari, vt quid inter vtrumque noſtrûm controuerſiæ ſit in præſentiâ, illud minori negotio dirimi queat. Verùm licèt de illius circa rem propoſitam ſententiâ liquidò conſtet, ex quo præſertim fuit à me declarata; videtur tamen in ea quidpiam non ſatis explicatum. Cùm enim ſufficientis gratiæ opem neget funditus à Deo offerri cuilibet, etiam tum cùm orare debet, aut præceptum ſeruare; video tamen de illius mente etiam diſceptari; cùm non deſint qui contendant, eum nunquam diſertè docuiſſe, hominem qui præceptum Dei non ſeruat, nouum aut culpæ aut pœnæ reatum, diuerſúmque ab eo quem contraxit in Adamo, de integro contrahere; cùm enim totam libertatem amiſerit, nihil habeat prætereà quod amittat. Certè ſi res perpendatur, meo quidem iudicio

ſic illius mens accipi debet: quod ex capite 14. libri 3. de gratia Chriſti planè euidens eſt, vbi habet, *non eſſe iniquitatem apud Deum quod adiutorio ſufficienti deſtitutis gratiam negat, culpa*m*q*; *peccantium ita meruiſſe, vt æquiſſima iſta ſeueritate puniatur.* Neque enim mereri, ſed meruiſſe conſultò ait; & capite 16. *quia Adamus ita peccauit, vt omninò liberè poſſet non peccare, hinc eſt quod tale arbitrium ſubinde antonomaſticè liberum, & actio eius libera vocari ſolet. Hinc etiam proficiſcebatur, vt actiones eius ſiue bonæ, ſiue malæ propriiſſimè merita dicerentur, & quod eis reddebatur merces meriti, vt pote quæ purè ex libera voluntate ſponte ſurgerent: neque inuoluerent quicquam gratuitæ donationis in ſeipſis, ſeu ſecundùm ſe, ſed in potentia tantùm: hoc eſt, quatenus & liberum arbitrium, & adiutorium potentiale, ſine quo non gratis datum fuerat. Nihil etiam inuoluebant pœnæ, vel præmij; contrarium nunc omnino vſu venit. Nam & velle, & agere nunc per alterius ordinis gratiam donatur voluntati, omniáque peccata nunc ſunt ſupplicia præcedentium, quia non ex illa plena libertate, ſed ex animi quadam pœnali cæcitate & infirmitate naſcuntur, cum quibus in hunc mundum proiecti ſumus.* Id eſt, nec voluntas purè libera eſt, nec actiones bonæ, vel malæ merita, nec quæ eis redditur merces propriè dici poteſt. Quæ Ianſenianæ factionis arcana myſteria quàm potentes ſint ad vitam ſolutiorem illecebræ, quantúmque, profligato omni pietatis ſenſu, ad certiſſimam deſperationem momenti afferant, quis ſobrius non intelligat? At nemo non videt, vnde hæc prompta ſint, qui norit quantùm Caluinum inter & Cornelium conſuetudinis fuerit. Verùm vel ignorauit Aduerſarius duplex eſſe gratiæ genus, quo poſſit impleri præceptum, vel malitioſè diſſimulauit. Altera quippe eſt orationis, altera actionis; ſed ita tamen, vt quæ ſit orationis, ipſius quoque voluntatis eſſe dicatur, cùm nemo animum applicet ad orandum, niſi libens, nec libeat niſi ex Chriſti gratia.

Fateor equidem contingere poſſe vt homini deſit gratia potens ad agendum aliquid, ſed fieri nunquam ſi oratio præcipitur, vt ad orandum deeſſe poſſit, quâ ſi opportunè vtatur, dignum ſe exhibebit, qui alteram accipiat: Atque vt in re perſpicuâ nulla ſit aut verborum ambiguitas, aut contro-

Digitized by Google

uerſia : vocum etiam diſtinctio videtur inſtituenda inter gratiam habitam , datámque & oblatam. Neque enim quod offertur, haberi propriè dicitur, niſi ab habente accipiatur, quod cùm fit , gratia ad id efficax eſt, gratia quippe cui non obſiſtitur, efficax eſt. Quo diſcrimine ad rem noſtram magis explicandam ita conſtituto , mea ſic eſt ratio, dicere Deum quoties quidpiam cuipiam præcipit , & rei præceptæ effectionem exigit , illi offerre ſaltem ſufficiens gratiæ auxilium ad orandum, & opem implorandam, quâ præceptum implere poſſit, immo impleat, ſi velit. Adeóque cùm dicitur aliquod Dei præceptum eſſe poſſibile, &c. id ita non intelligendum , vt poſſibile fuerit aliquando , Adamo nimirum rebus adhuc ſaluis florenti ; ſed ita vt etiam fieri poſſit, cùm obſeruari debet, ita vt ſi non poſſit, qui illud non ſeruat, noui peccati reus minimè fiat ; ſed maneat tantum in antiquo reatu , quem tunc contraxit cùm præceptum ſeruare potuit.

Hanc autem fuiſſe ſententiam Patrum Tridenti congregatorum, ex actis illius Concilij, præſertímque ex can. 17. ſeſſ. 6. manifeſtum eſt ; vbi SS. Patres damnant eum, qui dixerit, *Dei præcepta , homini etiam iuſtificato , & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſſibilia*. Et cap. 11. temeraria , & anathemate percuſſa vox illa , *Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia* , vnde ſumit locum ſancta Synodus aſſerendi , *neminem quantumuis iuſtificatum liberum eſſe ab obſeruatione mandatorum. Nam in vniuerſum Deus impoſſibilia non iubet , ſed iubendo monet , & facere quod poſſis , & petere quod non poſſis & adiuuat vt poſſis.* Quibus declarant Patres Tridentini etiam poſitâ peccati originalis clade, aliiſque omnibus , quæ ab ea conſequuta ſunt damnis, hominem iuſtificatum non eſſe liberum ab obſeruatione mandatorum , ſed ad eam obligari , quòd illa ſeruare poteſt , futurus ab ea obligatione liber , ſolutúſque ; ſi ea ſeruare non poſſet. Quod non modò iuſtificato , ſed etiam cuiuis alteri , quod fieri nequit Deus præcipere non poteſt.

Hîc porrò obſeruandum Concilium agere contra Lutherum , & Caluinum qui ſecùs ſentiebant, adeóque cenſuram ad ipſum Ianſenium , qui vt patet ex dictis, in eadem

Digitized by Google

cauſa verſatur ac Caluinus, pertinere. Deinde Concilium affirmat Deum monere vt quod non potes petas, & adiuuare vt poſſis, quod tertiæ Aduerſarij ſententiæ repugnat. Cur enim Deus moneat vt ores, niſi offerat vt orare poſſis? num illud ipſum eſt adiuuare vt poſſis id quod monet? quod ſi Deus opem ſuam, (quod dicit ita aſſeueranter Ianſenius) negat aliquibus, quomodo demùm accipiendum illud dictum ad vniuerſos, *petite, & accipietis?* Quid fiet de illo ſanctæ Synodi pronuntiato, *iuſtos omnes in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare*, quod cap. 13. habetur? Nam quâ ſpe, quâ fiduciâ orabant fideles, ſi diuinas aures votis ſuis, ac precibus non ſemper patere intelligant? Quis ad orationem fidenter accedat, ſi ſe præcipiat aliquando iri repulſum? Neſcis, mi Corneli, neſcis quantas vires fiducia habeat, quam ſi ſemel ſuſtuleris: quid de oratione, quæ certiſſimum eſt fidelium refugium, erit futurum? quanta foret in templis ſolitudo? quàm deſertæ aræ, atque infrequentes? Quanta denique deſperatio animorum? quod ſi ſuus ſpei locus relictus ſit; ſi mollis ad Deum ſemper pateret aditus, cúmque pro paterno affectu precibus noſtris audiendis eſſe intentum, perſuaſum fuerit, quos non tollet in cælum clamores certâ animatus fiduciâ populus fidelis? Quantus, quámque frequens ad delubra, & aras turbæ orantis erit concurſus? quæ fieri quàm ſæpiſſimè à Chriſtianis cùm maximè par ſit; liquet quantum vulnus infligat pietati Ianſenius, qui ſpem, fiduciámque omnem in hominum mentibus illâ, quam inducit in Deum, aſperitate, profligari velit.

ARTICVLVS III.

Quæ ſit circa rem ſubiectam Auguſtini mens? Quæ doctrina?

HOC primum ex cap. 2. lib. de correptione & gratia certum haberi debet; eandem prorſus, ex S. Patris ſententiâ præcepti, ſiue legis, doctrinæ, monitionis, adhortationis, increpationis, & ſimilium eſſe rationem, eundem omnium fructum, candémque vtilitatem: Ex quo

Digitized by Google

quærendum videtur, an ex eo quod Deus quidpiam præcipit vt faciam, monet, adhortatur, ſi non fecero, in me animaduertit, certò colligere poſſim diuinam gratiæ ſufficientis opem adeſſe, quâ ſi velim, vti, ídque, quod eſt præceptum, facere poſſim. Omiſſis ſacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum locupletiſſimis, quæ in hanc partem multa ſunt, teſtimoniis, rem vnius Auguſtini auctoritate, quæ vna hoc loco requiritur, definio, cuius ſententiam propoſitione quadripartita complector.

Prima eſt, quod aduerſus Catholicos, & gratiam Chriſtianam iactabatur à Pelagianis, præcepta Dei eſſe poſſibilia homini cui imponuntur, neminémque in eo quod cauere non poteſt eſſe culpâ dignum numquam ab Auguſtino vel negatum, vel in controuerſiam adductum, ſed conſtanter conceſſum, creditúmque.

Secunda, præceptum Dei nullum ſeruari poſſe abſque auxilio gratiæ, & in hoc vno reprehenſos ab Auguſtino Pelagianos, quod ad cauendum peccatum, bonúmque faciendum legem, & doctrinam libero hominis arbitrio ſufficere arbitrarentur, cùm S. Doctor ſecùs ſentiret, docerétque legem, doctrinam, monitionem, aliáque eiuſmodi ſine gratiæ acceſſione, & diuinæ alicuius dilectionis motu, nihil conferre aliud, quàm vt iram operetur, quippe quæ det homini prævaricationis occaſionem.

Tertia eſt, Deum, cùm præcipit aliquid, monet; increpat, hortatur, eâdem operâ gratiæ ſuæ opem, & auxilium offerre, quo, qui monitus eſt, & reprehenſus, ſuæ factus conſcius infirmitatis oret Deum, & eius opem, non ad orandum, & volendum, ſed ad faciendum, quod eſt imperatum imploret.

Quarta, quoties monet me Deus vt orem, eum toties opem quam flagito, polliceri ſolitum, & ab ipsâ eiuſmodi admonitione, certus fio, mihi præſens adeſſe auxilium, quo ſi velim, orem, ſeu quo orare poſſim, & quod, ſi oro, vt conſentaneum eſt, conſequar. Quas propoſitiones ſeorſim ſumptas, ex ipſo Auguſtino probare non erit multum difficile, & operoſum.

At prima quidem diſertè traditur lib. de fide contra Mani-

Manich. cap. 9. & 10. *Peccare quid aliud eſt niſi in veritatis præceptis, vel in ipſa non ſtare veritate? malefacti ſui ergo per cupiditatem quiſque auctor eſt? Eſt ergo in poteſtate, vt ſit cupiditas, & ideo etiam malum in poteſtate eſt. In poteſtate eſt ergo, quod in voluntate eſſe non debet .... Aduerſus hoc ſolita cæcitate Manichæi latrant, & cùm conuincuntur naturam non eſſe malam, ſed in poteſtate eſſe hominis facere bene, aut malè, dicunt non eſſe animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem ſuam. Quis enim non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas iuſſa complere? & has iniuſtitias, & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe adſcribere.*

Sinam te tantiſper reſpirare Corneli, nam premit te acriter Auguſtinus, is videlicet cuius auctoritas, pro eo ac debet, apud te tanti ponderis eſt; collige, ſi potes, animum, & aciem, quâ polles, ſi polles tamen; in Auguſtinum, cui tantopere aſſueuiſti, intende; tum profectò cæcitatem tuam ſenties nî planè plumbeus ſis. Non enim Adamus, *ſed quiſque malefacti ſui auctor eſt per cupiditatem.* Quapropter licèt vnuſquiſque ab inuſtâ peccati originalis notâ, animi longè fractioris infirmioríſque ſit, & ignorantiæ, atque cupiditatis ægritudine teneatur, tamen in eius poteſtate eſt (quemadmodum teſtatur Auguſtinus) *vt ſit cupiditas*, adeóque in eo poſitum eſt quod peccat. Cùm autem in poteſtate ſua habet facere bene, vel malè, animæ libera voluntas eſt, adeo vt quamcumque in partem dederit ſe ſe, quoquo incubuerit, vel in bono, vel in malo libera eſſe poſſit; & cuicumque dantur præcepta, ei liberum eſt, & eius in poteſtate ſitum, facere quod præcipitur, *Quis enim non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur?*

Quod ita dictum eſt ab Auguſtino, vt numquam retractatum ſit, immò verò ab eodem contra Pelagianos agente libro 2. de peccat. meritis capite 3. fuerit confirmatum. *Acutè* (inquit) *ſibi videntur dicere, quaſi noſtrûm hoc vllus ignoret, quòd ſi nolumus, non peccamus, nec præciperet Deus homini quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati. ſed hoc non vident, quod ad nonnulla ſuperanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus eſt vo-*

Digitized by Google

luntatis, quas non perfectè in omnibus adhibituros præuidit Deus. Quid planiùs dici potuit, quo gratia ſufficiens probari queat? nam quid eſt aliud quàm vires eſſe in voluntate eas, quas non perfectè in omnibus adhibituros homines præuidit Deus, quáſque ſi non haberent, totas non adhibere perfectè perperam dicerentur?

Sed ad rem noſtram quàm accommodatum eſt illud, quod habetur libro de perfect. Iuſtitiæ cap. 2. & 3. Pelagianis ita ferme diſputantibus. *Nulla ratio, vel iuſtitia patitur, ſaltem dici peccatum quod vitari nullo modo poteſt, quia ſi neceſſitas eſt, peccatum non eſt, ſi voluntas eſt, vitari poteſt. Iterum quærendum eſt, vtrum præceptum ſit homini ſine peccato eſſe: Aut enim non poteſt, & præceptum non eſt, aut quia præceptum eſt, poteſt, nam cur præciperetur quod fieri omnino non poteſt?* Reſpondet Auguſtinus vitari poſſe peccatum, *ſi natura vitiata ſanetur gratia Dei per I. C.* Si quis claudus ſanari poteſt, debet eſſe ſine tibiæ prauitate; *ſi debet, poteſt, etſi fortè cùm vult, continuò non poſſit, ſed cùm adhibita curatione ſanatus fuerit, & medicina adiuuerit voluntatem. Ei autem conſultiſſimè præcipitur vt rectis paſſibus ambulet, vt cùm ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad ſanandam peccati claudicationem gratia Dei eſt per I. C.* Hæc ſummatim excerpta ab Auguſtino attuli in medium, vt de S. Patris mente nemo ſit qui dubitet, cùm ipſe fateatur, inconſultè claudo præcipi, vt rectis veſtigiis inſiſtat, niſi ſanari poſſit, neque eum debere, niſi quod poteſt, etiam ſi non niſi factâ curatione ſanatus id poſſit.

Quo Auguſtini tam luculento, támque celebri teſtimonio, ſententiæ à nobis propoſitæ, tres primæ partes continentur, quemadmodum & iſto quod habetur lib. de gratia & lib. arbit. cap. 2. vbi probat eſſe in homine *liberum voluntatis arbitrium*, quod diuina præcepta homini non prodeſſent, niſi iſtud haberet, quo *ea faciens ad promiſſa præmia perueniret; ideo enim data ſunt vt homo excuſationem de ignorantia non haberet*, quibus docet contra Ianſenium excuſare ignorantiam, eámque iuris eſſe naturalis. De hac quippe Auguſtinus ſermonem facit propoſito Apoſt. teſtimonio ex capite 1. ad Rom. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis.*

quæque tollitur, cùm ſcientia non peccandi manifeſtatur. docet præterea præcepta diuina ſupponere in homine liberum voluntatis arbitrium; *quod neceſſitatem non habet, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, quoſi voluerit, mandata ſeruat, relictus in manu conſilij ſui; qui appoſitum habens ignem & aquam, vitam, & mortem, ad quodcumque voluerit, manum extendere poteſt* quæ vel ipſo non abnuente Ianſenio arbitrij cum indifferentiâ liberi, & quod collibitum fuerit, in poteſtate habentis certiſſimum eſt argumentum. Tum eodem lib. capite 16. *Magnum* (inquit) *aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt; non iuberet Deus, quod ſciret ab homine non poſſe fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideo iubet aliqua, quæ non poſſumus, vt nouerimus, quid ab illo petere debeamus; Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* quod probat hoc dicto Eccleſ. 22. *ſi volueris conſeruabis mandata.*

Ex quo Auguſtini loco quatuor illarum ſententiarum veritas arguitur. Nam fatetur Auguſtinus quod diſputant Pelagiani, ſi modò gratia Dei acceſſerit. Si quando enim Deus præcipit mihi, quod nondum in mea poteſtate ſitum eſt, eo ipſo præcepto monet me, vt ab eo petam auxilium quo poſſim, & orem, certus, me, quod petiero impetraturum. Addit pro ſecunda ſententia. *Ex iſta oratione mea, qua hæc à Deo peto, intelligite, quomodo dixerim ſi volueris conſeruabis mandata. Certum eſt enim nos ſeruare mandata, ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, vt tantùm velimus, quantùm ſufficit, vt volendo faciamus.* Addit nec nos velle, aut orare, niſi aliqua gratiæ diuinæ ope iuuemur. *Certum enim eſt nos velle, cùm volumus, ſed ille facit, vt velimus bonum.* & capite 17. *Qui vult facere Dei mandatum, & non poteſt, iam quidem habet bonam voluntatem, ſed adhuc paruam & inualidam: poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam.... Et quis iſtam etſi paruam dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? quoniam ipſe vt velimus, operatur, incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus ſine nobis operatur, cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Digitized by Google

& capite 18. *Præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, vt quæreret Dei donum, quod quidem ſine ſuo fructu admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, vt addi ſibi quæreret, vnde quod iubebatur impleret.*

Iam, credo, percipit Aduerſarius, nî ſtipes ſit, manifeſtiſſima illa Auguſtini declaratione, cuicumque præceptum imponitur, eum ſaltem moneri, vt oret, & quia nec orare poteſt ſine aliquo gratiæ, & dilectionis diuinæ initio, hoc ipſo, quòd datur ei præceptum, dari illi vt oret, aut poſſit orare. Id ipſum habetur celebri illa ſententia lib. de natura & gratia capite 43. *Non igitur Deus impoſſibilia iubet, ſed iubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Conſulatur cap. 67. & 68. vbi confirmat quod ſibi à Pelagio obiiciebatur, ſumptum ex libro 3. de lib. arbit. cap. 18. & 19. *quis peccat in eo quod caueri nullo modo poteſt? peccatur autem, caueri igitur poteſt:* quod vt ſtabiliatur hoc addit; *nam in hoc adiutorium poſtulamus, quod adiutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus, nam & hoc ipſum ad cauendum peccatum pertinet, ſi veraciter dicimus.* Dicimus autem veraciter, & credimus nos poſſe opitulante gratia non peccare. Vnde ita concludit cap. 69. *Valdè bona ſunt præcepta, ſi legitimè his vtamur. eo quippe ipſo, quo firmiſſimè creditur Deum iuſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus quid petamus.... dictum eſt, præcepta eius grauia non ſunt, vt cui grauia ſunt, conſideret non potuiſſe diuinitus dici, grauia non ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui grauia non ſunt, & petat quo deſtituitur, vt impleat quod iubetur:* tum illud Deuteronomij cap. 30. addit, *Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, ſi piè, ſi ſpiritaliter intelligatur, hoc idem ſignificare.* Illud eſt enimuerò quod contendebam, præceptum quod imponitur, *propè eſſe in ore, in corde, in manibus,* quia qui præceptum accipit, ſi adhuc graue ſentit, monetur, vt conſideret poſſe leuari per gratiam, & petat eam qua deſtituitur, illúdque opis offerri à Deo, ac fieri præſens, *ac propè in ore & in corde.*

Pleraque ſunt in hanc ſententiam alia lib. 1. de nuptiis, & concup. cap. 29. & aliis paſſim in locis, quæ conſultò à me prætermittuntur; vt enim deficiant cætera, illud lib. 3. de

Digitized by Google

lib. arb. cap. 19. ad rem conficiendam poſſe ſufficere videtur. Quo in loco Auguſtinus monet nonnullos de ignorantia, & cupiditate, errore, ac libidine, immeritò conqueri. *Rectè enim*, inquit, *fortaſſe quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm verò vbique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem, non tibi imputatur quod inuitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim homini ablatum eſt ſcire vtiliter quærere quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, vt quærenti, & confitenti ille ſubueniat, qui nec errat dum ſubuenit, nec laborat.*

Quapropter ſi quis non poteſt ſeruare mandatum, eſto peccati originalis reus ſit: at certè peccatum eius proprium non erit, neque vitio ei dabitur, nî fortè quod doceri ſe neglexerit, curationíſque opportunitate non fuerit vſus. Præſens eſt enim vbique per legem, & doctrinam diuinæ opis præſidium, nec vlli mortalium ereptum eſt ſcire vtiliter quærere. Si verò vtiliter, profectò cum doctrina habet paratum gratiæ adiumentum, ſine quo fruſtrà, immò perniciosè ſciret, quia lex ſine gratiâ præuaricatorem facit. Nam vnicuique facultas eſt, vt infirmitatis ſuæ conſcientiâ victus, fractum ſe, & infirmum ita fateatur, vt Deum nactus erga ſe miſericordem, ærumnarum ſuarum acerbitate tum demùm leuetur. Tum cap. 22. *Quod ignorat* (erat ibi mentio de animâ) *quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt quod nondum accepit. ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc quod accepit bene vſa fuerit. Accepit autem vt piè, & diligenter quærat, ſi volet. Et quod agnoſcens, quid ſibi agendum ſit, non continuò valet implere, hoc quoque nondum accepit. Præceſſit enim quædam pars eius ſublimior ad ſentiendum, quod rectè faciat bonum; ſed quædam tardior, atq; carnalis non conſequenter in ſententiam ducitur, vt ex ipſa difficultate admoneatur eundem implorare adiutorem perfectionis ſuæ, quem inchoationis ſentit auctorem: vt ex hoc ei fiat charior, dum non ſuis viribus, ſed cuius bonitate habet vt ſit, eius miſericordia ſubleuatur, vt beata ſit.*

Digitized by Google

Ita Auguſtinus, non ille qui iuuenili exultans ardore contra Manichæos diſputabat; ſed is qui maturæ perfectæque ætatis contra Pelagianos agens, quæ minus bene, aut ſaltem minus cautè ſcripſerat, exigebat ad cenſuram; Quod cùm tanta ſedulitate, atque diligentia ab eo factum ſit, ſi quid in illis, quos de lib. arb. ſcripſit, libris caſtigatum, atque cenſoria illa nota damnatum non eſt; argumento eſſe debet, id ei non modò imprudenti non excidiſſe, ſed eſſe meditatiſſimũ. Vnde in promptu eſt, quàm liquidum ſit, hoc ipſo quod quis à Deo præceptum accipit, eum admoneri, vt quod in ſe eſt, faciat, petátque auxilium quo poſſit, cùm Deus vel lumen, vnde cognoſcat quid faciendum ſit, vel opem ipſam vnde faciat aut facere poſſit, nunquam neget; adeò vt ille ſaltem orandi facultatem ſemper habeat, qua vti poſſit, ſi velit, certus omninò ſe, ſi voluerit, & vt poteſt orauerit, accepturum opem, qua præcepta poſſit implere, & reipſa impleat, *Qui enim* (ait Auguſtinus ſermone 5. de verbis Domini cap. 4.) *hortatur, is & dicit tibi, pete, quære, pulſa. Qui petit, accipit, quærens inuenit, pulſanti aperitur. hortatur vt petas, negabit quod petis?* & ſerm. 29. cap. 1. *Chriſtus Dominus inter nos petitor, cum Patre dator, non vtique nos tantùm hortaretur, vt peteremus, niſi dare vellet. erubeſcat humana pigritia, plus vult ille dare, quàm nos accipere: dare vult, tu pulſans nondum accepiſti? pulſa, dare vult, & quod dare vult differt, vt amplius deſideres dilatum, ne vileſcat citò datum.* Serm. 4. de verb. Apoſt. cap. 10. *Chriſtus orationem docuit, gratiam promiſit*, & tract. 6. in epiſt. Ioan. *Charitas ipſa gemit, charitas ipſa orat, contra hanc aures occludere non nouit, qui illam dedit, ſecurus eſto, charitas roget, & ibi ſunt aures Dei. Si ad ſalutem intelligas, nulla quæſtio eſt.* Quis verò neget ad ſalutem pertinere, vt pro ſeruandis præceptis auxilium gratiæ petatur?

Priuſquàm finem facio, addo & illud ex c. 2. l. de cor. & gratia petitum, & in rem noſtram maximè accommodatum. *Ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, vt quando id agunt .... accepiſſe ſe gaudeant; quando autem non agunt, ſiue omninò non faciendo, ſiue non ex charitate faciendo, orent, vt quod nondum habent accipiant.* Et cap. 5. ait correptum dolere: *Vt fiat vtilis dolor, quo medicum quærat. Dolor enim, quo ſibi ille diſpli-*

Digitized by Google

cet, quando ſenſit aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum, vt Deo miſerante, incremento charitatis adiutus deſinat agere pudenda, & dolenda, & agat laudanda, atque gratanda.

Eo loci admonet ſubditos à præpoſitis mulctari non debere, niſi *à quibus Chriſtiana gratia prædicatur.* In quo mos Auguſtino non geſtus ab Ianſenio, qui docet lib. 3. de grat. Chr. cap. 13. *plurimis fidelibus deeſſe ſufficientem gratiam orationis, atque adeo faciendi præcepti poſſibilitatem.* Nec enim quiſquam corripiendus (vt monitum ab Auguſtino) quin ſimul ei prædicanda ſit Dei gratia, monendúſque vt oret, & illud Auguſt. cap. 3. identidem repetendum. *ô homo in præceptione cognoſce quid debeas habere: in correptione, tuo te vitio non habere, tuo,* inquam, non ſolo originali, nam quis de eo ſapienter corripiatur? *in oratione cognoſce vnde accipias, quod vis habere,* quod poſtremum Ianſenius ſua ſolita fide prætermiſit lib. illo 3. cap. 17.

Quæ cùm ita ſint quid fiet de Auguſtino Iprenſi, qui cum noſtro ita pugnet? Aut potiùs quid de te futurum eſt Corneli, quem tot telis fodiat, tot opprimat ſententiis Auguſtinus? certè miſeret me tui, cùm interdum à tuis audio iactari in vulgus, totam tuam ætatem in verſandis, contemplandíſque Auguſtini operibus fuiſſe abſumptam. ô fruſtrà conſumptos tuos labores! ô vigilias malè collocatas! ô perditam omnem tuam operam, qui poſt tot annos Auguſtini doctrinam, cui vni ſtudere tam ambitioſè præ te ferebas, tam miſerè intellexeris, adeò vt de te dici poſſit quod dictum de miſero illo apud Deos inferos pœnas dante: Saxum ſudans verſando non proficit hilum.

CAPVT XVII.

De diuerſo liberi arbitrij hominis ſtantis, & lapſi ſtatu.

ARTICVLVS I.

Præcipuum nouæ doctrinæ fundamentum hac quæſtione contineri.

QVOD diligentes architecti in moliendis operibus quammaximè curare ſolent, vt ea ponant fundamenta, quibus toti ædificio ſua firmitas conſtare poſſit, illud ab Aduerſario tentatum quidem video, ſed non video perfectum. Nam quod conſtituit in illo tam celebràto gratiam Chriſti inter & Adami diſcrimine doctrinæ ſuæ fundamentum, adeò ruinoſum eſt; vt eodem, quo cætera omnia de quibus dictum eſt, impulſu labefactari queat.

Porrò quatuor capitibus hæc omnis quæſtio videtur poſſe contineri. Primum eſt de libero arbitrio, quod in Adamo beato, ac florenti medium, & indifferens ad bonum & malum; in nobis verò hac ſpoliatum indifferentiâ vult eſſe Ianſenius, ita vt & cupiditatis vi feramur in malum inuiti, & ſingulari gratiæ efficientiâ, victricibúſque illecebris abrepti, in bonum compellamur. Alterum de gratiâ, quæ quidem Adamo auxilium erat, *ſine quo non* poterat bene agere, quæ verò Chriſti, eſt *auxilium quo* & velit homo, & operetur. Tertium de merito quod in Adamo aliquod fuit, ſed humanum: in nobis verò aut gratiæ ſolius, aut nullum. Quartum denique de prædeſtinatione electorum per Chriſtum, diuerſa prorſus ab eâ, quâ Angeli & Adamus, ſi primo in gradu ſtetiſſet, prædeſtinati ſunt: nam parem quoad hæc quatuor capita Angelorum, & Adami conditionem fuiſſe docet.

Atque vt ab ea parte exordiar, quæ prima eſt, ita quippe fert

fert præſentis inſtituti ratio, ſic de illa & gratiæ & libertatis vtriuſque differentia ſtatuit Aduerſarius, vt eam totius gratiæ Auguſtinianæ, adeóque Catholicæ de gratia Chriſti doctrinæ quaſi primarium caput eſſe velit. Illam verò vult fuiſſe primùm Aug. in lib. de corrept. & gratia c. 10. 11. & 12. omninò explicatam, antea non ſatis ab eo perſpectam exploratámque, cæteríſque Patribus qui ante Auguſtini tempora floruerint, penitus ignoratam, & deinde à quingentis annis per Doctores Eccleſiæ, præſertímque Theologos, variis à philoſophiâ peripateticâ petitis aut rationibus, aut erroribus, ita obſcuratam, vt vix vllum tam præclari muneris veſtigium relictum eſſe videatur. Audiamus hominem iuuenili quadam dicendi alacritate geſtientem. Nuſquam enim magis eſt ſimilis ſui. Ita videlicet lib. de gratia primi hominis capite 17. *Auguſtinus in illa altiſſima, doctiſſimáque diſputatione trium capitum* (quæ nimirum citaui) *veram & immobilem baſim collocat, cui vniuerſa doctrina de gratia Chriſti Saluatoris incumbit: quam qui non intelligit, ac diſputationibus quibuſcumque loco ſuo mouere nititur, in plurimarum hallucinationum confuſionem incidat neceſſe eſt: vt non ſit vllo modo mirandum, ſi ſubtracto illo fundamento, tot altercationibus doctrina de gratia lacerata ſit, & omnia quæ recentiores pro ſuo quiſque genio excogitata procuderunt, velut humanis incertíſque ſuſpicionibus nixa fluctuent, neque vllum exitum in Auguſtini doctrina reperiant. Hæc eſt enim vera clauis, qua aditus in ſcripta Auguſtini aperiendus eſt, & ſine qua qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot, tantíſque difficultatibus implicabitur, vt quaſi monſtris occurrentibus territus, Auguſtinum tanquam perplexitatibus, imò, vt quidam auſi ſunt dicere mille erroribus refertum auerſetur. Qui verò iacto iſto fundamento, diſtinctionem illam velut filum in labyrintho ſcriptorum eius ſecutus fuerit, mirabilis ei occurrit contextus rerum, reſpondent extrema primis, media vtriſque, omnia omnibus. In geometria ſi prima dederis, danda ſunt omnia: hîc ſi duo adiutoria ſtantis & lapſi, ſani & ægri, integri & fracti arbitrij amplexus fueris, omnia velut ex ipſa re nata ita ſe conſequuntur, vt ipſa tanta rerum omnium concatenatio, & conſonantia altiſſimè clamet, ibi latere vel potiùs eminentiſſimè patere veritatem: ſin verò diſtinctionem*

Digitized by Google

iſtam, velut baſim omnium ſuſtuleris, omnium ruina opprimeris. Quæ ſanè ratio eſt, cur eam Auguſtinus inſinuatam quidem ſæpius, nunquam tamen apertè traditam tandem in fine vitæ ſuæ luculentiſſimè declarauerit, tantóque conatu & aſſeuerantia præter morem ſuum aſſeruerit, vt eam verbis Apoſtolicis ordiretur: quapropter ſaluberrimè confitemur, quod rectiſſimè credimus &c. vt ſignificaret nobis veriſſimam, & maximi ponderis ſe doctrinam tradere, de qua nemini fas eſſet, vlla ratione dubitare. Ita Ianſenius loquitur de duplice illo adiutorio, altero ſine quo non, dato olim Adamo ſtanti, altero adiutorio quo, vnico Chriſti gratiæ adiutorio.

O pleniſſimam inſidiarum orationem! nam quorſum tanta támque inſolens fundamenti illius, quod poſitum eſſe ab Auguſtino mentitur, prædicatio, niſi vt ſimplicioribus fucum faciat? Bene eſt Corneli, iacta ſunt cauſæ tuæ fundamenta. Videamus quò res euadat, vbi enim tam feliciter cœptum eſt, quid non expectandum? At homo ſagax, & acutus nondum ſibi factum ſatis exiſtimat; ſed quod vitiato parieti, & in caſum inclinato fieri ſolet, vt adhibitis identidem fulcimentis ſuſtentetur, ille ſuo illi myſterio, quod doctrinæ fundamentum tam ambitiosè appellat, feciſſe viſus eſt, nihil non adhibet præſidij, vt magis ſtabiliatur. Mirum enim quàm ſæpe, quàm importunè illud repetat lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ capite 2. *Duos liberi arbitrij ſtatus, & differentias, pluſquàm toto cælo diſcrepantes,* vult eſſe *immobilem baſim, cui tota neceſſitas, & natura, & intelligentia Chriſtianæ gratiæ ita nititur, vt eo labefactato hanc funditùs euerti neceſſarium ſit.*

In eo autem duplicis illius ſtatus differentiam ponit eiuſmodi, vt cùm Adæ arbitrium eſſet, quale nunc deſcribimus cum gratiâ, id eſt, indifferens; hominis lapſi arbitrium non magis velit aut per gratiam ad bonum, aut per cupiditatem ad malum eſſe indifferens, quàm *voluntas beatorum ſolius creatoris charitate vincta, eſt indifferens ad Deum amandum.* quod confirmat ſatis cap. 4. cùm dicit, *Diabolum in hominibus, quibus per cupiditates dominatur, operari tanquam in mancipiis ſuis; quemadmodum homines in pecoribus ſuis, & tanta poteſtate in eorum animis dominari, vt eos ad quæcumque*

voluerit ſcelera, flagitiáque perducat, nec tamen putandum quicquam perire voluntatis arbitrio. Nihil enim eorum ſine conſenſu eorum voluntario perpetratur, neque vllo modo libertas arbitrij poſtulat indifferentiam ad bonum, & malum.

Sed tantam habuit iactationem in ſcholis, ex quo cœpit differri in vulgus illud nouæ doctrinæ fundamentum, vt nihil magis apud doctos iuxtà & indoctos peruagatum ſit; nihílque habeant Ianſeniani, in quo plus præſidij ad tuendas, defendendáſque magiſtri ſui partes, collocatum eſſe putent. Verùm quia pertinere videbatur ad fundandum illud dogma, vt Theologorũ auctoritas accederet, ſine quâ, id præſertim temporis, nihil eiuſmodi probari poteſt, cùm ſenſit nouus homo nihil de re ſua apud omnes ſcholaſticos eſſe mentionis, nullam non artem adhibuit, vt eos in ſuſpicionem apud populum vocaret. Hinc illa iacta in ſcholam omnẽ, quam ſibi repugnare videbat, maledicta; hinc malitioſæ cauillationes, & calumniæ, quibus clariſſimorum noſtræ, & ſuperioris ætatis Doctorum famam, & doctrinæ rationem proſcindere, atque infamare pro ſua parte conatus eſt; hinc illæ iactatæ voces. libro illo 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. *vſque ad aduentum Scholaſticorum*, id à nemine Catholicorum, præcipuè Latinorum in dubium vocatum eſſe; quibus ſatis ingenuè fatetur ſcholam ſibi eſſe contrariam, quæ de liberi arbitrij indifferentiâ ſecùs, atque ipſe ſentiat. Tum verò libro 9. de gratia Chriſti cap. 15. *Simul atque diuiniſſimum diſcrimen adiutorij, quo fit actio, & ſine quo non fit, ſeu poſſibilitatis, & voluntatis, quod tam ſollicitè, atque operosè, & perſpicuè S. Auguſtinus tradidit, animo perceptum, ac ſtabilitum eſt, omnes confeſtim Scholaſticorum de prædeſtinatione nebulæ diffugiunt.* Et paulò pòſt, *Adiutorij vtriuſque ſtatus ignoratio, & permixtio maximas confuſiones opinionum peperit, & pluſquam Cimmeriis tenebris vniuerſam doctrinam de gratia, & prædeſtinatione compleuit.* O bene meritum Ianſenium de toto orbe Chriſtiano, cui per hominem tam clarum lux reddita: cùm omnia, ante explicatum nouum dogma, eſſent pleniſſima tenebrarum, quas, ſimul ſol Iprenſis è littore Batauo affulſit, ſimul egregio oris ſui ſplendore diſſipauit. Tom. 2. lib. procem. fatetur ſe tradere doctrinam

Digitized by Google

inauditam omnibus Scholaſticis, quibus eodem loci Auguſtinum ſemper opponit, cap. 30. ipſe ſibi Scholaſticorum ſententias obiectans non abnuit, nec diffitetur eas *iam à quingentis ferè annis, per vniuerſam penè Eccleſiam fuiſſe familiares, ideóque ſequi Eccleſiam pene totam errorum eſſe ream;* ô perditam frontem! itáne verò Corneli nauiter impudens es, vt ipſam Eccleſiam criminari non vereare? ſed hominem religioſum tantæ impietatis conſcientia ſtatim pupugit. Negat enim *Eccleſiam, ſiue filij eius, doctrinam Auguſtini minus intellectam, è ſcholis exturbauerint, ſiue nouam introduxerint, ſiue introductam iterum aboriendo proſcripſerint, nullum de ſuſcepto errore diſcrimen ſubire, quia id non catholica fide credit, ſed humanâ opinatione ſentit.* Inde ait fieri, vt *nec vniuerſalis Eccleſia vllo errore fidei fœdata ſit, nec pars eius alicuius momenti à fide aberrauerit.... non enim hæreticum error facit: ſed erroris peruicacia.* Addit præterea, *Si etiam Eccleſia vniuerſa rectè crederet, fidémque ſuam palam in precibus, & orthodoxis loquendi formulis fateretur, ſed aliud atque aliud filij eius humana ſuſpicione, veracíque ſubmiſſione ſentirent, nihil Eccleſia tota, vel pars eius in ipſa fide, pateretur præiudicij. Arcanorum quippe myſteriorum integram fidem, non intelligentiam in hac vita Deus promiſit Eccleſiæ.*

Nihil hîc dicam de ſummo hominis artificio, qui nihil non egit, vt labem Doctoribus ſcholaſticis aſpergeret, vt præoccupatas eorum odio fidelium mentes, ſibi magis conciliat. Aliud eſt hoc loco, quod orationem meam, immò omnem orationis meæ poſtulat acerbitatem. nam quis Catholicus ferendum putet hominem tam perditæ frontis, qui Eccleſiam pro ſua libidine accuſare & excuſare, faſtidiosè ſibi arroget, quiq; ex omnibus aſſurgat vnus, vt in quo rectè ſentiat Eccleſia, in quo peccet, pro ſua auctoritate definire ſtatuat? & erunt præterea, qui tantam Doctoris tam importuni improbitatem ſine certa manifeſtæ præuaricationis ſuſpicione diſſimulari poſſe exiſtimabunt? crede mihi, mi homo, nihil eſt quod de purganda, excuſandáq; Eccleſia labores, non eget tuo illa patrocinio, quæ tot annos abſque te florens extitit, ac beata; florentior fortaſſe, beatiórque futura, ſi nunquam extitiſſes. eo quippe fato natus videbaris, vt vbicumque eſſes tranquillitas eſſe non poſſet.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Pro Ianſenianæ Doctrinæ examine nonnulla principia ſtatuuntur.

STATVENDVM primò, quod ab Aduerſario ſuprà eſt obſeruatum; hæreticum non errore fieri, ſed obfirmato in peruicacia animo, adeóque poſſe aliquem, abſque vllo hæreſis crimine, non modò quod credendum eſt ignorare, verùm etiam, contrà quàm ſentiat recta fides, ſentire. At in quo demùm ponenda peruicacia illa, quâ hæreſis efficitur? in eo, inquit Stapleton. cont. 4. lib. 8. cap. 24. quod qui peruicax eſt, vſurpatâ ab Eccleſia ad cognoſcendas reuelationes regulâ nolit vti, ſed duro corde, omnia quæ ad fidem mouendam, faciendámque adhiberi ſolent, reſpuat; vnde dictum à S. Cypriano lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium: *non aliunde hæreſes obortas, quàm inde quod ſacerdoti Dei mos non geratur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti credatur.*

Statuendum ſecundò, in quo conſentiunt omnes Catholici, Eccleſiam Chriſti, ex quo primùm inſtituta eſt magiſtra veritatis, deinceps fuiſſe in omnem conſequentium ætatum perpetuitatem aſpectabilem magiſtram, iudicem, & firmiſſimam veritatis columnam, quam quiuis ſalutis ſuæ ſtudioſus facilè cognitam adire poſſit, eiúſque vocem audire.

Statuendum tertiò, Eccleſiam in iis quos rerum ſuarum adminiſtrationi præpoſuit, Paſtoribus, ac Doctoribus veram eſſe germanámque fidei magiſtram, nec vnquam ſuos illi defuiſſe rectores, doctoréſque omnibus iis ornatos dotibus, quæ ad conciliandam ipſi Eccleſiæ auctoritatem vulgò deſiderari ſolent. Par enim erat, vt is à quo primùm fundata fuerat, præpotens Deus, idoneos Paſtores, Doctoréſque ei prouideret, in quos, dum Eccleſiæ partes agunt, error cadere nulla ratione poſſet, adeo vt nec fallere, nec ipſi falli poſſe deberent. Quapropter certum eſt ante annos quingentos, & poſtquam cœptum eſt de rebus fidei in ſcho-

Digitized by Google

lis diſputari; Doctores floruiſſe in Eccleſia his omnibus partibus inſtructos, qui ſibi commiſſam Eccleſiæ doctrinam ita moderarentur, vt ab omni errore prorsùs aliena fidelibus videretur. Hinc illa videlicet, quæ incumbit vnicuique audiendæ Eccleſiæ obligatio, cui fieri ſatis non poteſt, niſi ipſa ab ore doctorum, paſtorúmq; ſuorum audiatur. quod munus quantâ religione, ac fide ab eiuſmodi ſapientiſſimis, doctiſſimíſque viris, quibus impoſitum eſt, adminiſtretur, non eſt cur multis verbis oſtendam, cùm omnibus notũ ſit, quàm caſtè ſinceréque in eo verſentur. Neque enim ij ſunt quos quicquam lateat eorum, quæ ad principia fidei noſtræ, & ad omnem Chriſtianæ diſciplinæ complexionem quoquo modo pertinent. Quapropter ſtultum eſſet fingere ſibi aliquam viſibilis Eccleſiæ infallibilitatem, niſi ea à paſtoribus, doctoribúſque quibus hæc cura demandatur, peti deberet.

Statuendum 4. vanam eſſe, & inanem illam Eccleſiæ infallibilitatem, niſi conſtet à paſtoribus atque doctoribus qui rebus in dubiis lucem dent, certúmque ferant iudicium in iis quęſtionibus quę ab hęreticis in diſceptationem vocari ſolent, tum ſi quid obſcurũ explicare, ſi quid confuſum, certa ratione diſtinguere queant. Ita quippe geſſit ſe ſemper in rebus ſuis definiendis ſuorum miniſterio Doctorum Eccleſia, vt cùm quid ab ea ſtatutum ſit, illud ratum ita habeatur, vt nunquam immutari poſſit. In qua conſuetudine retinenda, quis neſciat Eccleſiam ſemper fuiſſe maximè conſtantem, nîplanè hoſpes in ea peregrinúſque ſit?

Poſtremò exiſtimo ſtatuendum, vix vllam fidei Chriſtianæ quæſtionem, quàm quæ eſt de gratia Chriſti, & libero arbitrio, in Eccleſia peræquè agitatam eſſe, & tam accuratè diſputatam. Quis enim ignorat, quàm crebræ, frequentéſque motæ ſint de libertate contentiones? quot ortæ hæreſes? quot motus à Manichæis, Pelagianis, Lutheranis, Caluinianíſque turbulentiſſimis hominibus ſuper ea re, quo ſtudio partium, quo animorum ardore excitati? quâ verò Doctorum omnium diligentia ac nauitate, qua Sanctorum Patrum vigilantia, quo labore controuerſia omnis ſedata eſt? & quidquid iis in quæſtionibus ſpinoſum erat, ac difficile, id omnino fuit explanatum?

Digitized by Google

Num verò vt eò redeat, vnde deflexerat oratio, quidquam de gratia & libero arbitrio potuit ab Eccleſia per paſtores & doctores certò definiri, ſi quæſtionum controuerſiarúmque illarũ rudes eſſent, vt fuiſſe contendit Ianſenius, & imperiti? Quamobrem ſi Ianſeniana illa de libero hominis ſtantis, & lapſi arbitrio, déque iſto ſanæ, & ægræ voluntatis adiutorio ſententia, & obſeruatio eſt clauis, baſis, principium, ac quaſi fundamentum vniuerſæ de gratiæ Chriſtianæ neceſſitate, natura, intelligentia doctrinæ Catholicæ, cùm nulla ſit illius apud Patres, ipſóſque Eccleſiæ doctores mentio, vt ipſe fatetur Aduerſarius; neceſſe eſt eam ab illis fuiſſe ignoratam. Quod ſi ita ſit, non video quid certi contra gratiæ Chriſti tot inimicos, ab Eccleſia definiri potuerit? maximè cùm in omni diſciplina quod primarium eſt, & magis præcipuum, illud omninò notum, perſpectúmque eſſe oporteat; alioquin multæ exiſtunt in omnem partem offenſiones, quod quis dicat in Eccleſiam cadere poſſe, niſi fuerit animo ab illa planè alieno?

Pergit nihilominus Iprenſis, ſuámque illam de ſtatu vtriuſque hominis ſtantis, & lapſi, & eius quæ in vtroque fuit gratiæ diſcrimine ſententiam *veram, & immobilem baſim vniuerſæ doctrinæ de gratia Chriſti*, eſſe fidenter pronuntiat; adeò vt (ſi fidem obtinere poſſit) nihil de gratia, niſi eo fundamento ſtabiliatur, certum ſtatui poſſit. Et ne fortaſſe mentem ſuam ſatis declaraſſe videatur; ſubdit, *totam Chriſtianæ gratiæ neceſſitatem, naturam, & intelligentiam illi fundamento inniti*. Ergo abſque doctrinæ Ianſenianæ perfecta cognitione, & intelligentia nihil de gratiæ neceſſitate, & natura aduerſus Pelagianos certò definiri potuit: nec abſq; euidẽti vtriuſque ſtatus cognitione, de liberi arbitrij, & gratiæ concordia aduerſus Lutheranos, Caluinianóſque niſi temerè omnino, ac imprudenter potuit ab Eccleſia diſceptari. Quam arrogãtiam quis ferre queat? *Si tibi latet*, inquit, *aut potius eminentiſſimè pater, veritas doctrinæ de gratia, ſi eius ignoratio, & vtriuſque adiutorij permixtio maximas confuſiones opinionum peperit, ſi pluſquam Cimmeriis tenebris doctrinam de gratia, & prædeſtinatione compleuit*, ſi quis eam *non intelligit, aut etiam loco ſuo mouet, in plurimarum hallucinationum confuſionem neceſſariò incidit*,

Digitized by Google

ſi quis *ea claui non vtitur velut cæcus palpat in meridie, ſi diſtinctionem illam velut baſim omnium ſuſtulerit, omnium ruina opprimitur.* Ventoſè nimirùm, & iactanter, vt Ianſenium decuit, ſed tanta hominis tam vani deliramenta quis non rideat? Quid obſecro factum eſt de vniuerſa Eccleſia, cùm illo fundamento nondum nitebatur? fluctuabat, opinor, & periclitabatur? Quid de illius paſtoribus, doctoribúſque, quid de ipſo Auguſtino qui tot annos in illius doctrinæ ignoratione verſatus eſt, cùm teſte Ianſenio eam non niſi ſub finem vitæ notam perſpectámque habuerit, & abſque illo præſidio annos ampliùs viginti contra Pelagianos dimicauerit? Quid de illis omnibus ſentiendum, niſi eos tanquam cæcos palpaſſe in tenebris, vt Aduerſarij verbis vtatur; & cum hæreticis Andabatarum more perturbatè, ac imprudenter pugnaſſe?

ARTICVLVS III.

Janſenij contra Eccleſiam error impius redarguitur.

EX iis quæ duobus ſuperioribus articulis à nobis conſtituta ſunt, manifeſtè conſequens eſt, ipſo non repugnante Ianſenio, Eccleſiam per multa ſæcula non fuiſſe omninò *infallibilem.* fatetur quippe ab annis circiter quingentis nihil eam de libero arbitrio, déque gratia Chriſti vel docuiſſe, vel cognouiſſe quàm quod in ſcholis traditum eſt, vixque vllos in ea Doctores præter Theologos ſcholaſticos extitiſſe. Neque verò obſcurum eſt, quam illi in omnibus Conciliis, tam prouincialibus quàm œcumenicis, præſertímque in Tridentino partem habuerint, quàm honorifica de ſancto Thoma Aquinate ab omnibus paſtoribus, rectoribúſque Eccleſiæ in ea ſynodo facta ſit (quoties res ferebat) mentio, vt diuinum illum Doctorem imprimis admirati veneratíque ſint, & tanquam ducem certiſſimum, ac magiſtrum ſequuti, vt in iis comitiis nihil à Patribus congregatis definitum, nihil in inſtitutionibus Chriſtianis à doctoribus explicatum, nihil vſurpatum in concionibus ab oratoribus ſacris, quod à ſcholis promptum, ductúmque non ſit.

Quam-

Quamobrem cùm in omni ſchola Theologica, ipſáque adeò Eccleſia, diſcrimen illud gratiæ Ianſenianæ fuerit prorſus ignoratum, ſi quidem illud vniuerſæ de gratia Chriſtiana doctrinæ fundamentum eſt, tam dari debet vitio Eccleſiæ, quòd gratiæ illius ignara fuerit; quàm daretur vitio Mathematicæ, quòd Geometriæ, quæ illius principium eſt, rudis eſſet. Ex quo concludendum, Eccleſiam veluti cæcam palpaſſe in doctrina de gratia, cùm lib. illo proœm. cap. 30. contendat Aduerſarius, eam iam à quingentis ferè annis tenere, quod Paſtores docent in vulgus, hoc eſt, *quod in ſcholis à Doctoribus vel in ſcriptis eorum traditum acceperunt*, in quibus ignoratio, & vtriuſque illius adiutorij permixtio maximas confuſiones opinionum peperit, & pluſquam Cimmeriis tenebris vniuerſam doctrinam de gratia, & prædeſtinatione compleuit.

At poſtquam Eccleſiam eiúſque Doctores, Paſtoréſque in erroris ſuſpicionem vocauit, de illa excuſanda cogitat illicò homo facetus; propterea *hæretica non eſt*, inquit, quia nihil in ea videtur eſſe obſtinationis, ac peruicaciæ. næ tu verò inſulſus es, qui peruicaciam ab Eccleſia amoliris, non amoliris errorem. Nam fateris erraſſe, atque in ea parte doctrinæ, quæ omnium cùm grauiſſima ſit, ab erroris opinione erat vindicanda. Quid porrò illi ab aduerſariis durius vnquam, aut acerbius obiici potuit? Errat igitur, ſi Ianſenio fides habeatur, Eccleſia, & quæ fuerat hactenus ſedes veritatis, domicilium Spiritus ſancti, diuinæ arx, præſidiúmque auctoritatis, illa infelici ſuo fato facta eſt magiſtra erroris. Verùm abſit, inquit, *vt Eccleſia vllum de errore ſuſcepto diſcrimen ſubeat, ſiue eius filij doctrinam Auguſtini minùs intellectam exturbauerint, ſiue nouam introduxerint; quia aliud eſt fide Catholica aliquid credere, aliud humana opinatione ſentire.* Bene eſt, nondum de illâ prorſus eſt conclamatum, cuius errorem excuſandum ſuſcepit Cornelius; ſed ita ſuſcepit, vt cauſæ ſuæ præuaricator appoſitus magis eſſe videatur, quàm defenſor. Nam quid magis frigidè dici potuit ad defenſionem? *Abſit vt Eccleſia vllum de ſuſcepto errore diſcrimen ſubeat.*

Deinde quid hiſce verborum ambagibus molitur? ſi do-

Digitized by Google

ctrinam Auguſtini, quam ſolam Catholicam eſſe vult, *filij Eccleſiæ*, non modò filij aliqui, ſed ipſi Patres, Doctores, atque Paſtores *minùs intellectam exturbant à ſcholis*, quas ſolas habuit Eccleſia: ſi quod fide Catholica credendum eſt, & prima doctrinæ de gratia vniuerſæ principia proſcribunt, licèt illud faciant non ita obſtinatè; num ipſa quæſo Eccleſia, quæ ab illis adminiſtrari ſe ſinit, de facto errat? Quaſi verò hæreticus non cenſendus ſit Academicus ille, qui dogma fidei in vtramque partem diſputandum proponat? Enimuerò, inquit Aduerſarius, *Scholaſtici qui ſententias plurimas ab Auguſtino reprobatas, proinde hæreticas tenuerunt vel pauci, vel nulli eas tanquam Catholicam fidem tradiderunt.* Verùm etſi hoc vltrò concederetur, ipſi nihilominùs errarent, ipſáque Eccleſia in erroris partem communionémque veniret: quo, quid ab ore Catholico proficiſci poſſit magis odioſum?

Eò accedit, quod falſiſſimum ſit, quas Auguſtino Ianſenius imponit ſententias, à Doctoribus Catholicis non fuiſſe damnatas, aut iis oppoſitas tanquam veram, certámque fidei doctrinam ab iiſdem non aſſertas. Teſtis illa arbitrij libertas, atque indifferentia toties defenſa in ſcholis, & omnium propè Patrum teſtimonio, & ſæculorum conſcientiâ conteſtata. Teſtis illa Caluinianæ factionis, *irreſiſtibilis gratia*, quam vtramque vt hæreticam conſtat ab Doctoribus Catholicis fuiſſe damnatam; quemadmodum fusè declaratum eſt apud Antonium Ricardum. Præterea ſic addit: *inde ſit vt non ſolùm Eccleſia vniuerſalis, nullo fidei errore fœdata ſit; ſed nec vlla pars alicuius momenti à fide aberrauerit.* in quo manifeſtiſſimi mendacij reus tenetur, niſi qui quingentos ipſos annos in Eccleſiâ floruerunt viri omni doctrinæ genere commendabiles Doctores Scholaſtici partem Eccleſiæ exiguam, & nullius propè momenti eſſe dicat.

Age verò bone vir, quam porrò Eccleſiæ partem vis alicuius eſſe momenti, aut momentum illud in quo reponis? in iis opinor, quibus adminiſtrandæ, regendæque Eccleſiæ prouincia demandata eſt. Iſti verò, qui præter Doctores, & Paſtores, alij ſint, non video; nam de cæteris fidelibus, qui Paſtoribus ſubditi ſint, credo, non id audebis affirma-

Digitized by Google

re, qui cùm in infimo ordine verſentur, pars Eccleſiæ potior à quoquam non prorſus ſtupido cenſeri non debent: Tu verò ſi Doctores, & Magiſtros à quibus Eccleſia gubernatur, errore notare porro pergis, eadem criminatio tua ad Eccleſiam vniuerſam non poteſt non pertinere. Nam, amabo te, qui in Conciliis paſſim omnibus, præſertímque Tridentino, Eccleſiam repræſentabant, niſi Paſtores, & Doctores, iíque Scholaſtici, qui ſi tuo iudicio, Corneli, in ea gratiæ differentia quam venditas, errauerunt, neceſſe eſt totam cum illis Eccleſiam erraſſe contendas, cùm nihil celeberrimis his totius pæne orbis Chriſtiani comitiis, actum ſit, quod Paſtorum, Doctorúmque Scholaſticorum arbitrio, ac auctoritate non fuerit definitum?

Quid verò, ſi res ita ſit, de ipſo Auguſtino erit ſtatuendum? num is pars fuit Eccleſiæ præcipua totos illos viginti annos, quibus rem habuit cum Pelagianis? conſtat tamẽ eum toto illo tempore hoc vniuerſæ de gratia, & prædeſtinatione doctrinæ fundamentum vel ignoraſſe prorſus, vel certè ſubobſcurè tantùm intellexiſſe. Quid? erroris damnabitur? durum erit Ianſenio, ac graue, eum quem habeat in deliciis, in erroris criminationem vocare: Non tamen dubium eſt, quin eò res euadat, cùm ipſe Doctor noſter de Auguſtino pronunciet, cum nunquam niſi ſub vitæ finem præclarum illud dogma de gratiæ differentia tradidiſſe. quod quàm verum ſit, noſtræ iam partes eſſe debent diligentiùs explorare.

ARTICVLVS IV.

Janſenianum doctrinæ de gratia Adami, & Chriſti principium, apud ſolos Caluinianos reperiri.

PRINCIPIVM illud, de quo tot turbæ tanta animorum contentione cientur hodie in ſcholis, poſitum eſt in certo quodam diſcrimine inter ſtatum liberi arbitrij, quo Adamus rebus integris pollebat, & illius, quod poſt lapſum illi relictum eſt, & conſequenter inter auxilium quod voluntati ſanæ, ac valenti, & illud quod ægræ, afflictæq; fuit conceſſum; quorum alterum fuit *adiutorium* illud ita iacta-

Digitized by Google

tum, *ſine quo* Adamus *non* poterat velle & operari bonum; iſtud verò *adiutorium quo*, voluntatis, & actionis. Neque enim Adamus ab eo recipiebat niſi vnde poſſet, cùm haberet in ſe vnde vellet, & ageret; auxilium verò gratiæ Chriſtianæ, non modò dat vt poſſit agi, ſed illud ipſum & velle, & agere, nullúmque proinde illud cenſeri debet, quo quædam tantùm agendi *poſſibilitas* habetur, & ſufficientia. Quod enim auxilium tantummodò ſufficiens eſt, non efficax, licèt eiuſmodi auxiliis plenus ſit orbis vniuerſus, illud non eſt Chriſti, ſed Adami.

Enimuerò iſtud eſt tam operoſum nouæ ſectæ figmentum, illud præſidium nouitatis, quo tanquam in arce muniti ſſimâ ab hoſtium impreſſionibus tutari ſe molitur; de quo ſic ſtatuit Ianſenius libro 9. de gratia Chriſti capite 15. *diuiniſſimum illud diſcrimen ſollicitè, operosè & perſpicuè traditum ab* Auguſtino tribus illis cap. lib. de corr. & gratia. & lib. de gratia primi hominis cap. 17, Illam *adiutorij ſine quo non, & adiutorij quo, diſtinctionem nunquam apertè traditam, tandem in fine vitæ ſuæ luculentiſſimè declarauit, tantóque conatu, & aſſeuerantia, præter morem ſuum aſſeruit, vt eam verbis Apoſtolicis ordiretur, quapropter ſaluberrimè confitemur, quod rectiſſimè credimus &c.* Quibus tria ſunt quæ opponam. primò nullam prorſus apud quemquam è Doctoribus Catholicis, aut ſanctis Patribus, contra Pelagianos, alióſque liberi arbitrij, & gratiæ Chriſti aduerſarios diſputantem, vtriuſque illius auxilij vbiuis gentium extare mentionem, ne vel ipſam quidem vocum illarum appellationem vſpiam auditam. Secundò, ſemel, & iterum tantùm, & in acceptionem diuerſam, illius meminiſſe Auguſtinum; ſemel in libro de geſtis Pelag. cap. 1. & iterum capitibus his de corrept. & gratia ſuprà allatis: in priore contra Ianſenium, in poſteriore nihil pro Ianſenio facere. Poſtremò, ſolos omnium Caluinianos hoc gratiæ diſcrimen, tanquam doctrinæ ſuæ ſtabiliendæ maximè accommodatum vſurpaſſe, in eóque præcipuum factionis ſuæ præſidium collocaſſe. De primo & altero poſteà dicam, nunc de tertio, quod ad infringendam Aduerſarij vim, ſi quæ ſit, & inuidiam nouæ doctrinæ faciendam plurimùm momenti afferre poſſe videatur.

Digitized by Google

Itaque ſic libro 2. Inſtitut. capite tertio §. 10. Caluinus. *Deus voluntatem mouet non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis motioni obtemperare, aut refragari: ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt: Quem trahit, volentem trahit: quo inſinuat Dominum porrecta tantùm manu expectare, an auxilio ſuo iuuari nobis adlubeat. Talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, vt potuerit ad alterutram partem inclinare; ſed ſuo exemplo docuit, quàm miſerum ſit liberum arbitrium, niſi Deus in nobis & velit, & poſſit. quid fiet nobis, ſi ad eum modulum ſuam gratiam nobis impertitur?* quod Caluinus vt probet, iiſdem vtitur teſtimoniis & locis, ac Ianſenius. *Non enim docet Apoſtolus offerri nobis bonæ voluntatis gratiam, ſi acceptemus*, Ianſenio viſum eſt dicere ſi velimus, *ſed ipſum velle in nobis efficere...... neque ſecùs accipi ſententia Chriſti poteſt, Omnis qui audiuit à Patre meo, venit ad me, quàm vt efficacem à ſeipſa Dei gratiam doceat, vt Auguſtinus contendit. Quæ gratia non quoſlibet promiſcuè dignatur Dominus, quemadmodum iactatur illud (ni fallor) Occamicum, eam nemini denegari facienti quod in ſe eſt.... nemo venit ad me niſi pater meus traxerit eum. Et citra controuerſiam elicitur ex Ioannis verbis, ſic efficaciter gubernari diuinitus piorum corda, vt inflexibili affectu ſequantur. Qui ex Deo genitus eſt, inquit, non poteſt peccare, quia ſemen Dei in ipſo manet. Nam medium quo ſophiſtæ* (videlicet ſcholaſtici Doctores à Ianſenio tam malè habiti) *imaginantur motum, cui obſequi, vel quem repellere liberum ſit, apertè excludi videmus, vbi aſſeritur efficax ad perſeuerandum conſtantia.*

In quibus verbis totius doctrinæ Ianſenianæ breue quoddam quaſi compendium habemus. Hi ſunt nimirum fontes, à quibus primùm manarunt hodiernæ diuortia nouitatis; vnde doctor Lalanius Abbas Boniloci in ſuo de gratia victrice libro doctrinæ ſuæ riuulos pro modulo ſuo ducere conatus eſt, cùm tantopere laborat, vt Dei gratiam à ſeipſa efficacem eſſe probet. Audiat verò nec diſſimulet Magiſter, qui primus deliramenta Ianſenij in ſcholam Pariſienſem inuexit, quæ Caluinus addit §. decimo tertio *Audiamus nunc Auguſtinum ſuis verbis loquentem, ne ætatis noſtræ Pelagiani, hoc eſt, Sorbonici Sophiſtæ totam vetuſtatem nobis ad-*

uerſari pro ſuo more criminentur; in quo ſcilicet Patrem ſuum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipſe Auguſtinus protractus eſt. lib. de correp. & gratia ad Valentium fuſiùs exequitur, quod breuiter tamen eius verbis referam, gratiam perſiſtendi in bono Adæ fuiſſe datam ſi vellet, nobis dari, vt velimus, ac voluntate concupiſcentiam ſuperemus. Habuiſſe ergo illum poſſe, ſi vellet: ſed non velle, vt poſſet; nobis & velle dari, & poſſe: primam fuiſſe libertatem poſſe non peccare; noſtram multo maiorem non poſſe peccare ..... tractat deinde copioſiùs, *quomodo corda noſtra Dei afficientis neceſſariò ſequuntur motum*. Ex quo patet, Caluinum in commentando Auguſtino fidei retinendæ ſtudioſiorem fuiſſe quàm Ianſenium, qui ait Auguſtinum ibi *de gratia perſiſtendi in bono* dixiſſe idem illud, quod Ianſenius ad omnem Chriſti gratiam pertinere contendit.

At quæ habentur in Antid. ad ſeſſ.6. Trid. quàm faciunt pro inſtituti noſtri ratione, ſic ille: *Denique in eo falluntur, quod nullum obſeruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubuenit, & primam, quæ Adæ data fuerat diſcrimen, quod diligenter Auguſtinus exponit.* Neque ab eo diſcrepant Doctores Britanni in actis ſyn. Dordracenæ de 5. art. in Theſib. heterodoxis pag. 783. *Adæ fuit datum vt poſſet, ſi vellet, in bono perſeuerare: ſed non fuit datum vt vellet: nobis verò, qui verè Chriſto inſiti ſumus, talis data eſt gratia, vt non ſolùm poſſimus ſi velimus, ſed etiam vt velimus in Chriſto perſeuerare.* Et Bremenſes pag. 830. *Abſque hoc beneficio ſi ſit, nullatenùs in ſecundo Adamo feliciores erimus, quàm fuimus in primo, quippe in iſto acceperamus iuſtitiam & ſalutem mutabilem, & vt poſſemus quod vellemus, in illo accipimus immutabilem, vt & poſſimus quod volumus, & velimus quod poſſumus.*

ARTICVLVS V.

Idem diſcrimen in nullo ſancto Patre, nullóque Concilio reperiri.

QVOD autem primo loco fuit à me oppoſitum, nullum vel Patrem, vel Doctorem Catholicum fuiſſe arbitratum doctrinam de gratiá Chriſti in illo diſcrimine Ianſenia-

Digitized by Google

no eſſe fundatam, ſatis eſt perſpicuum: nec profectò Ianſenius ita cauſæ ſuæ defuiſſet, vt ſi quempiam eorum, quos ſuper ea re diligenter conſuluit bene multos, ſibi fauere in ea parte comperiſſet, illum vt à ſe prætermitti ſuſtineret. Vt enim nouum quiddam afferebat, erat quærendum vndequaque cauſæ non bonæ præſidium, vt doctrinæ ſuæ fidem conciliaret. An credibile eſt ſi quidpiã eiuſmodi repertum fuiſſet ab eo in Proſpero, Fulgentio, Beda, Bernardo, Cæleſtino Papa, Innocentio, & aliis compluribus, in quibus ita erat verſatus, fore, vt illud non arriperet continuò, & in vſum ſuum deriuaret? Nihil ergo dicam de me ipſo, quamuis pro meo iure profiteri poſſim, non modò in Patribus ſuprà commendatis, verùm etiam in cæteris aliis cùm Conciliis tum Doctoribus, quibus quoad per meas occupationes licuit, operam dedi non mediocrem, nihil à me vnquam fuiſſe obſeruatum, quod vel eò leuiter attinere videretur.

Verùm vt illud omitti potuerit à Patribus, vel Conciliis, certè prætermitti non debuit ab Arauſicano ſecundo, quod eamobrem inſtitutum eſt, vt quæ de gratia, & libero arbitrio minùs acuratè & diligenter explicata fuerant, ex Auguſtino, fierent planiora. At vbi vel ſemel facta diſcriminis illius commemoratio? vbi voces ita obſcuræ, explicatæ ſunt? cùm conſtet aliunde nihil à Concilio neglectum eſſe eorum, quæ aliquid lucis afferre poſſent ad docendos eos, qui de gratia & libero arbitrio minùs cautè, & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam ſentire videbantur. Vnde etiam quidquid tum ab aliis paſſim Patribus, tum ab ipſo præſertim Auguſtino, exprimi potuit quod eò conferret, id ſedulò fuiſſe vſurpatum. Verùm ex eo liquet quàm fuerit ab illo diſcrimine cõmemorando alienum Concilium, cùm quoties contractæ noſtræ per Adæ peccatum infirmitatis meminit, (meminit autem quàm ſæpiſſimè) & auxilij ad medelam neceſſarij, non tantùm non inſinuat auxilium illud quo; ſed aliud omnino ab eo diuerſum. Cap. 1. 8. 13. 15. 19. 21. 25. ait quidem liberum noſtrum arbitrium per peccatum Adæ fuiſſe vitiatum, infirmatúmque. At cap. 8. damnat tantùm eos, *qui illud ita læſum putant, ut tamen quidam valeant ſine reuelatione Dei myſterium ſalutis æternæ per ſemetipſos conquirere.* Vbi porrò

illud adiutorium, quo perſonat omnis ſchola Ianſeniana? Quid enim notionis ſubiectum eſt voci illi *valeant*, quàm quis neget quandam ſignificare *poſsibilitatem*, & illud auxilium *ſine quo non*, pro quo diſputamus? cap. 1. adiutorium Dei etiam renatis, & ſanctis edicit implorandum, vt ad finem bonum peruenire, & in bono perſeuerare poſſint: vbi *illud quo* non niſi perſeuerantes fiunt, de quo ſolo iis in capitibus libri de corrept. agit Auguſtinus? Quando locus ſe dederat ita opportunus, mentionis de illo faciendæ, certè præteriri non debuit. Quid verò cap. 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari: quod amiſſum niſi à quo potuit dari non poteſt reddi.* Audis Corneli, non nouum cudi formaríve in homine arbitrium, à priore prorſus diuerſum, quemadmodum ſomniaras, ſed quod *infirmatum erat reparari, amiſſum reddi*, & hac ratione liberari, eóque liberato, nos reuerâ in libertatem aſſeri?

Quòd ſi animum induxiſti, vt dicas quod infirmatum eſt liberari, reddi quod amiſſum, tunc cùm non idem redditur, ſed aliud eius in vicem reſtituitur; pari iure dicere poteris, nobis, cùm ſupremo illo mundi die erit à mortuis reſurgendum, corpora reſtituenda, licèt non eadem, ſed alia prorſus diuerſa, vt à quibuſdam hæreticis proditum eſt, recipiamus. Porro *arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum reparatur per gratiam baptiſmi.* Quæ haud dubiè non eſt illa Ianſeniana, nec illud *adiutorium quo*, adeò decantatum. cap. enim 19. *Natura,* inquit, *humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Vnde cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Quæ comparatio videtur nulla, ſi nec adiutorium, nec gratia Dei eadem eſt, éſtque mera vel argutia vel cauillatio, ſi *gratia Dei & cuſtodiens quod acceptum erat, & reparans quod perditum eſt, pluſquam toto cælo diſcrepent*, vt ipſe profitetur Ianſenius.

Porrò cùm Ianſenius dicat tale fuiſſe adiutorium Adæ, vt cum illo poſſet bene agere ſi vellet, noſtrum autem non eſſe eiuſmodi, nec *adiutorio quo* nos vti ſi volumus, ſed eo

nos

nos tantùm fieri volentes, quia dat non vt poſſimus velle, ſed vt velimus, prolixè à Concilio refutatur cap. 25. cùm ait: *hoc ſecundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto adiuuante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quot verba, tot vibrata in Ianſenianam doctrinam fulmina. Nam gratia per baptiſmum accepta nullo modo Ianſeniana eſt, cùm habitualis ſit, adeóque idonea, quæ dormientibus, phreneticis, pueríſque infantibus infundatur, quam non aliqui, ſed omnes ſacro fonte expiati accipiant, eiúſque beneficio quæ pertineant ad ſalutem, hoc eſt mandata diuina adimplere & poſſint, & debeant; nec debent niſi quia poſſunt; id autem poſſunt vi opis à Chriſto datæ, quæ nulli baptizato deeſſe poteſt, ſi velit. Id enim verba Concilij præ ſe ferre videntur. Vnde etiam euidens eſt non omne auxilium Chriſti cooperantis eſſe idem cum gratia Dei, propriè dicta, alioqui ſemel, & iterum vnum, & idem à Concilio diceretur; ſed illud gratiam per baptiſmum acceptam ſupponit, & ita nondum gratia Dei cooperantis intelligitur. Eſt autem eiuſmodi, vt ſi *fideliter laborare voluerint*, id eſt, ſi gratia, & auxilio Chriſti vti velint, poſſint, quæ adiutorij *ſine quo non*, & illius Adamo conceſſi, non repugnante ipſo Ianſenio nota eſt certiſſima.

Quid verò dicam de Cæleſtino, qui profitetur *ſe diligenter inquirere, quod rectores Romanæ Eccleſiæ de gratia Dei ſentiendum cenſuerint, & vt pleniùs, qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum Patrum compendioſo manifeſtare indiculo, quo ſi quis non nimiùm eſt contentioſus agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex ſubditarum auctoritatum breuitate pendere, nullámque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem?* Qui venit tam paratus ad docendum, quid de gratia ſtatuendum ſit, putátne ſe fortaſſe neſcire, quodnam ſit vniuerſæ illius doctrinæ fundamentum? An loqueretur tam fidenter, ſi quicquam eſſet in hanc ſententiam, de quo dubitaret? Vbi tamen in toto illo tractatu tam amplo, támque accurato, vllum duplicis illius auxilij veſtigium? meminit cap. 4. *Naturalis poſſibilitatis, & innocentiæ in præuaricatione Adæ perditæ, ſed ita vt per nouæ regenerationis purificationem*

omne præteritum vitium baptiſmatis lauacro purgetur. cap. 7. negat nos *ex illa præuaricatione poſſe erui, niſi nobis prouidentia regenerationis, ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet aduentus.* Quid contra Ianſenium afferri potuit illuſtrius? neque enim ſolùm liberum arbitrium Adæ peccato vitiatum reparatur, ſed etiam *ſtatus priſtinæ libertatis reformatur*, nec aliâ gratiâ, quàm quæ regenerationis ſit.

Cùm magnum apud ſanctos Patres, eóſque præſertim qui primis Eccleſiæ temporibus floruerunt, quíque poſtea aduerſus hoſtes gratiæ feliciter dimicarunt, de tam celebri illo apud Aduerſarium diſcrimine, ſilentium eſſe viderimus, de eodem quid habeatur in Tridentino ſupereſt videndum.

Qui abſoluto Concilio orationem habuit ad Patres Hieronymus Ragazonus Epiſcopus Nazianzenus, teſtatur pluribus, in eo *fidei Catholicæ, illis in rebus* quæ ab hæreticis in dubium vocantur, adeóque gratiæ Chriſtianæ & liberi arbitrij *doctrinam fuiſſe explicatam, & confirmatam, diſiectis omnibus ac diſſipatis errorum tenebris:* præſertímque *ſancta illa ſynodus,* inquit, *omnium hæreſum arcem cùm aggredi cogitaret, de naturæ humanæ corruptelis ac vitiis ea demum ſtatuit quæ veritas ipſa ſi loqui poſſet exprimeret. De iuſtificatione deinceps res magna, & cùm ab antiquis, tum à noſtri temporis hæreticis mirum in modum oppugnata, ea definiuit, quibus & pernicioſiſſimis in eo genere opinionibus occurreretur, & rectè ſentiendi ratio miro quodam ordine, atque admirabili ſapientia, vt in illis Dei ſpiritum facilè agnoſcas demonſtraretur. præſtantiſſimo hoc poſt hominum memoriam decreto hæreſes ferè vniuerſæ iugulantur, & quaſi caligo ſole diſcutiuntur, ac diſpelluntur, eáque claritas, iſque ſplendor veritatis apparet, vt tantum lumen quin videat diſſimulare iam nemo poſſit.* Quæ cùm ab ipſo Concilij oratore, cuius ore Patres omnes congregati loquebantur, coram omni concione dicta ſint, quis æquus rerum æſtimator credat, ignoratam, aut neglectam vtriuſque illius adiutorij differentiam, *cuius ignoratio, & permixtio maximas confuſiones opinionum pepererit,* vt præ ſe ferebat Ianſenius, *& pluſquam Cimmeriis tenebris vniuerſam doctrinam de gratia, & prædeſtinatione compleuerit?* Certè in toto Concilio, & maximè in ſeſſ. 6. quæ in explicanda Chriſti gratia, & contra omnes eius inimicos

tam nouos, quàm veteres tuenda verſatur, Ianſeniani illius dogmatis, ſeu principij nulla prorſus fit mentio, nullum extat veſtigium, nulla *adiutorij ſine quo non, & quo* appellatio, nulla denique ex illis Auguſtini capitibus ſententia deprompta, qua fides illi doctrinæ fieri queat. Quod cùm per ſe ſe clarum, notúmque ſit, Ianſenianorum partes eſſe debēt, vt videant quid reſponſuri ſint pro tuendo illo magiſtri ſui dogmate, cuius nulla niſi apud Caluinianos commemoratio. Quod verò de Auguſtino oppoſui, alibi commodiùs palàm fieri poterit.

ARTICVLVS VI.

De diſcrimine inter ſtatum liberi arbitrij Adamicum, & noſtrum, Aduerſarij dogma refutatur.

NON eſt cur de illius ſententia circa neceſſitatem voluntati noſtræ à cupiditatis duriſſimo dominatu impoſitam iterùm dicam, cùm copioſè ſit illud à me refutatum. vnum mihi ſupereſt, quod antea leuiter attigi, hoc loco demonſtrandum, ſtatum indifferentiæ ad bonum per peccatum ereptæ, nobis per gratiam Chriſti reſtitui, quod fit in ipſo baptiſmo, vi cuius accipitur gratia Chriſti habitualis, virtutéſque inſpirantur paſſim omnes, tum maximè inter cæteras, fides quæ prima Chriſti gratia vulgò dicitur, ſpes, & charitas, cuius etiam vel minimæ qui compos eſt, Deum poteſt diligere, & quemadmodum ex D. Tho. 3. p. q. 70. a. 4. à me fuit obſeruatum, *poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale.* Quin etiam gloriam *de condigno*, vt aiunt, mereri, & omne bonum ad ſalutem neceſſarium velle poteſt, & operari. Gratia enim eſſentialiter boni *poſſibilitas* quædam eſt, tametſi qui iam bonum velle, & operari poteſt, vt velit, & operetur, diuina prӕterea motione, ſiue Dei per Chriſtum auxilio indigeat. Qui autem in Adamo non tantùm perdiderat, id quo bonum vellet, & ageret, verùm vt velle & agere poſſet, id amiſſum cùm recipit, libertatem ad bonum formaliter recipere cenſendus eſt. Neque enim libertas arbitrij tunc tantùm habetur ab homine, cùm

Digitized by Google

is vult, & agit, ſed etiam cùm velle, & agere poteſt, vt cuiuis non impoti perſpectum eſt.

Et profectò ſi res nobis eſſet cum hominibus non iniquis, cauſam ſine negotio obtineremus, cùm ipſe Aduerſarius, à quo nihil æquitatis in hac parte expectari debet, fateatur, nos habitibus bonis vti cùm volumus, nec per eos voluntatem noſtram ferri neceſſariò in bonum. Vnde ſi conſtat per gratiam habitualem nos accipere *poſſibilitatem* boni, adeóque libertatem arbitrij ad bonum, & ſi cum ea retinemus indifferentiam; clarum eſt ex conſequenti, nos per aliquam Chriſti gratiam recipere ſtatum arbitrij ad bonum, ſtatúmq; indifferentiæ à quo per Adami peccatum excideramus, licèt fortè per alteram gratiam volitionis, & actionis tolleretur illa indifferentia; quod etſi falſiſſimum ſit, ipſique adeò Tridentino contrarium, nihilominùs id non impediret, quominùs per aliquam gratiam Chriſti, arbitrij libertas ad bonum indifferens reſtitueretur. Id, arbitror, cauſæ fuit, cur Ianſenius negaret vllam gratiam habitualem eſſe per Chriſtum, nec quæ Chriſtiana ſit, aliam eſſe, quàm ipſam volitionem, & actionem, quod & antea reiectum eſt, & deinceps etiam magis eſt reiiciendum. Sed vt opprimatur Aduerſarius, nihílque habeat quod opponere meritò poſſit, manifeſtiſſimam Auguſtini, & eius diſcipulorum auctoritatem, quâ mouetur vnâ, adducam in medium, vt non modò liberum arbitrium ad bonum, verùm etiam ſtatum illius, qui erat in Adamo, nobis per Chriſtum in priſtinam integritatem, perfectionémque oſtendam fuiſſe reſtitutum.

Imprimis clarum eſt ſæpenumerò dici ab Auguſtino arbitrium noſtrum per gratiam Chriſti in baptiſmo acceptam liberari, hoc eſt in bono liberum fieri: cùm tamen etiam tum indifferentiam ad bonum, vel malum ab eo retineri perſpicuum ſit. Qui enim iuſtus eſt, & gratia illa ornatus, is poteſt velle bonum, quia gratia illa eſt quædam boni faciendi poteſtas, ſiue libertas ad bonum; & ſimul poteſt velle malum: nî fortè in Iouiniani ſententiam ire velis, qui hominem ſemel iuſtificatum non poſſe præterea peccare affirmabat; quod à Ianſenianis nondum audiui eſſe vſurpatum. Quis porrò eſſe libertatem indifferentiæ non tantùm ad agendum, & non

agendum, quam ſchola vocat libertatem exercitij, & contradictionis, verùm etiam ad bonum, & malum, quæ ſpecificationis, & contrarietatis eſt, neget in eo qui ita ſolutus ſit ac liber, vt ſimul velle bonum, & malum cùm libuerit, poſſit. Ita nimirum Auguſtinus lib. 14. de ciuitate Dei capite 11. *Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum, cùm vitiis peccatiſque non ſeruit. Tale datum eſt à Deo, quod amiſſum proprio vitio, niſi à quo dari potuit, reddi non poteſt, vnde veritas dicit: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis; Idipſum autem eſt ac ſi diceret: Si vos filius ſaluos fecerit, tunc verè ſalui eritis, inde quippe liberator, vnde ſaluator.*

Nemo non videt ibi de gratia Saluatoris agi ab Auguſtino; qui docet ipſum arbitrium quod proprio vitio amiſſum fuerat, reddi per gratiam illam, & arbitrium eatenus liberari, quatenus ſaluatur. Certum eſt aliunde ex ipſo Auguſtino ſaluari idem ipſum quod perierat in Adamo, éſtque ſermo de libertate, qua arbitrium malam cupiditatem vincit, peccatíque ſeruitute eximitur: quod vnum gratiæ nomen obtinere debere Ianſenio placitum eſt.

Lib. de ſpiritu & littera cap. 30. 31. 32. exponit fuſiùs quod dixerat, liberum arbitrium non euacuari, ſed conſtitui per gratiam Chriſti, ſicut lex per fidem conſtituitur, non euacuatur; gratiæ quippe munus eſt, vt voluntatem ægram ſanet, tum illi iuſtitiæ amorem inſpiret, quem liberè complectatur. Cùm verò idem ſit habere illam arbitrij libertatem ad fidem, & hanc in poteſtate habere, idcirco quærit, vtrum fides in noſtra poteſtate conſtituta ſit. Id vt ſoluat, quærit magis accuratè, quid ſit poteſtas, & obſeruat aliud eſſe velle, aliud poſſe: vnde qui vult, is non continuò poſſe cenſendus eſt, nec qui poteſt, eâdem operâ velle dicitur. Vt enim ſunt interdum, quæ volumus, nec poſſumus, ſic poſſumus quippiam aliquando, quod non velimus. Quod ſi ita ſit, Corneli, cùm libertas boni ſit poteſtas quædam ſiue *poſsibilitas* boni, hæcque gratia Chriſti: numquæſo, qui nondum vult, habet gratiam Chriſti, ſi per hanc habeat, vt velle poſſit bonum, quod nondum velit? Is autem ſtatus eſt aut idem cum libertatis *Adamicæ* ſtatu, aut certè ab eo non diſſimilis. Addit porrò idem diuinus Do-

Digitized by Google

ctor adeſſe poteſtatem, etiam cùm voluntas deeſt, hancque ſe appellare poteſtatem, vbi *voluntati adiacet facultas faciendi.* Vnde hoc vnuſquiſque in poteſtate habere dicitur, *quod ſi vult facit, ſi non vult non facit;* quæ eſt propriè dicta libertatis indifferentia. In quibus habet ſuam illam *Adamicam* libertatem Aduerſarius, & falſitatis manifeſtæ conuincitur in eo, quod ait Adamum potuiſſe facere bonum ſi voluiſſet, nos verò non facere bonum ſi volumus. Nam preſsè dicit Auguſtinus, hoc me in poteſtate, id eſt, libertate arbitrij habere, quod ſi velim faciam, non faciam ſi nolim. Idque de fide, quæ gratia Chriſti peculiari modo eſt, aſſerit eam me in poteſtate habere, ſeu credere in Deum me poſſe, cùm nemo credat ſi nolit, aut non credat ſi velit. Ex quo confici debet, gratiâ Chriſti mihi reſtitutum eſſe idipſum, quod habebat Adamus, nimirum vt credam, ſi velim: ſi nolim credere, non credam. Porro de poteſtate qualibet, ſic ſtatuit Auguſtinus, *ſed cùm poteſtas datur, non neceſſitas vtique imponitur.*

Eò quoque poſſunt reuocari quæ ex Cæleſtino ſuperiùs allata ſunt, quemadmodum & ea Innocentij, quæ capite 7. Epiſtolæ habentur, non erui nos ex præuaricatione Adami niſi *ſtatu priſtinæ libertatis per Chriſti Domini aduentum regenerationis prouidentia reformato.* Ita & S. Proſp. contra coll. capite 27. al. 13. quod Caſſianus dixerat, *adiacere homini in quamlibet partem animi libertatem, & idcirco manere in homine liberum ſemper arbitrium, quod gratiam Dei poteſt negligere vel amare.* quibus ſatis declaratur ea libertas arbitrij, quæ fuerat in Adamo: ſic verò reſpondet Proſper, virtutum ſemina beneficio creatoris inſita, & præuaricatione primi parentis euerſa, non haberi poſſe, *niſi eo reſtituente qui dederat. Reformabilis enim eſt natura humana formatori ſuo, & eorum bonorum quæ habuit capax eſt, vt per mediatorem Dei, & hominum hominem I. C. in eo ipſo quod ei remanſit, poſſit recuperare quod perdidit.*

At ne quis dicat hîc ſermonem eſſe de virtutibus, non de ipſa arbitrij libertate ad bonum, quæ tamen eadem eſt ac virtutum illarum bonitas. Quod enim Caſſianus dixerat manere arbitrium, à Proſpero in eo tantùm reprehenditur,

quòd pleríque infantes, & mente deſtituti illud non habeant; *nam ſi accipiamus ita hoc dictum, vt ad eos propriè pertineat hæc definitio, qui vti poſſunt libera voluntate*, id admittit dummodo *iſta libertas non ita dicatur eſſe libera, vt quantum ex ſe habeat faſtidij, vt negligat gratiam Dei, tantum ex ſe habeat delectationis, vt diligat.* quod eſt eiuſmodi, vt cum indifferentia libertatis omnino ſtare poſſit. Tum verò lib. 1. de vocat. gent. cap. 7. *Cùm homo ad pietatem redit non fit nouum figmentum nouáque creatura... nec aliud ab eo aufertur, niſi vitium quod natura non habuit.* Et cap. 8. *Sic gratia Chriſti ſanat vulnera ſauciati, vt quod in ipſo agit etiam per ipſum geratur.* Quæ voces *per ipſum* cùm Ianſenio moleſtæ ſint, ſunt notandæ: id quippe fieri perfractè negat, qui ſic de libero arbitrio Adami, & noſtro ſentit, vt Adamum non quidem ſine gratia, ſed per liberum arbitrium, non per gratiam bene egiſſe velit, cùm modò, bonum fieri in nobis per gratiam cum libero arbitrio, non tamen per ipſum ſtatuat, in quo diuerſus eſt à Proſpero, qui loco citato docet quod gratia agit in homine, id per ipſum etiam agi; mox addit quod liberum arbitrium ad bonum *in natura periit, non reſtitui niſi ab auctore naturæ*, quibus innuit idem prorſus quod perierat reſtaurari. Nec ab eo diſcrepat Fulg. lib. de Incar. & gratia c. 12. *Sic humano generi gratuitam gratiam diuina bonitas contulit, vt hominis arbitrium quod ſub ditione peccati malè liberum fuit, veræ, ſalubríſque libertatis reciperet denuo ſtatum præuenientis gratiæ munere liberatum.* Quibus cùm ita repugnet Ianſenius, non exiſtimo fore, vt frontis adeò duræ ſit, qui Auguſtini diſcipulos, ipſúmque adeò Auguſtinum ſibi vindicare auſit, niſi planè rideri ſe velit, & in fœdæ rerum earum de quibus diſceptatur ignorationis ſuſpicionem venire. qui enim dicat pro ſe eſſe eos, qui ſecum pugnent, is dignus videtur, qui pro ſuo magno merito ſtultus habeatur.

Verùm licèt Scholaſticos omnes tam malè habuit iſte Doctor, pudoris tamen non fuit ita perditi, vt ſcholæ principem malè haberet. Quapropter cùm aliquo apud eum etiamnum loco Doctoris illius Angelici auctoritatem eſſe videam, non erit alienum dicere, quid re ſuper propoſitâ ſentiat, quod & ad Aduerſarij doctrinam labefactandam,

& ad noſtram ſtabiliendam proderit. Is itaque quoties de libero Dei arbitrio, & Angelorum, quorum, & Adæ beati, florentíſque parem fuiſſe rationem profitetur Ianſenius, diſputat, petit argumentum ex noſtro libero arbitrio, & eius indifferentia. Ita quippe 1. p. quæſt. 19. artic. 10. quia liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſariò volumus, vel naturali inſtinctu, probat Deum quoque habere liberum arbitrium, quia cùm ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia verò non ex neceſſitate; reſpectu iſtorum, quæ non ex neceſſitate vult, liberum arbitrium habet. idem docet de Angelis quæſt. 59. artic. 3. & quæſt. 60. art. 2. & quæſt. 83. art. 1. de libero hominis arbitrio abſque vlla diuerſâ ſtatuum ratione ſic agit, vt illud in indifferentiâ ponat. & 1. 2. quæſt. 109. artic. 2. 3. 4. 5. eodem modo de homine ſtante, & lapſo diſputat, quoad rationem liberi arbitrij attinet, vúltque in vtroque gratiam ad agendum deſiderari. Si ſinerent perſuaderi ſe Ianſeniani, auctor illis eſſem, vt ad ſcholam cui ſalutem multam dixerunt redirent; nam procul dubio duræ admodùm eſſent ceruicis, ſi apud talem magiſtrum non ſaperent.

CAPVT XVIII.

De merito Adami ſtantis, & lapſi.

ARTICVLVS I.

Explicatur breuiter quid ſit meritum.

REM quæ peruagata ſit in ſcholis, & ab omnibus propè Theologis diſputata, in quàm pauciſſima potero conferam, ne vel meo, vel Lectoris otio abutar, cùm nihil gratiæ, hoc eſt dono gratuito magis oppoſitum ſit, quàm merces ex aliquo iure merito debita, nec Pelagiani vllo nomine de gratiâ peius meriti ſint, quàm cùm eam pro merito vniuſcuiuſque dari cenſuerunt, vt Ianſenij errores in eam

partem,

partem, breuiter quidem ſed efficienter refellam, quid huic voci notionis ſubiectum ſit; quid per illam à Catholicis, præſertímque ab Auguſtino & D. Thoma intelligatur, exponam.

Imprimis meritum tam ſumi poteſt in malam, quàm in bonam partem, ſi minùs preſsè accipiatur. Sed hac prætermiſsâ acceptione, dico, vt bonum eſt, duobus item modis vſurpari poſſe, alterum quidem eſt dignitas quæuis, quæque apud Deum reddat hominem bono altero dignum, etſi is nihil egerit; quo meriti modo, infantes baptiſmi gloria æterna digni eam quoque mereri dicuntur: altero verò, cóque magis proprio, dicitur dignitas in aliquo opere liberi arbitrij bono, quódque Deo acceptum ſit fundata, cui ab ipſo Deo, non quatenùs liberali, ac miſericordi, ſed quatenùs iuſto iudice, bonum in mercedem datur. Omne quippe bonum profectum à Deo homini confertur, vel pro ſola Dei donantis liberalitate, vel pro merito accipientis. Priori modo, gratuitæ beneficentiæ; poſteriori, mercedis, & præmij rationem habet.

Deus quidem pro ſumma, ac ſingulari naturæ ſuæ bonitate beneficus eſt, ſed pro noſtrâ dignitate iuſtus, ſic vt cùm homini facit bene, aliquid in ipſo homine requirat, quo ad bene faciendum inclinetur. ex quo fit vt in iuſtitia duplex bonum contineatur, alterum quod ab homine proficiſcatur, vel in eo exiſtat, nempe meriti dignitas: alterum quod à Deo, ipſa nimirum talis compenſatio dignitatis: quod vtrumque ſibi inuicem ita reſpondet, vt alterum alteri debeatur. Exiſtit enim per opus bonum, quoddam quaſi ius in homine, in ipſa meriti dignitate fundatum, quo Deum ſibi deuinciat, & doni alicuius debitione obliget.

Omne porrò meritum tale eſt, vt in aliquo bono, quod hominem afficiat, eúmque reddat Deo charum, & amabilem, conſtitutum ſit. Neque enim cuiquam bene velle poteſt Deus, niſi illi quem amet, quem autem poſſit amare, niſi bonum? Inde fit, vt cùm amor Dei conciliari minimè queat, niſi ea bonitate, quæ in moribus poſita ſit; bonum illud quod hominem Deo charum efficit, morale eſſe debet,

quod vel in actu, vel habitu poſitum eſt; ſi habitus ſit, virtus eſſe dicitur: & virtutis opus, ſi fuerit actus, quo vtroque fit homo dignus, qui Deo placeat, & ab eo diligatur. Quòd ſi virtus aliqua ſit, vel opus bonum, quod Deo minimè placeat, nec aliqua ſit eius dilectio, de quo iam non diſputo; illud erit eiuſmodi, quod nullam meriti apud Deum rationem præ ſe ferat.

Scio iactari à nonnullis duplex præmij diuini genus, alterum quod temporarium ſit, illúdq; in hujus vitæ commodis poſitum, alterum verò æternum, quod ad vitæ felicis perpetuitatem pertineat. Sed vt doctrinam iſtam non examinem in præſentia, (neque enim vacat) nemo poteſt inficiari quin meritum omne, cuiuſcumque porro rationis ſit, non poſſit à Deo beneficium exprimere, quin priùs eius beneuolentiam conciliauerit. Neque enim credibile eſt, vt tale ſit quod donum exprimat ab inuito, Deúmque cogat ei bene facere, cui non poteſt bene velle.

Prætereà videtur hîc obſeruandum nomen meriti latiùs etiam ab Auguſtino ſumi poſſe, neque tantùm pro bono moris, ſed etiam naturæ, cui ſuum quoque præmium debeat reſpondere. Ita D. Thomas 1. p. quæſt. 21. art. 1. dicitur à Deo iuſto debitum rei, ſecundùm rationem naturæ, & conditionis: qui locus conſuli poteſt, præſertímque in ea parte, qua dicit Deum propriè *debitorem creaturæ non eſſe*, licèt ei debitum reddat, & Deum iuſtum eſſe, ſeu agere ex iuſtitia, *quia tribuit rebus omnibus propria, ſeu ſecundùm vniuſcuiuſque exiſtentiam, dignitatem, & vniuſcuiuſque naturam in proprio ſaluat ordine & virtute.* Item non intelligi iuſtitiam abſque iure, nec iſtud abſque debito. *Id autem vnicuique rei deberi, quod ſuum eſt, ídque ſuum alicuius dici, quod ad ipſum ordinatur, atque ita in nomine debiti importari* quendam ordinem exigentiæ, *vel neceſſitatis alicuius, quæ eſt in ea re ad quam debitum ordinatur.* Hinc concludit *Deum non eſſe debitorem creaturæ, quia ad eam non ordinatur, nec refertur propriè, ſed nihilominus aliquod bonum, quod à Deo ſolo præſtari poteſt, creaturæ debitum eſſe, ſicut pars quæ ad totum ordinatur, accidentia ad ſubſtantiam, & vnaquaque res ad finem ſuum.* Quæ dictata breuiter ex D. Doctore, aliquid lucis ad rem, de qua quæritur,

explicandam afferre poterunt. Nihilominùs tamen Deus in ſenſum valde legitimum debitor præmij dici poteſt, ita videlicet vt reuera alicui quæ priùs anteceſſerit, voluntati ſuæ, tum etiam ſapientiæ atque bonitati manifeſtandæ debitor eſſe videatur.

Verùm vt redeam ad inſtitutum, etſi aliquod naturæ meritum dici poſſit, haud ſcio tamen an quod bonum ei reſpondet, tanquam debitum, à quoquam merces, & præmium dici queat: certè, neſcio quid huic voci ſubiacet ſignificationis, quo meritum moris intelligatur: cùm autem idem ſit id quod pertinet ad mores, atque illud quod liberum eſt, non verò quod ſpontaneum tantùm, ac voluntarium; cùm liberum arbitrium admittat Ianſenius abſque indifferentiâ, certè ſi voluit loqui conſequenter, debuit pari iure admittere meritum quoddam morale, quod non eſſet cum indifferentiâ coniunctum; qua de re quid ſentiat paullò pòſt erit dicendum: ſatis erit in præſenti, ſi dicam nihil prorſus apud D. Thomam meriti rationem habere poſſe, niſi quod cum libertate, & indifferentia, adeóque abſque vlla neceſſitate ipſam voluntatis liberam electionem antecedente fiat. Eatenùs enim homo apud Deum bene, vel malè mereri dicitur, quatenùs ſui iuris eſt, ſuámque habet in poteſtate actionem; quod ſatis patet ex 1. 2. quæſt. 21. articulo 3. vbi ſancti Doctoris ſenſa, dictáque tanquam certi doctrinæ Catholicæ canones haberi poſſunt, adeò cum rectâ fide omnia conſentiunt.

Omne porrò opus bonum, rectum dicitur; laudabile, & mercede dignum. Rectum, quatenùs cum ratione, vel lege æterna conſentiens eſt: laudabile verò, quatenùs liberè fit, éſtque in poteſtate, ac dominio ipſius agentis, qui vi ſuæ voluntatis actus ſui dominus cenſetur. Ex quo fit vt actus naturales non ſint in poteſtate agentis naturalis, cùm natura neceſſitati obſequatur, à qua nihil dignum laudatione proficiſci poteſt, ipſáque adeò voluntas nihil laudabile facere poſſit, niſi prorſus libera ſit, & indifferens.

Actus denique mercede dignus eſt, quatenùs ordinem habet ad bonum alterius, à quo compenſari poſſit; ſic virtutis actus, qui cedit in gloriam Dei, honorem, præmium

Digitized by Google

meretur. Eſt enim iuſtitiæ diuinæ aliquid mercedis dare illi, qui quod agit, illud in Dei bonum, tanquam in vltimum finem referat. In qua operatione boni, quamuis homo tanquam inſtrumentum ad agendum moueatur à Deo, tamen quòd motioni illi non reſiſtat cùm poſſit, ipſe vi propriæ voluntatis & arbitrij mouere ſe cenſetur. Vnde conficio actum hominis mereri apud Deum, cùm aliqua illius dilectio eſt moralis, ſiue libera, profecta nimirum à libero arbitrio illius actus dominium habente, qui ad agẽdum vel non agendum planè ſit indifferens; quod confirmari poteſt ex eodem D. Doctore 1. 2. quæſt. 114. artic. 1. vbi docet mercedem eſſe meriti, vt laboris, vel operis pretium. Cùm verò agens ratione præditus mouet ſeipſum ad bene agendum per liberum arbitrium, ipſius actio non poteſt non eſſe laude digna, adeóque meriti rationem non habere, quod in aliis rebus creatis ex neceſſitatis alicuius vi agentibus locum habere non poteſt, ſicque proinde meritum apud Deum, quia fit opus, quod ad eius gloriam pertineat, hoc eſt ad eius ſummam bonitatem manifeſtandam. Neque enim quidquam aliud boni, aut vtilitatis ex operibus rei creatæ in Deum deriuari poteſt; quod ex attentâ, & diligenti totius iſtius quæſtionis conſideratione poteſt etiam magis intelligi. De meritis malis vnicuique promptum erit ex dictis colligere, quid ſit ſtatuendum.

ARTICVLVS II.

Caluini de merito doctrina explicatur.

CVM Caluinus homini lapſo tollat omne liberum arbitrium ad bonum & malum indifferens, tollit conſequenter omne tam boni quàm mali meriti rationem, quandoquidem alterum ab altero proficiſcitur. Ianſenius verò nonnihil ab eo diuerſus eſt. Aliter enim de libero arbitrio loquitur, quod non tollit omninò quemadmodum Caluinus, ſed aliquod arbitrij figmentum, eius in vicem inducit. Sic enim ſtatuit, diuerſam eſſe debere rationem illius arbitrij, quod in Adamo olim felice, Angeliſque, & illius quod

nunc eſt in homine lapſo, & felicitatis priſtinæ dotibus ſpoliato. Eamobrem tollit interdum à nobis omne meritum bonum, & malum aliud ab eo, quod in Adamo contraximus; interdum, ſed timidè magis, & hæſitanter concedit; mox quoddam aliud, ſed ab eo quo Angelus gloriam meritus eſt, & quo potuit eam mereri Adamus, diſſimile omnino introducit: cauſam vtriuſque audiamus, magiſtri primùm, tum diſcipuli.

Ex multis in quæſtionem propoſitam Caluini ſententiis paucas iſtas, quæ magis præſentis inſtituti ſint, ſelectas propono. Lib 2. de Inſtit. cap. 5. §. 2. *Subiiciunt* (de Catholicis erat illi ſermo) *niſi ex libera electione arbitrij tum virtutes, tum vitia procedunt, non eſſe conſentaneum vt homini vel pœna infligatur, vel præmium impendatur. hoc argumentum etſi Ariſtotelicum eſt, fateor tamen à Chryſoſtomo, & Hieronymo alibi vſurpatum, Pelagianis tamen fuiſſe familiare, nec ipſe Hieronymus diſſimulat, quoties apud Auguſtinum recurrit, non merita noſtra Deum coronare, ſed ſua dona, præmia autem vocari, non quæ meritis noſtris debeantur, ſed quæ gratiis iam collatis retribuantur.... Si omnia accepiſti* (*inquit Apoſtolus*) *quid gloriaris, quaſi ea non acceperis? vides ob idipſum libero arbitrio adimere eum omnia, ne quem meritis locum relinquat; ſed tamen vt inexhauſta, & multiplex eſt Dei beneficentia, ac liberalitas, quas gratias in nos confert, quia noſtras facit, perinde ac noſtras virtutes remuneratur.* §. 14. *Si vnum illud vrgeretur, bona opera noſtra nuncupari, ego viciſſim obiicerem, panem nuncupari noſtrum, quem nobis à Deo dari poſcimus.* Quod repetit in Antidot. ad can. 32. ſeſſ. 6. & in reſp. ad lib. 3 Pigh. p. 167. *Ego voluntaria eſſe bona opera nunquam negaui. at nullas libero arbitrio partes in bonis operibus tribuo, nullas ſanè, niſi vt agat dum agitur, quia per ſe nihil poteſt.*

Illud eſt videlicet vnum ex primariis Ianſenianæ ſcholæ myſteriis bonum in nobis, & in noſtra voluntate fieri à Deo, non verò per liberum arbitrium, ſed per gratiam in libero & cum illo, cum in Adamo bonum fieret, non abſque ope gratiæ, ſed per arbitrium magis, quàm per gratiam. Tunc enim voluntas gratiam ſuapte vi in vſum adhibebat, vt artifex ſuum adhibere ſolet in opus inſtrumentum. Ex quo patet,

Digitized by Google

quàm parũ diſcrepet à Caluino Ianſenius, qui Ariſtotelicum illud idem, & Pelagianum nobis exprobret, quod Catholicis obiiciebat Caluinus, & peræquè ac ille nullas in homine lapſo virtutes, nulla bona opera, quòd omne hominis meritum perierit in Adamo, audacter aſſerat.

Quapropter non gloriabitur Ianſenius id ſibi primò veniſſe in mentem, cùm ſi quid in tam facinoroſo dogmate gloriæ ſit, quod viderint alij, illud Caluino primùm, eiúſque diſcipulis videatur eſſe tribuendum. Quod ſatis patet ex actis ſynodi Dordrac. cùm ſeſſ. 146. p. 426. Eccleſiæ Belgicæ in confeſſ. art. 24. ſic Doctores Caluiniani loquantur. *Faciamus quidem bona opera, ſed neutiquam vt in iis promereamur, (quid enim mereamur) imò potiùs ob bona opera quæ facimus obſtricti Deo ſumus, non autem Deus nobis, ſi quidem ipſe eſt, qui efficit in nobis, vt velimus, & vt perficiamus proprio eius beneplacito .... interim non negamus Deum bona opera remunerari. Verùm gratiæ eſſe dicimus, quòd coronet dona ſua. cæterùm quamuis bona opera faciamus, non tamen ſalutis noſtræ fundamentum in iis collocamus. nullum enim opus facere poſſumus, quod non ſit carnis vitio pollutum, ac proinde pœnis dignum.*

ARTICVLVS III.

Caluino Ianſenius conſentit.

NVLLVS dicendi finis ſit, ſi omnia, quæ in hanc ſententiam à Doctore noſtro dicta ſunt, perſequi velim. Vix enim vllum tam magni operis quod ab eo extat, caput eſſet mihi prætereundum. Quapropter in tam magnâ copiâ cùm nobis optio ſit, quod è re noſtra magis videbitur, illud præſertim erit ſeligendum, vt aliquis tandem modus eſſe poſſit. In calumniis verò, quas cum Caluino nobis imponit, quòd hominem diſcernere ſeipſum velimus, ieiunus eſt adeo, atque inſulſus, vt in ea parte de illo non putem nobis eſſe magnoperè laborandum.

Quapropter iis omiſſis, de ipſius circa rem ſubiectam opinione videamus. Lib. 2. de grat. Chr. cap. 8. diſcrimen duplicis illius auxilij, quod ita venditat, pluribus exequens,

Digitized by Google

effectum eius primarium, *atque ex præcedentibus eſſentialiter connexum* in eo ponit, quod ibi adiutorium ſine quo non, ſeu *ſanitatis datum eſt, vbi homines meritis, hoc eſt, per liberum arbitrium diſcernendi erant; vbi adiutorium quo, per gratiam Dei:* & quod ait meritis ſuis diſcerni, id ibidem ita explicat, vt ſit idem, ac propria arbitrij ſui voluntate, quia tunc gratiæ vſus, & non vſus in arbitrio voluntatis relinquebatur. Eodem cap. 8. addit meritum *adiutorij ſine quo non,* quod erat humanum, nunc eſſe diuinum, quia tunc *ab homine non à gratia proficiſcebatur;* tunc beatitudo *non fuiſſet gratiæ ſpecialis donum, ſed merces meriti: nunc gratis datur. Nemo quippe dixerit id tanquam mercedem dari, quod omnibus modis gratis datur ob repugnantiam mercedis cum gratuita donatione.*

At verò cap. 9. longè minùs diſſimulanter noſtrum omne meritum excludit, hoc vno tanquam præcipuo doctrinæ ſuæ principio conſtituto. *Quod Angeli quantumcumque per gratiam poſſibilitatis, ſeu ſine qua non adiuti per liberum arbitrium in veritate ſteterunt, & primus homo ſtare potuit, quod nunc non poſſumus, quod Adamus per liberum arbitrium habere meritum potuit, nos non poſſumus, quod ipſe meritis diſcernendus erat, nos ſolâ gratiâ diſcernimur.* tum paullò pòſt, *cùm non ſit iuſtitia poſſe velle, vel facere .... ſed ipſum velle, & facere ſit iuſtitia.* Quia Adamus auxilium gratiæ ad influendum applicabat, ídque non erat adiutorij diuini, ſed voluntatis humanæ: idcircò ait tunc *veriſſimè, propriiſſiméque iuſtitiam hominis iuſtitiam humanam, meritum humanum fuiſſe.* At cùm hoc diſcrimen eſſe dicat inter Adamum felicem, & miſerum, de iſto contrarium dici oportere contendit, nec id obſcurè cap. 12. *Cùm Deus per medicinalem gratiam velle largiatur, dando ipſam credendi, orandi, ſperandi, diligendíque voluntatem, tum demum talis actio eſt gratia diuina, non voluntatis humanæ: tunc eſt meritum diuinitùs datum* (ita videlicet Caluinus) *non humana voluntate præſumptum, tunc eſt iuſtitia non noſtra, ſed Dei, non quaſi ſine noſtra voluntate fieret, ſed quia Deus concurrente licèt voluntate, facit, vt fiat, ſicut antea concurrente ſanitatis adiutorio, hoc eſt Adami, vel Angelico, ſufficienti & congruo, voluntas humana faciebat, vt fieret.* Quibus verbis, cùm Aduerſarius ait actionem bonam *non eſſe vo-*

luntatis humanæ, licèt abſque hac non fiat, aliud nihil ſignificat, quàm Deum ſua gratia ita meam voluntatem mouere & agere, perinde ac ſi vel dormientis, vel amentis manu vteter ad ſcribendum, ſcriptio eſſet mea, non verò amentis illius, licèt reipſa id illius manu fieret.

Inde concludit meritum non aliter eſſe meum, quàm quia cùm Chriſti ſit, ab eo deriuatur in me, mihíque, quæ Caluini doctrina eſt, imputatur. Et cap. 26. *Hinc germana ratio intelligitur, cur Auguſtinus omnes penè phraſes, quibus de bonis operibus, & meritis, & perſeuerantia hominum, & Angelorum loquitur, immutauerit: ita vt quæcumque ante lapſum, naturæ humanæ, & voluntatis arbitrio tribuebat, poſt ipſum tribuat ſoli gratiæ Dei, etiam excluſa ſubinde hominis voluntate.*

Curioſus enimuerò obſeruator, qui vel ipſam Auguſtini dicendi rationem, ipſas dictiones exploret; fortè ſi ſe modeſtè, vt debebat, intra grammaticæ fines continuiſſet, res illi cecidiſſet meliùs, nam erat ſatis acutus vt in vocum argutiis exultaret. At operam perdidit ex quo rerum diuinarum cognitioni animum appulit. Neque enim dici poteſt quàm multa, quàm turpiter in ea parte peccauerit fortaſſe non malitiosè; quemadmodum in eo quod obſeruauit de Auguſtino, ſemel & iterum diuinum Doctorem calumniatur, quod quis dicat de induſtria ab eo factum: primò, quòd Auguſtinus meritum Adæ aut Angelorum *ſoli eorum naturæ*, aut voluntati nunquam tribuat, nec noſtrum, ſoli gratiæ; ſed cum Paulo gratiæ mecum, *non mea voluntate excluſa*. Secundum; quòd ſteterit Angelus, liberæ voluntati velit adſcribendum, non gratiæ; nunc verò vice verſa, non *voluntati*, ſed *gratiæ*.

Verùm quod ſemel de meritis bonis inſtituerat, erat illi, pro eâ, quæ rebus in contrariis ſeruari ſolet, ratione, idem conſtituendum de malis, in quo non admodum laborat. Nam quod pro bonis meritis, tribuebat gratiæ illud; pro malis tribuit concupiſcentiæ, cuius vim tantam eſſe vult ad malum, quantam gratiæ ineſſe dicit ad bonum ſuadendum. Quod ex lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 20. & lib. 1. de gra. Chr. cap. 4. ſatis euidens eſt, vbi docet nos iam eodem modo peccare, ac beati Deum diligunt, æqualem eſſe in

vtroque

Digitized by Google

vtroque neceſſitatem. Vnde facilè colligitur à ſimili, quemadmodum amor ille beatus eſt fructus meritorum, nec quicquam præterea meriti habet, ita peccatum noſtrum qualecumque ſit peccati originis, & meriti illius mali, quod in Adamo contraximus, eſſe fructum.

Et in vniuerſum de quouis merito bono, & malo lib. 3. de gr. Chr. cap. 16. hæc habet. *Ex iſto quodammodo liberæ voluntatis arbitrio naſcebatur, vt actiones eius ſiue in bonum, ſiue in malum, ex liberrimo nutu, & flexu proficiſcerentur, vt pote quas neque gratia, neque concupiſcentia quæ nec dum erat exorta libero voluntatis arbitrio donaret, ſed ipſum arbitrium ſibi. Nam iſta gratia non donabat actus voluntati: erat enim adiutorium conſentaneum tantæ libertati, non quo fieret, vt vellet; ſed ſine quo velle non poterat. Et hinc eſt, quod tale arbitrium ſubinde antonomaſticè liberum, & actio eius libera vocari ſolet. Hinc etiam proficiſcebatur, vt actiones eius ſiue bonæ, ſiue malæ, propriiſſimè merita dicerentur, & quod eis reddebatur merces meriti: vt pote quæ purè ex libera voluntate ſponte ſurgerent; neque inuoluerent quicquam gratuitæ donationis in ſeipſis, ſeu ſecundùm ſe, ſed in potentia tantùm, hoc eſt, quatenùs, & liberum arbitrium, & adiutorium potentiale gratiæ ſine quo non, gratis datum fuerat. Nihil etiam inuoluebat pœnæ, vel præmij. Contrarium nunc omninò vſuuenit. Nam & velle, & agere nunc per alterius ordinis gratiam donatur voluntati, omniáque peccata, nunc ſunt ſupplicia præcedentium, quia non ex illa plena libertate, ſed ex animi quadam pœnali cæcitate, & infirmitate naſcuntur, cum quibus in hunc mundum proiecti ſumus*, &c. Nihilominùs tamen lib. 9. de gratia Chr. cap. 10. merita Angelorum, ait ita fuiſſe *merita liberi arbitrij, ac humana*, dicere voluit angelica, *& ſua non quaſi puris naturæ viribus ſine influxu gratiæ ſupernaturalis parerentur*, ſed quia ſecus de homine lapſo dicendum ſtatuit, idcirco negat merita eius eſſe merita *liberi arbitrij humana, id eſt ſua.*

Quare vt ſummatim omnem Aduerſarij doctrinam concludam; Angelus perſeuerans in bono (cuius & Adami ſtantis par ratio fuit) ſtetit per ſe, per liberum arbitrium, & per iſtud, ſuíſque meritis diſcretus eſt ab Angelis lapſis, quia acceptæ à Deo gratiæ *potentialis* applicatio ad actum, non erat

Digitized by Google

adiutorium diuinum, ſed voluntatis humanæ, id eſt, Angelicæ, ſeu naturalis, nec qui perſeuerauit plus adiutorij à Deo, quàm qui lapſus eſt accepit, vt fusè perſequitur lib. illo 9. c. 10. Adami iuſtitia erat veriſſimè, & propriiſſimè humana, & ſua, erat meritum humanum, & ſuum, non Dei, eius actiones bonæ, & malæ ex libero nutu proficiſcebantur, & quia eius arbitrium erat *antonomaſticè* liberum; idcircò eius merita propriiſſimè dicebantur, quia purè ex libera voluntate oriebantur, nec inuoluebant quidquam gratuitæ donationis, ſed tantùm quatenus gratis datum erat liberum arbitrium, & adiutorium poſſibilitatis, adeò vt velit Doctor noſter non magis *adiutorium poſſibilitatis* illud fuiſſe gratuitæ donationis, ſeu gratiam, quàm fuit vel natura ipſa, vel liberum arbitrium, vnde beatitudinem Angeli mercedem non fuiſſe colligit.

Ita nimirum diſputat de donis Angelo, & Adamo in primo beatioris fortunæ gradu poſito conceſſis, nunc verò *contrarium omninò vſuuenit.* Nam peccata noſtra, & mala merita, non ex perfecta libertate, ſed ignorantia, & concupiſcentia oriuntur, & ab illis quodammodo nobis donantur, vt bona merita à Deo: illáque ſunt ſupplicia peccati originalis: idcircò nec bona, nec mala merita ſunt noſtra, noſtríque arbitrij, quia par eſt in vtriſque ratio; nec magis illa peccata nos reos offenſíque numinis perduelles conſtituunt reatu proprio, & perſonali, quàm ignorantiæ ipſius, & concupiſcentiæ habitus ex doctrina Auguſtini reos efficit eos, qui nondum per baptiſmum purgati ſunt. At omiſſis malis, quæ merita bona nobis tribui ſolent, non noſtra ſunt, ſed Dei, non partim gratiæ, partim humanę voluntatis, ſed ſolius duntaxat gratiæ; quippe quæ à Chriſto nobis imputentur, ſoli inquam gratiæ tribuenda, excluſa noſtra voluntate, quia non vt illa *Adamica*, ex libero nutu noſtro proficiſcuntur, nec ſunt propriiſſimè merita, quod non purè ex libera voluntate naſcuntur; adeovt beatitudo, quæ qualiumcumque meritorum merces dicitur, non ſit propriiſſimè, nec veriſſimè merces, ſed gratuitæ donationis, vt pote quæ modis omnibus gratis datur.

Ita fermè rationes inſtituit aduerſarius. Ita ſingula ad amuſſim ſuam exigit. Quòd ſi reuera gratia, ſeu gratuitum

donum cum merito, & mercede ſic repugnat, vt dicit: ſi gratia, quia non in radice modò, vel certa aliqua ratione, ſed omnibus modis gratis datur, nullo pacto merces cenſeri debet, de ipſa quoque beatitudine, quæ ex illius opinione planè gratuita eſt, idem erit ſtatuendum; adeóque ſi merces interdum nuncupetur, id ille cenſet abuſione vocis fieri & eſſe catachreſim, vt cum pleriſque aliis hæreticis Bucerus apud Bellarminum l. 5. de iuſtificatione cap. 2. contendit

ARTICVLVS IV.

Ianſenij de hominis merito doctrina à Conciliis damnatur.

ITA plenus eſt animorum, præſidénſq; ſui Doctor Iprenſis, vt de cauſa obtinendâ non deſperaret, ſi Patres Trident. non haberet ſibi repugnantes. Sed quid faciat homo adeò nihili aduerſus tot grauiſſimos, illuſtriſſimóſque totius Eccleſiæ Catholicæ viros, aut quid ſperet? Non ignoro quantùm negotij faceſſat illi Tridentinum. Quæ cauſa eſt, cur illi hoc imprimis Concilium oppono; vbi priùs admonuero, quod Theologi meritum congruum vulgò nuncupant, illud à Patribus Tridentinis non meritum, ſed diſpoſitionem ad iuſtificationis gratiam dici ſolere, adeò vt ab illis ſeſſ. 6. cap. 8. *Nos gratis iuſtificari dicamur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur,* licèt ab iſtis Patribus eædem conditiones ponantur in his diſpoſitionibus, quæ in merito congruo, nimirum bonitas aliqua moralis, quæ ad Deum ordinem habeat; ſitque aliqua initialis eius dilectio, & libera cooperatio cum gratia præueniente & adiuuante, vt patet ex cap. 5. vbi peccatores gratiæ excitanti, & adiuuanti liberè aſſentiendo, & cooperando ad ſuam ipſorum iuſtificationem diſponi dicuntur. Quamobrem quod Patres in bonis operibus noſtris meritum agnoſcunt, condignum illud preſsè, & ſimpliciter dictum meritum intelligunt.

De iuſtitia verò hominis iuſti in hanc fermè ſententiam loquuntur in illa ſeſſ. 6. cap. 5. & 7. & can. 3. 4. 9. 10. & 11.

Digitized by Google

Vt iuſtitia, quâ ſibi inhærente, & receptâ donatus homo, non modò reputatur, ſed verè iuſtus nominatur, & eſt, Dei, Chriſtique iuſtitia ſit, eadémque hominis ipſius iuſtificati. Ac Dei quidem, illa eſt, quia ipſe eſt, qui iuſtitiam, virtutéſque, ac nominatim charitatem per Spiritum ſanctum in corde hominis diffundit: eadem verò Chriſti iuſtitia eſt, quia illam paſſione ſua promeritus eſt, eiuſdem mortis fructus, ac merces eſt, per ipſummet homini donatur, ac demum per charitatem, iuſtificationíſque gratiam homo iuſtus perfectè Chriſto vnitur, & viuum eius membrum efficitur. Eadem denique iuſtitia eſt hominis ipſius iuſti, non ſolùm quia inhærens eum formaliter iuſtum efficit, verùm etiam quia ſi adultus eſt, qui iuſtificatur, illam accipit ſecundùm propriam diſpoſitionem, & cooperationem, ſeu quo voluntatis ſuæ motu gratiæ excitanti, & adiuuanti liberè aſſentitur, & cooperatur, eodem ad ſuam iuſtificationem ſe præparat, & diſponit; ita vt Deo cor ſuum tangente per Spiritus ſancti illuminationem, neque ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vt enim can. 4. habetur, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperatur aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, ita vt diſſentire poſſit, ſi velit.

Ex quibus efficio iuſtitiam qua iuſtus ſum tam eſſe meam, quàm qua ſua pollens integritate Adamus iuſtus erat, illius fuit. Is enim, licèt fortè abſque Chriſti meritis, iuſtitiam vt à Deo, ſic ego accepi, non alias, quàm quas habeo fidei, ſpei, charitatis, vt declarabitur ſuo loco, virtutes recepit: quam porrò ſuo infelici fato fecit diuinorum munerum, & Spiritus ſancti, quo ſecum inhabitante ſanctus erat, iacturam, illam habeo ſingulari Chriſti beneficentia reparatam; adeò vt nec niſi per eundem ſpiritum, eandémque iuſtificationis gratiam quam perdiderat, iuſtus vel eſſe, vel dici poſſim: ſi per liberum arbitrium cum gratiæ adiutorio, ſine quo non, Adamus ſuæ iuſtificationi aliquam operã dedit, cur idem illud & mihi non licuerit. Quid enim eſt aliud, abſque gratia Dei

me libera mea voluntate moueri ad iuſtitiam non poſſe, quàm iuuari me gratia ſine qua non mouere me poſſem; per liberam voluntatem meam mouere me, diſponere me, præparare, liberè aſſentiri gratiæ, & cooperari?

Pleniſſimum eſt igitur & vanitatis, & erroris commentum, quod Aduerſarius ait, Adamo datum adiutorium, non *quo* ſed *ſine quo non*, cum quo, non per quod bene ageret, non tam cum libero arbitrio, quàm per ipſum; nos autem vt iam comparati ſumus, non iuſtos fieri per liberum arbitrium, ſed non ſine eo per ſolam gratiam. Vos enim hîc conteſtor quotquot eſtis Latinitatis non inſcientes, aut ſi mauis Corneli, ad vocum iudices, & arbitros rem deferamus, rogemúſque, num idẽ omnino ſit, & mouere me libera voluntate, & per liberam voluntatem me mouere, & non ſine gratia, ac cum gratia ſine qua non me mouerem? Næ mirificè argutus eſt Ianſenius, qui voces inter vſquequaque ſimillimas, tantùm diſſimilitudinis eſſe compererit.

Quòd ſi gratia præueniens, ad opus bonum me excitat, ſi iuuat ſecum operantem; quis idem & Angelo, & Adamo contigiſſe neget, quos non ſola excitante gratia, verùm etiam auxilio eius tam habituali, quàm actuali conſtat indiguiſſe? Eò etiam accedit, quod nec Angelus, nec Adamus magis liberè gratiæ excitanti, & iuuanti conſenſerint, quàm ego, qui in ea recipienda quidpiam ago, quíque ita lumen Spiritus ſancti, motionémque recipio, vt eam & reiicere poſſim, & ita Deo excitanti, vocantíque aſſentior, vt ſi velim, diſſentire poſſim.

De merito verò quod humanum ſit, ſeu hominis, & peræquè meum, quàm meritum Adami, illius fuit: habetur ex eodem Conc. ſeſſ.6. c.16. & can.24.26. & 32. Notandum eſt verò dicere me, meritum tam meum eſſe, quàm Adami fuit illud, quod innocens purúſque animi habuit, non verò quale ab Aduerſario tribuitur Angelo, & Adamo; quas enim partes in Angelorum merito tribuit libero arbitrio, & quas gratiæ diuinæ relinquit, modò non quæro, cùm mihi ſit in animo demonſtrare paulò pòſt, eius doctrinam hac in parte prorſus eſſe Pelagianam. Nunc verò cùm opus bonum, quod ego cùm iuſtus ſum, Deo acceptum, placitúmque fa-

cio, æquè mihi ſit liberum, ac fuit Adamo illud quod fecit, nec minùs Adamus in eo gratiæ diuinæ ope tam actuali, quàm habituali indiguerit, quàm modò indigeam, nec fecerit ille quicquam boni, niſi & motus à Deo, & Spiritus ſancti auxilio communitus. Quapropter nemini iam dubium videri debet, quàm turpiter vnà Caluinus, & Ianſenius errauerint, qui nobis omne meritum negare moliti ſint, aut ſi quod relinquere videantur, illud cum *Adamico* comparatum non propriè dictum eſſe velint.

Verùm cùm abundè ſit in Patribus Tridentinis, vnde manifeſtiſſimæ falſitatis reuinci poſſint; eorum iterum ſuper ea re decretum audiamus. Sic enim illi ſeſſ. 6. capite 24. Bona opera noſtra iuſtificationis acceptæ, non modò ſigna ſunt, verùm etiam ipſius augendæ cauſa, moralis videlicet, & meritoria: tum can. 26. Iuſti debent pro bonis operibus in Deo, factis expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo per eius miſericordiam, & Ieſu Chriſti meritum, adeo vt nec Dei miſericordia, nec Chriſti meritum impediat, quò minùs æterna retributio iuſto detur pro bonis eius operibus, retributio, inquam, & merces debita. Et can. 32. hominis iuſtificati opera, ita Dei dona eſſe dicuntur, vt ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita. Fortaſſe & illud te prætererat, mi Corneli? credo; nam non videtur probabile, te contra tam manifeſtam Concilij declarationem dicere voluiſſe. Quapropter quod eadem Dei dona eſſe etiam iuſti hominis merita, meritúmque hominis negabas quod eſt Dei; & è contrario quod Adami meritum contendebas humanum eſſe, non diuinum, neſciebas quid à Patribus congregatis ſuper ea re definitum erat? Nam procul dubio maioris momenti fuiſſet apud te, vt eſſe debebat, illorum auctoritas. Nec ſi diuinum donum eſſe noſtrum meritum, decretum ab illis intellexiſſes, vnquam veniſſet tibi in mentem id negare. Quod autem addit Synodus ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; opinor, ſi audias, non repugnabis.

Digitized by Google

Tum deinde cap. 16. idem multis Scripturæ locis confirmatur, vbi ſingularem Dei iuſtitiam ab impiorum criminationibus Concilium vindicat, oſtendítque quòd Deus non iniuſtus ſit, vt obliuiſcatur operis, & dilectionis quæ oſtenditur in nomine ipſius: & vitam æternam proponendam eſſe, tanquam mercedem bonis operibus, & meritis, & tanquam coronam iuſtitiæ à iuſto iudice fideliter reddendam. In quibus memorandis nunquam profectò tam multi fuiſſent Patres congregati, neque de aſſerenda Dei per meritæ mercedis debitionem iuſtitiâ tanto laboraſſent opere, niſi quidpiam meritorum ineſſe nobis exiſtimaſſent. Addit verò nihil ampliùs iuſtificatis deeſſe, quò minùs plenè operibus in Deo factis diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam promeruiſſe cenſeantur. Quibus nihil dici poteſt ad explicandam meriti rationem magis idoneum. Video quid ab imperitis dici poſſit, quod cùm meritum ſit in nobis per iuſtitiam non noſtram, ſed infuſam à Deo, adeóque aliunde acceptam. id verò noſtrum non eſſe. Sed nimis acutus eſt Aduerſarius, vt hoc opponat; cùm ipſe Angelorum, & Adami meritum, quod ſolum inducit, deſtrueret. Nec enim iuſtitia Angeli, aut Adami minùs erat à Deo quàm noſtra, ſi quippe quod à Deo conceſſum eſt, non poſſit dici noſtrum, vereor, vt aut Angelus, aut Adamus iuſtus dici meritò queat.

Sed ad Concilium Tridentinum, quod ad labefactandam Aduerſarij doctrinam videtur quodammodo inſtitutum, poteſt accedere & Arauſicanum ſecundum, cuius hæ voces ſunt can. 19. hócque decretum. *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Quibus verbis manifeſtiſſimum continetur diſcrimen mercedem inter & gratiam, cùm illa debeatur, iſta minimè, hæc præcedat, illa conſequatur. Quod enim ex operibus eſt, gratia non eſt, & ſi gratia ſit, iam non ex operibus; alioqui gratia iam non eſt gratia, vt habet Apoſtolus Rom. 11. quod ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Rom. 4. quod ibidem lect. 1. ſic explicat D. Thomas, vt velit ei qui operatur opera iuſtitiæ, mercedem æternæ retributionis non ſecundùm

gratiam tum reputari, ſed ſecundùm debitum reddi.

Quod verò cap. 6. gratia Dei vita æterna dicitur, ſubiicit D. Doctor, ſi opera conſiderantur ſecundùm principium ſuum, prout ſcilicet ex impulſu Dei aguntur, & ſecundùm propoſitum Dei prædeſtinantis, illis deberi mercedem ſuprà dictam ſecundùm debitum; à quo diſcrepat omninò Ianſenius. Negat enim meritum eſſe hominis iuſtificati, & huic deberi mercedem propriam vt ſuam, quia non niſi Spiritu Dei actus opus bonum agit, éſtque deſtinatus ad gloriam gratis, & ſecundùm propoſitum. Pugnant inter ſe Aquinas, Iprenſis; vter vincat?

Sed, vt dicam quid ad extremum, quo meriti noſtri rationem, cum Adami merito planè ſimilem eſſe oſtendam, id in promptu eſt apud Apoſt. Roman. 6. ex quo loco colligi poteſt me vitam æternam eo modo mereri poſſe, quo integritate ſua meritus fuiſſet Adam. Sic enim Apoſtolus eo loci. *Stipendia peccati mors, gratia autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro:* Si id eam in partem accipiatur, in quam à SS. Patribus vulgò accipi ſolet. Quod enim mors peccati ſtipendium eſt, ſeu merces meriti mali, non poteſt aliud peccatum quàm originale, nec aliud meritum quàm Adamicum intelligi. Sed quemadmodum mors eſt merces illius meriti Adamici, ita vita æterna eſt merces boni operis facti per gratiam Ieſu Chriſti; Ita videlicet Diuus Thomas in illud caput lect. 4. Hoc ipſum, inquit, quod bonum operamur, & quod opus noſtrum dignum cenſetur vitâ æternâ; profluit à gratia Dei. Ita demùm omnes Patres ij, qui hunc Apoſtoli locum ſunt interpretati. Vnum ex omnibus, cuius auctoritas plus valeat apud Aduerſarium, profero Auguſtinum.

ARTICVLVS V.

Auguſtinus meritum noſtrum idem eſſe voluit, ac meritum Adami.

VT minùs perturbatè ipſius Auguſtini teſtimoniis refutetur Ianſenius, memoria repetendum eſt, quod ab illo ſuper inſtituta quæſtione traditum fuit, nullum eſſe me-

meritum humanum, quia diuinum eſt, nec meritum Adæ eſſe diuinum, quod erat humanum. Sic negat idem meritum poſſe eſſe hominis, & Dei, gratiæ, & liberi arbitrij, adeóque diuinum ſimul, & humanum. Tum addit opus Adæ bonum factum eſſe per liberum arbitrium cum gratia: nec enim ſine gratia fieri poterat; quod verò fit à nobis, per gratiam, non per liberum arbitrium fieri, ſed cum illo, ſine quo fieri minimè poteſt: vno verbo vices in vtroque ſtatu eſſe mutandas, ita vt quod de altero dicatur, de altero ſecùs ſit habendum: poſtremò vitam æternam, quæ maximè dici ſolet merces iuſtitiæ noſtræ, *modis omnibus gratis dari*, adeóque nullo modo ex operibus, & merces appellari poteſt; merces enim, ipſo Ianſenio auctore cum gratuita donatione repugnat. Quapropter vt quod modis omnibus calidum eſt, nulla prorſus ratione frigidũ dici poteſt, ita quod omnibus modis gratis datur, nullo prorſus modo merces, & ex operibus eſſe poteſt. Nec omittendum electos à Ianſenio, per ſolam gratiam diſcerni à non electis: & quia iuſtitia eſt velle, & facere, eam ob rem quæ erat in Adamo, ea humana, & hominis erat iuſtitia. nunc verò, vt iam ſumus affecti, id dici non poteſt, cùm iuſtitia Dei ſit, non hominis; gratiæ, non voluntatis humanæ, quia eadem iuſtitia, Dei ſimul & hominis, gratiæ, & voluntatis humanæ eſſe non poteſt. Vnde factum, inquit, *vt quacumque Auguſtinus ante lapſum, natura humana, & voluntati tribuebat, poſt ipſum tribuat ſoli gratia Dei, etiam excluſa ſubinde hominis voluntate.*

Hîc non requiram Corneli, vt verè, candidéque agas, quod homini etiam non Chriſtiano erat ſponte faciendum; ſed rogabo tantùm ne tam impudenter imponas Auguſtino, cuius te defenſorem ambitioſè præ te fers. Nam qui ſunt porrò futuri de te, tuáque doctrina apud omnes bonos, ſenſus? qui ſermones, cùm audient traductum à te malitioſè eum, quem in ſpeciem ita commendabas? Certè ſi qua candoris, ſinceritatíſque cura tibi fuiſſet, erat parcendum Auguſtino, vel certè non abutendum illius nomine, & auctoritate, vt ſimplicibus illuderes. At non ſinam te impunè tam impudenter mendacem; ſed Auguſtinum ab ea, quam illi falsò imponis opinione vindicabo. Vide

ipſe, tuam enim appello conſcientiam; quantùm ab ea mente, quam ei tribuis, alienus ſit.

Sic habet nimirùm in Pſalm. 88. ſub finem. *Dominus indulgentiam donauit, coronam reddet, donator eſt indulgentiæ, debitor coronæ.* Vnde porro illa debitio, niſi meriti quidpiam ſit, quod præcedat? ſed eſt aliud vnde te vincam. Lib. quippe de correptione, & gratia, cap. 13. longè aliter vitam æternam dici gratiam declarat Auguſtinus, quàm ipſam gratiam, quæ ſine vllis meritis datur. *Verumtamen* (inquit) *quia & ipſa vita æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tanto Apoſtolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ſine vlla dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia ſuis meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippe ipſa intelligitur, quæ in Euangelio legitur, gratia pro gratia, id eſt, pro his meritis, quæ contulit gratia.*

Neque verò, quod gratia confert homini merita, idcirco dicendum, eſt, non eſſe hominis, ſed Dei, quod ita iactatur à Ianſenio. Idem enim Auguſt. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 6. explicans locum illum Pauli 2. ad Timoth. c. 4. *Bonum certamen* &c. *Iſta vtique iam merita ſua bona commemorat, vt poſt bona merita conſequatur coronam, qui poſt merita mala, conſequutus eſt gratiam. Denique attendite quid loquatur. Supereſt, inquit, mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex: cui redderet coronam iuſtus iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? Et quomodo eſſet iſta corona iuſtitiæ, niſi præceſſiſſet gratia, quæ iuſtificat impium? Quomodo iſta debita redderetur, niſi priùs illa gratuita donaretur? Sed cùm dicant Pelagiani, hanc eſſe ſolam non ſecundùm merita noſtra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam verò quæ datur in fine, id eſt, æternam vitam, meritis noſtris præcedentibus reddi: reſpondendum eſt eis. Si enim merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa Dei dona eſſe cognoſcerent, non eſſet iſta reprobanda ſententia. Quoniam verò merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus: Quis enim te diſcernit? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Prorſus talia cogitanti veriſſimè dicitur. Dona ſua coronat Deus, non merita tua, ſi tibi à teipſo, non ab illo ſunt merita tua; hæc enim ſi talia ſunt, mala ſunt.* Et capite 7. *Si ergo*

Digitized by Google

Dei dona ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, ſed tanquam dona ſua. Quod Ianſenio faucre ſi credis, audi quomodo merita tua non eſſe ait: *Videamus,* inquit, *vtrum merita Pauli, tanquam ipſius, id eſt, ex ipſo ei comparata, an dona ſint Dei:* & probat ita eſſe Pauli, vt ſimul ſint dona Dei: *primò quia iſta bona opera, ſi non ea præceſſiſſent cogitationes bonæ, nulla eſſent.* Secundò, quia Paulus certauit virtute quæ illi non ex ipſomet, ſed deſuper data fuit. Tertiò, quia cùm nihil proſit bonum certamen, niſi ſequatur victoria, hanc Deus dat per I. C. & cætera quæ ibi enumerat. Et quod ait Paulus, *non ex operibus, ne quis extollatur,* ſic ille explicat: *Non quia,* inquit, *negauit, aut euacuauit opera bona, cùm dicat Deum vnicuique reddere ſecundùm opera eius: ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fidei, ac per hoc ab illo ſunt nobis opera iuſtitiæ, à quo eſt ipſa fides.... Quia & ipſa bona opera nobis ex Deo ſunt, à quo nobis & fides eſt, & dilectio; propterea idem ipſe Doctor gentium, etiam ipſam vitam æternam, gratiam nuncupauit.* Et c. 8. verſat diligēter quæſtionem *hanc non paruā,* ſi vita æterna bonis operibus redditur, quomodo gratia eſt vita æterna? Et tandem eam ita concludit. *Iſta quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolui, niſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiā pertinere: Quia ſine me nihil poteſtis facere. Et, gratia ſalui facti eſtis per fidē, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt... nóſque ipſius figmentum ſumus.* Ac demum: *Non ex operibus tāquam tuis ex teipſo exiſtentibus, ſed tanquam in quibus te Deus finxit,* id eſt, *formauit & creauit. Fingimur autem, id eſt, formamur & creamur in operibus bonis, quæ non præparauimus nos, ſed præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Itaq; *fratres chariſſimi, ſi vita bona noſtra nihil aliud eſt, quàm Dei gratia: ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia eſt, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia. Vt verum ſit, quoniam verum eſt, quia reddet vnicuique Deus ſecundùm opera eius.* Et cap. 9. ait: *Cùm Apoſtolus poſſet dicere, & rectè dicere. Stipendium autem iuſtitiæ vita æterna: maluit dicere: gratia autem Dei vita æterna: vt hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vi-*

tam, ſed pro ſua miſeratione perducere. Vis iterum intelligere quonam modo Auguſtinus merita tua, eadem & non tua, nec propria eſſe velit, lege homil. 14. & ad hæc ibidem dicta attende. Quomodo Chriſtus patientiam Martyrum fuiſſe dicat, explicans. *Non eſſet*, inquit, *patientia tua, ſi non eſſet ibi & voluntas tua. In veſtra patientia: ſed vnde veſtra? Noſtrum eſt, quod à nobis habetur: noſtrum eſt, & quod nobis donatur. Quomodo enim aliquid donas, niſi vt eius ſit, cui donas?... Patientia mea ab ipſo eſt. Tuum fecit donando, noli ingratus eſſe tibi aſſignando... Quotidie dicimus, Panem noſtrum quotidianum. Iam dixiſti, noſtrum, & dicis, da nobis. Ecce noſtrum, ecce da nobis. Illo dante fit noſtrum: ſi illo dante fit noſtrum, nobis ſuperbientibus fit alienum.... Reddet mihi Dominus coronam iuſtus iudex. Debet ergo quod reddit. Reddet ergo iuſtus iudex. Non enim opere inſpecto poteſt negare mercedem, qui opus inſpicit... Da veniam Apoſtole, propria tua non noui, niſi mala.... Prorsùs tua à te tibi parata non nouimus, niſi mala. Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat niſi dona ſua.* Audis, Ianſeni, non eſſe propria merita bona tua, quia à te tibi parata non ſunt: quæ verò Deo dante accipis, ea tua eſſe, non ſolùm quia in te ſunt, quemadmodum gratia quæ te præueniens afficit, ſed quia in illis meritis, & operibus bonis eſt & voluntas tua, eáque tu in poteſtate tua habes; quippe qui ea facis, quia vis, itáque vis, vt poſſis non velle ea, nec facere. Nec enim aliter quidquam in voluntate tua te habere Auguſtinus docet.

Ex quibus vnicuique facile eſt colligere, Primò, eadem merita rectè dici poſſe & hominis merita, & Dei dona quod ſi quando fit vt non hominis merita dicantur, non eam ob rem fieri, quod per liberum hominis arbitrium non fiat, ſed quia per ſe ſe non habet, vt quicquam quod ad æternam vitam ſpectet, mereri poſſit; cùm nec in poteſtate habeat id vt cogitet, ex quo meritũ conſequatur: tum verò quod abſque ope diuinâ, ad quiduis agendum ineptus ſit: poſtremò quod à fide, & charitate, quæ dona ſunt diuinæ largitatis non facultatis humanæ, meriti omne principium, tanquam à ſuo fonte ſit repetendum.

Secundò, colligi promptum, quæ de merito hominis dicta ſunt, de meritis Angelorum accommodatè dici poſſe, ſi

vnam peccati remiſſionem, quæ in Angelos minimè cadit, exceperis. Nec enim abſque gratiæ præſidio quicquam boni poteſt Angelus; vel abſque fide, & dilectione, quod vtrumque cùm à Deo manet, id non habet in ſe poſitum. Neque verò, quem occupauerit diuina gratia, is continenter bonum opus operabitur, niſi eâdem Dei gratiâ iuuetur: adeóque quidquid habet meritorum, illud habet non à ſe, ſed à gratiâ, quæ totum illi dat vnde mereri poſſit, Deóque operante faciat, quod ille facit, ſic vt ab ipſo, per ipſum, & in ipſo ſint omnia Angeli bona; alioqui hoc teſtimonio perperam vteretur Auguſtinus, vt explicaret quomodo noſtra bona ex Dei gratia proficiſcantur. Quòd ſi ex Deo, & per Deum egit Angelus, planè abſurdus eſt Ianſenius, qui neget Angelum per gratiam, in primo felicitatis gradu conſtitiſſe, de quo nobis erit locus dicendi. Quòd autem illud ex ipſo, & per ipſum Auguſtinus de gratia præſertim intelligat, patet ex ſerm. 11. de verbis Apoſt. vbi ſic loquitur, *quoniam ex ipſo*, &c. quæ vtique non cohærent *niſi omnia bona, ab illo accipimus, & accipimus, vt boni ſimus.*

Quòd porro Ianſenius negat, nos per liberum arbitrium cum gratiæ auxilio bonum facere, dignus eſt qui meritò caſtigetur: cùm ita repugnet Auguſtino, qui tum alibi paſſim, tum potiſſimùm in illius lib. de gratia & lib. arbit. cap. 9. diſertè ait *debere nos per liberum arbitrium non mala facere, & facere bona.* Et quod ait Chriſtus *ſine me nihil poteſtis facere.* Sed nî fallor, idem eſt, ac ſi dicat, mecum & cum auxilio meo poteſtis; quo ſi fueritis deſtituti, nihil eſt quod poſſe vos quicquam ſperetis. Habeo igitur vtrumque quod negabatur ab aduerſario, videlicet, & mihi dari auxilium gratiæ Chriſti, ſine quo non operor, & cum quo, nec tantùm per quod operor, & me per liberum arbitrium gratia munitum, & cum gratia & Deo mecum agente, bonum operari.

Quibus etiam adiungi poſſunt ea quæ idem Auguſtinus epiſt. 105 habet. *Cùm Apoſtolus dixiſſet ſtipendium peccati, mors, quis non congruentiſſimè, & conſequenter addere iudicaret: ſtipendium autem iuſtitiæ vita æterna? Et verum eſt: quia ſicut merito peccati tãquam ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna. Aut ſi nollet dicere, iuſtitiæ, dice-*

ret fidei: vnde etiam merces appellatur plurimis ſanctarũ Scripturarum locis: nuſquam porrò dicta eſt merces iuſtitia, vel fides, quia iuſtitiæ vel fidei redditur merces ... Quapropter vita æterna iuſtitiæ quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt & ipſa iuſtitia, tibi enim tanquam debita redderetur ſi ex te tibi eſſet iuſtitia cui debetur ..... hoc enim ſalubrius fides credit, quia nihil verius inuenit. Proculdubio ſi Auguſtinum Iprenſem conſulere potuiſſet noſter Auguſtinus, nunquam id dicere auſus eſſet, quod etſi gratiam Angelus non habeat ex ſeipſo, aut per ſe ipſum, nec verò in ſeipſo, víque ſua illam conſeruans, ſed ex Deo, ex quo, per quem & in quo ſunt omnia, etſi iuſtitia non eſſet Angelo niſi à Deo, nihilominùs Angelum habere iuſtitiam ſuam, non Dei; meritum ſuum, non diuinum, per ſe & per liberum arbitrium facere bonum, non per gratiam, licèt non ſine hac præſente, non tamen adiuuante.

ARTICVLVS VI.

Janſenius refutatur ex iiſdem Auguſtini teſtimoniis quæ pro ſe affert.

NON mirum eſt ſubornatos teſtes adhiberi ab Aduerſario, ſic enim in cauſa parum fauorabili ab hominibus litigioſis vulgò fieri ſolet: ſed hoc mirum, quod tam nauiter impudens ſit, vt in falſo ſubornatóque teſtimonio prædicando commendandóque fas omne violet. Nam quid opus fuit tantâ, támque inſolenti noui dogmatis oſtentatione, ſi in Auguſtini mente, aliorſum acceptâ, erat fundandum? Quorſum fundamentum ipſum doctrinæ, oportuit ita iactanter efferri, ſi falſum? Neq; enim ſatis dici poteſt, quàm crebrò, quàm magnificè triplex illud lib. de correp. & gr. caput prædicet, quàm audacter ibi totam de gratia doctrinam contineri aſſeueret. Adeò vt videatur ſibi ex hoc loco arcem inſtruere voluiſſe omnibus præſidiis munitiſſimam, quæ quoſlibet belli impetus & impreſſiones vi ſua ac firmitate ſuſtineret. Cùm enim ſanctus Auguſtinus cap. 10. dicat *diabolum per liberum arbitrium à Domino refugam factum fuiſſe, cæteros verò per ipſum liberum arbitrium in veritate ſtetiſſe,* Ian-

Digitized by Google

ſenius idem de Adamo, eâdem planè ratione ſtatuit eſſe dicendum, & in eo multùm ineſſe putat roboris, & præſidij ad doctrinæ ſuæ defenſionem.

At Auguſtinus capite vndecimo, vt explicet quàm noſtra gratia ſit diſſimilis ab ea, quæ fuit in Adamo, affert gratiam, qua Chriſtus ipſe factus eſt Chriſtus, quam veluti & eius prædeſtinationem, tanquam gratiæ, & prædeſtinationis noſtræ exemplum proponit. Ait autem Chriſtum per liberum arbitrium bene laudabilitérque vixiſſe, neque tamen meruiſſe vt eſſet Dei filius, *Nec*, inquit, *erat metuendum, ne per liberum voluntatis peccaret arbitrium.* Quod haud dubiè non diceret Auguſtinus, neque ita loqueretur, niſi crediдiſſet, Chriſtum etiam recepta gratiâ quæ noſtræ exemplar eſt, non tantùm, cum arbitrio ſuo, verùm etiam per illud, feciſſe bonum. Ibidem verò addit, Adamum gratiam habuiſſe ſine qua *etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet*: ſupponebat videlicet illum non tantùm per liberum arbitrium, ſed etiam cum illo agere potuiſſe. *Non deerat*, inquit, *Adamo adiutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeueranter bonum tenere quod vellet.* Eſt ergo idem auxilium, & per quod, & ſine quo non, ſeu, cum quo potuit Adamus perſeuerare. *Eſt*, inquit, *in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeueranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo: vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.*

Ecquod porrò iſtud vnum fuit in Adamo? Nonne quòd per gratiam bonum recepit, ſeu in bono recipiendo potuit quod voluit: non autem alterum, quod eſt, perſeueranter illud tenere? Adam igitur per acceptam à Deo gratiam, & non tantùm cum ea, per ſolum liberum arbitrium bonus fuit. Tum verò cap. 12. habet, ſanctos liberatione Chriſti habere liberum *arbitrium quo ſeruiant Deo.* At nónne idem eſt libero arbitrio, & per illud, Deo ſeruire? credo non negabis Corneli, qui in Auguſto ita ſis verſatus. Nam ſtatim veniret tibi in memoriam quod ait cap. 13. nos peruenire ad gratiam Chriſti *qua piè viuitur.* Si enim gratiâ piè viuere, idem ſit, ac per gratiam piè viuere, cur non idem erit, libero arbitrio, & per liberum arbitrium ſeruire Deo? Puerilis eſt igitur, & ri-

diculus Aduerſarius, qui nos modò vult ita cũ libero arbitrio ſeruire Deo, & piè viuere, vt per illud id à nobis fieri neget. Nónne qui nos per liberum arbitrium liberatum Dei gratia piè viuere dicit, idem ait malos *per liberum arbitrium non liberatum alia inſuper peccata addere hæreditario*, ita vt non ſolùm peccatum originale, verùm etiam cætera alia, ingraueſcente quantumuis infirmitate & cupiditate vrgente fiant per liberum arbitrium?

Sed vt hæc omnia nullam vim apud Ianſenium habitura ſint; certè non video quam in partem accepturus ſit, quod lib. de gra. & lib. arb. cap. 2. habetur; quod clarius eſt, quàm vt eius aciem nõ feriat. Nos quippe habere liberum arbitrium, *quo præcepta facientes ad promiſſa præmia perueniamus*, ſi Cornelius noſter tantam vim ponit in adiutorio illo ſuo, *quo* præcepta facimus, intelligat nos habere quoq; liberum arbitriũ *quo* eadem faciamus; neq; hîc cenſuerim omittendum, quod eſt vel maximè è re noſtra, arbitrium illud ſtatui indifferens. Ait enim diuinus Doctor dúxque noſter, apertiſſimè ſignificatum pleriſque locis illis, quibus homo dicitur relictus in manu conſilij, & ei apponi ignis, & aqua; vita & mors, neque nos habere *neceſſitatem, ſed poteſtatem voluntatis noſtræ.*

Vt verò breuitati magis conſultum ſit, vnus locus Auguſt. ex lib. 22. de Ciu. Dei cap. 30. petitus, erit nobis inſtar omnium aliorum, qui in hanc ſententiam apud eum propè ſunt infiniti. Si aduertat aciem ſuam Ianſenius, procul dubio ſentiet Auguſtinum, noſtrum liberum arbitrium non abſimile arbitrio Adami conſtituere, pro merito bono habendo. Duplex enim ſtatuit arbitrium, alterum beatorum, quod ait eſſe *magis liberum, quia à delectatione peccandi, vſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem, liberatum eſt*; alterum verò noſtrum eſt, de quo ſic loquitur: *Nam primum arbitrium quod homini datum eſt, quando primùm creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare: hoc autem nouiſſimum eò potentius erit, quò peccare non poterit: verùm hoc quoque Dei munere, non ſuæ poſſibilitate naturæ. Aliud eſt enim eſſe Deum, aliud participem Dei. Deus naturâ peccare non poteſt, particeps verò Dei ab illo accipit, vt peccare non poſſit: ſeruandi*

autem

autem gradus erant diuini muneris, vt primùm daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo, nouiſſimum quo peccare non poſſet. atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum meritum pertineret: ſed quia peccauit iſta natura, cùm peccare potuit, largiore gratia liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit. idem omnino habetur in Enchir. cap. 105.

Ex quo loco habeo primùm, quòd Angelus, vel homo aut peccat, aut peccare poteſt, id eum habere per ſeſe, ſuæque in naturæ poteſtate poſitum, vel magis ab infirmitate profectum: quòd verò vel non peccet, vel peccare non poſſit, id eum non à ſe, ſed à ſingulari Dei beneficentia obtinere. Habeo ſecundò arbitrium illud quod peccare non poteſt, magis eſſe liberum, tum quòd ab infirmitate ſua liberatum ſit, tum quòd licèt in bono ſolo magis indifferens eſt ad bona ea quæ ſingularia ſunt, quemadmodum Deus ad infinitam vim rerum producendam, aut non producendam indifferens eſt. Tertium, duos tantùm liberi arbitrij gradus à Deo datos eſſe, alterum ad merendum; alterum ad præmium recipiendum. Nam tertius qui in damnatis eſt gradus liberi arbitrij, quo non poſſunt non peccare, etſi in malo ſit ad plura malorum genera indifferens, diuini muneris non eſt, nec ab Auguſtino conſideratur. Quartò, gradum liberi arbitrij ad merendum Adamo iuſto, & innocenti datum, nobis quoque copioſiore gratia liberatum à Deo dari. Certum ſi noſtrum arbitrium ab Adamico penitus, vt Ianſenius contendit, diuerſum eſt, falſus eſt animi Auguſtinus, qui non duos, ſed tres illius gradus debuit recenſere, vnum & alterum ad meritum, tertium ad præmium.

Scio quid pro Ianſenio reſponderi poſſit, arbitrium, quod modò noſtrum eſt, non eſſe datum ad merendum, quia meritum noſtrum modò nullum eſt. Sed reſponſionis huius vanitas ſuperiùs ab Auguſtino tam clarè fuit refutata, vt nihil prorſus in hanc partem deſiderari poſſe videatur.

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

Quodnam humanum meritum peccato Adæ perierit.

NVSQVAM maior victoriæ ſpes fuit Aduerſario, quàm ex hoc loco, in quo mirum quàm vanè geſtiat, quaſi de palma iam certus ſit; pueriliter certè & leuiuſculè; ſanè quidem ſi ingenio meo obſequerer, aliquid hominis vanitati tribuendum exiſtimarem, ſi tamen vanitati modum aliquem ponere ſtatuiſſet, ſed quis faſtum tam inſolentem ferat? Auguſtinum nobis opponit lib. de gra. primi hominis cap. 16. iactanter adeò, & ſuperbè, vt de cauſa noſtra planè conclamatum eſſe velit. Rem videamus, & ſi quid reuera iuris habeat, per me licet, obtineat.

Auguſtinus, inquit, ſæpiùs diſertè docet quæ in Adamo habeamus merita humana, per eius peccatum ita periiſſe, vt ea ne vel per ipſam Chriſti gratiam recuperare poſſimus. Audax enimuerò dictum, non dicam impudens, quod Corneliũ Ianſenium deceat. Neſcis fortaſſe Corneli, aliud prorſus illis in locis agi quàm quod pugnas? manifeſtum quippe eſt Auguſtinum clarè & apertè loqui tantùm de perſeuerantiæ finalis merito. Vt enim de beatitudine ipſa taceam, quæ ab Auguſtino bonorum noſtrorum operum merces & corona propriè dicitur, ille conſiderat in iuſtis tres vitæ piæ, ſiue iuſtitiæ partes, ſiue dona. Primum eſt, initium illius, quod in fide, & prima Chriſti gratia propoſitum eſt. Alterum continet omnia Dei dona, quæ primam illã gratiam conſequuntur. Tertium eſt perſeuerantia finalis, per quam iuſtus formaliter habet, vt præterea peccare minimè poſſit; quod donum accepiſſet à Deo in obedientiæ ſuæ præmium primus parens, ſi mos diuino præcepto ab eo, vt par erat, geſtus fuiſſet. Nunc verò quia ita viuitur, vt hominis vita perpetuis certaminum probationibus exerceatur, cùm nemo iuſtus de victoria certus ſit ante pugnę exitum; id beneficij non cenſetur niſi in ipſa morte poſſe obtineri, ſed ita tamẽ, vt à beatitudine planè diuerſum ſit, cùm pij eorum manes qui purgantur ignibus expiatoriis, quíque ante Chriſti aduentum teneban-

tur in limbis, perſeuerantiam illam in bono, de qua diſputatio nobis eſt, obtinuerint, nec dum tamen beatitudine potiebantur. Primum autem donorum eorum eſt eiuſmodi, quod nec Angelus, nec Adamus, nec quiſquam noſtrûm vllo prorſus modo mereri poſſit. Secundum verò mereri poteſt vterq; cùm operibus bonis quæ dignitatis quidpiam ſemper præ ſe ferunt, tum ipſa fide, dilectionéque eâ, quæ fidei vita eſt, iuſtus enim ex fide viuit. At de tertio non ita ſtatuendum, quod Angelus iuſtus meritus eſt, quod mereri potuit Adamus, quod nos non propriè quidem meremur, ſed tamen aliquo modo precibus à Deo impetramus, quod fuſiùs ſuo loco erit demonſtrandum. Nunc de eo tantùm merito dicam, quoniam ita fert inſtitutum noſtrum, quod primi parentis noxa nobis periiſſe docet Auguſtinus, quod non aliud eſt, ac perſeuerantiæ ipſius finalis donum.

Nunc porrò teſtimoniorum eorum, quæ profert ab Auguſtino Aduerſarius, rationes ad examen videntur exigendæ. Ac primùm ex Enchir. cap. 105. & 106. In cap. 105. duplicem inſtituit arbitrij libertatem S. Pater, alteram, quâ poterat Adamus nec peccare, nec mori; alteram, qua beatus non poteſt aut peccare, aut mori. *Illam*, inquit, *natura humana perdidit per liberum arbitrium, hanc eſt acceptura per gratiam, quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum.* Ibi manifeſta mentio fit de perſeuerantiâ finali. Tum addit, hominem *nunc per ſolam Dei gratiam qua in fide Chriſti poſita eſt liberari, vt voluntas ipſa ſicut ſcriptum eſt, à Domino præparetur, qua cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum.* Quibus verbis docet hominem non per ſeipſum, ſed per ſolam Dei gratiam primam, eámque fidei liberari, eundémque hominem per gratiam ita liberatum, *voluntate ſua*, ita præparatâ, reliqua deinceps munera quæ ad beatitudinis adoptionem conferunt, accipere, adeò vt non per ſolam gratiam, ſed per voluntatem gratia adiutam cætera dona recipiat, & per voluntatem mereatur. Nam idem omninò eſſe videtur & voluntate, & per voluntatem accipi munus, aut haberi. Vnde palàm fit, quàm inane, & friuolum ſit Ianſenij commentum, quod contra hanc Auguſtini doctrinam aſtruere moliebatur.

Alterum eſt eiuſdem ſancti Doctoris teſtimonium ex lib. 6. de Gen. ad litteram cap. 27. petitum; & quod pro ſuo more mirum in modum oſtentat Aduerſarius. Sed quàm parùm feliciter, non eſt cur pluribus dicam. Neque enim mihi propoſitum eſt hominem in omnibus pudore opprimere, ſed ſi ſibi, acumini que ſuo conſultum voluiſſet: certè non erat illi ex hoc loco ſic diſputandum. Quid enim aliud, quæſo, dictum ibi ab Auguſtino, quàm *quòd imaginem Dei in ſpiritu mentis impreſſam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam iuſtitiæ?* Nec proindeamiſit corpus illud *ſpiritale & immortale* quod nondum habebat, futurum præmium *illius meriti quod amiſit.* Vbi porrò ſignificat Auguſtinus eo loci, quod obiicit Aduerſarius, nos iſtud meritum amiſſum, per Chriſti gratiam recepiſſe? certè non poſſum coniicere quorſum id dicat, nî fortaſſe (vt fit interdum) hoc ſomniauerit: quod ſi fateatur, erit mitiùs cum eo agendum; nam vt errare, ſic ſomniare humanum eſt, ſed nihil erat cauſæ, cur ſomnia ſua nobis tam fidenter venditaret, nî mallet ariolus haberi quàm Theologus.

De tertio loco, quem ex quæſt. 68. lib. 83. qq. ſumptum proponit, non poſſum non magnopere admirari malam hominis fidem hoc loco recitando, in quo nihil docet aliud Auguſtinus, quàm quod à me priùs memoratum eſt de merito donorum primam gratiam conſequentium. Quid autem ab illo dictum eſt, à quo diſſentiamus? Hæ ſunt Auguſtini voces: *Cùm meritum peccando amiſerimus.* Quid deinde? *miſericordia Dei remota nihil aliud peccantibus, niſi æternam damnationem deberi.* præclarè, neque nos repugnamus. at vbi dictum vel ſemel, nos vitæ æternæ meritum, per gratiam Chriſti non recipere, amiſſúmque reparari, quod tam animosè præ ſe fert Ianſenius? num addit eodem in loco Auguſtinus, quòd *merces cognitionis*, qua ſcilicet ſecreta diuina, & cur ex eadem maſſa perdita ſaluatur vnus, alter deſeritur, *meritis redditur? credendo autem meritum comparatur. Ipſa autem gratia quæ data eſt per fidem, nullis noſtris meritis præcedentibus data eſt. Quod eſt enim meritum peccatoris & impij? Chriſtus autem pro impiis, & peccatoribus mortuus eſt, vt ad credendum non merito, ſed gratia vocaremur, credendo autem etiam*

meritum collocaremus. Taceo *quæ de animarum occultiſſimis meritis, & de gratia, vel iuſtitia ſecreta omnipotentis Dei* ibidem perſequitur. Audio librum illum Auguſtini ſcholæ Ianſenianæ videri ſuſpectum. ſed quamobrem, non video, niſi fortè quod parùm faueat illorum placitis. Nam conſtat & à Diuino Doctore fuiſſe recognitum, probatúmque, nec vnquam quod aliis in rebus ab eo factum eſt, hac in parte caſtigatum.

Quartus verò ex lib. de corrept. & gratia capite 11. 12. & 13. promptus eſt, quibus quàm falsò exultat Aduerſarius ſatis ſupérque demonſtratum eſt. Liquet enim Auguſtinum iis in locis inſtituere ſermonem de perſeuerantia finali; quod euidens eſt ex cap. 10. vt poſtea dicetur. De capite 11. patet ex iis verbis. ſic enim loquitur de Adamo. *Quia*, inquit, *in bona voluntate noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt Angeli, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem arbitrium ſteterunt ipſi, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt .... nunc autem quibus deeſt tale adiutorium* ſcilicet perſeuerandi, *iam pœna peccati eſt.* Tum deinde: *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato, quæ futura erat homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis, merces meriti: nunc autem per peccatum perdito bono merito*, nimirum perſeuerantiæ finalis qua non poteſt homo ſeruire peccato, ſeu non peccare. *In his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Cap. autem 12. de perſeuerantia illa finali, déque adiutorio quo non niſi perſeuerantes fiunt prædeſtinati, mentionem facit. Poſtremo verò cap. 13. cùm ad hominis beatitudinem Dei miſericordiam requiri, eámque omnino eſſe neceſſariam innuiſſet, addit eam meritis bonorum miſericordiæ operum reddi. *Sed tunc*, inquit, *pro bonorum operum meritis iuſto iudicio etiam ipſa miſericordia tribuetur.*

At vereor quem exitum habiturus ſit Aduerſarius ex vltimo loco, quem ex cap. 15. de Prædeſtin. SS. deſumpſit, vbi ſic Auguſtinus: *humana hîc merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia per I. C. D. N.* Certè ſi res fuiſſet Ianſenio cum rudibus, & imperitis, fi-

Digitized by Google

dem fortaſſe ex hoc loco ſibi aliquam facere potuiſſet. ſed quis non videat ſingularem hominis, vel malitiam, vel inſcientiam, cùm quiddam longè aliud ibi velit Auguſtinus quàm quod ipſe diſputet. Neque enim hîc quæſtio eſſe poteſt niſi de merito iuſtificationis noſtræ, & vt ipſe ibidem loquitur, regenerationis, quod meritum in Adamo periiſſe, neminem opinor eſſe, qui neget. Si enim dicto ſe diuino præbuiſſet audientem, gratiam nobis peperiſſet, eámque omnibus in ipſo ortu futuram communem, quod meritum ab eius obedientia profectum in totius generis communitate extitiſſet; verùm Adami peccato perfectum eſt, vt talis meriti dignitate fruſtrati, ab omni ſpe exciderimus, niſi diuinâ gratiâ recreati in priſtinam ſortem reſtituamur, & ipſius Chriſti meritis, filij Dei efficiamur.

Ita videlicet explicant locum illum Auguſtini Doctores Louanienſes, qui ne quid ad perfectam illius intelligentiam à ſe deſiderari ſinerent, id etiam cautionis in notis ad illud dictum adhibendum ſapienter admodùm cenſuere. *Quare Caluini eſt calumnia,* (quæ cadit vt patet in Ianſenium) *dum videri vult Auguſtinum omnia fidelium merita tollere, cùm ea maniſeſtiſſimè prædicet, verùm quæ ex Chriſti nobis ſint gratia, non ex primæua inſtitutionis, & creationis honore operibúſque relicta.* Sic factum eſt, vt Ianſenius neſcio quo fato, certè infelici, in Facultatis ſuæ cenſuram, vnà cum Caluino, turpiter admodum impegerit.

CAPVT XIX.

De gratia Angelis, & Adamo innocenti data quid ſentiat Ianſenius.

ARTICVLVS I.

Caluiniana & Ianſeniana doctrinæ ſumma proponitur.

MIRABAR quorſum verò ſpectabat oratio tam longa, quam facit Aduerſarius de felici illo, atque incomparabili conditionis ſtatu, in quo primùm Angeli conditi ſunt. Sed deſitum eſt mirari, vbi quid contendebat videri eſt cœptum. Sic enim fuit illius ratio ſtatuere imprimis, quanta fuerit gratiæ, meriti, & liberi arbitrij in Angelis excellentia, vt eandem fuiſſe in primo homine demonſtraret, quàm benè, non vacat hîc quærere, neque diſputare, quid interſit diſcriminis nobis, cum Adamo in primo illo fortunæ gradu collocato, quod erit poſtea inquirẽdum. Vnum eſt iam quod habeo propoſitum, peruestigare, qualem Adami gratiam voluerit eſſe, an naturæ debitam, nec ne, adeóque in eo noſtræ non abſimilem, quòd nobis data ſit propter inſitam ab ortu labem immerentibus, atque indignis; Adamo verò non indigno quidem, ſed minimè merenti.

Cùm porrò triplex gratiæ genus nobis conceſſum ſit: alterum quo poſſimus id quod ſupra naturæ vires eſt poſitum; alterum quo illud velimus; tertium quo operemur: triplex etiam de gratia Adamo data, nobis dogma proponit Ianſenius. Primum eſt, quo docet, Adamo omnem illam gratiam quæ in *poſſibilitate*, ſic loquitur, poſita eſt, fuiſſe donatam; adeo vt quod nos de gratiæ donis habitualibus, de actualibus auxiliis, de eorum vſu libero, ſiue indifferentia, qua gratiæ conſentire vel diſſentire dicimur, idem Adamo

contigiſſe velit, nóſque reprehenſione dignos iudicet, qui felicis, infelicíſque Adami ſortem ex æquo habendam eſſe circa ea quæ gratiam, & liberum arbitrium ſpectant, ſtatuamus. Quapropter omnia tam actualis, quàm habitualis gratiæ dona, auxiliáque, vno duntaxat eo excepto, quod ipſe molitus eſt, in Adamum animo confert ſanè perquàm liberali.

Deinde omnem vel actum, vel habitum gratiæ illius à qua boni faciendi conſtat poteſtas, quam ipſe appellat *poſſibilitatem*, Adamo, ſeu, homini, eiúſque naturæ debitum; adeóque illi planè eſſe naturalem, nec magis eſſe gratuitum; quàm vel naturam ipſam, vel liberum arbitrium, qua ſolet audacia, contendit. Tum verò omnem cùm voluntatis, tum actionis gratiam ab eodem Adamo cenſet penitus eſſe remouendam. Poſita enim illa gratia qua bonum poterat, nihil prætereà requirebat. vnde quod bonum voluerit homo, quod eidem operam dederit, quod in eo perſeuerauerit Angelus, non gratiæ, ſed ſoli eius libero arbitrio, cuius vis erat etiamnum integra, tribuebat. Poſtremò quæ dona gratiæ cum Adamo habemus communia, obſtinatè negat ad Chriſti gratiam vllo modo pertinere, adeóque gratiam Chriſtianam *Adamicæ* planè aſſerat eſſe oppoſitam; hanc quidem primo homini, & Angelis fuiſſe conceſſam, illam minimè; de quo dogmate nobis erit poſtea diſputandum.

Nunc de inſtituta quæſtione quid ſentiat, cum grege ſuo Caluinus, ſatis opinor, ſupérque antea fuit oſtenſum, nec abs re erit hîc repetere quod ex lib. 2. Inſtitut. cap. 3. §. 10. allatum eſt. *Talem hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, vt potuerit ad alterutram partem inclinare, ſed cùm ſuo exemplo docuerit, quàm miſerum ſit liberum arbitrium niſi Deus in nobis & velit & poſſit, quid fiet nobis ſi ad eum modulum, ſuam gratiam nobis impertitur.* Addit ex Apoſtolo non offerri *nobis bonæ voluntatis gratiam ſi acceptemus, ſed Deum ipſum velle in nobis efficere,* quod eſt *efficacem à ſeipſam Dei gratiam noſtram eſſe.* Vnde & illud dictum Auguſtini ex lib. de corrept. & gratia, quod vnum eſt Ianſeniani dogmatis fundamentum, affert ipſe ad doctrinam ſuam ſtabiliendam, & vrget,

gratiam

Digitized by Google

gratiam perſeuerandi in bono Adæ fuiſſe datam, ſi vellet, nobis dari, vt velimus. Eadem repetit lib. 3. aduerſus Pigh. in fine pag. 172. vbi totius Ianſenianæ de lib. arbit. de naturæ humanæ corruptione per peccatum, de gratia Chriſti, déque eius vſu, doctrinæ compendium & quaſi appendicem legere vnicuique eſt in promptu: ex quibus Caluini mens ſuper re propoſita colligi poteſt. Perſpicuum eſt enim eum exiſtimare, Deum in Adamo ante lapſum non fuiſſe operatum velle & perficere, nec ei dediſſe gratiam, qua vellet, & ageret, ſed tantùm qua velle, & agere poſſet, quæ erat eiuſmodi, vt liberum ſui vſum illi relinqueret, gratiam Adami non fuiſſe *à ſeipſa efficacem*, ſed per liberum eius arbitrium; alioqui hoc inter vtramque gratiam diſcrimen nunquam poſuiſſet. Hæc eſt Ianſenianæ doctrinæ ſumma, hoc inſtitutum.

ARTICVLVS II.

Ianſenius ſolâ ſuâ gratiâ exceptâ, cætera omnia noſtræ gratiæ dona Adamo ſtanti exiſtimat eſſe conceſſa.

CVM ſuperioribus in diſputationibus abundè ſit explicatum, quid toto gratiæ ambitu contineatur; non erit admodùm difficile dictu, quid per cætera omnia gratiæ dona velit Aduerſarius. Nam cùm ſolam voluntatis, & operationis gratiam, vt ficta eſt ab eo, Theologis iuxtà & Catholicis omnibus, ipſique etiam D. Thomæ ignotam, primo parenti adimat, quid illi relictum eſſe vult, præter virtutum infuſarum dona, gratiam habitualem, pias ſine deliberatione voluntatis affectiones, & motiones, cæteráque eiuſmodi gratiæ ſufficientis auxilia? Quin etiam ita liberalis eſt, vt de gratia congrua, quam efficacem Theologorum nonnulli eſſe volunt, Adamo tribuenda non laboret, nec illi neget id ipſum, quod Thomiſtæ non pauci in gratiæ efficacis, & prædeterminantis ratione ponunt, vt ipſe teſtatur lib. 8. de gratia Chriſti cap. 1. 2. & 3. cuius c. 2. hæc verba ſunt: *Prædeterminatio phyſica expreſsè dicitur ſtatui innocentiæ tam Angelorum quàm hominum fuiſſe neceſſaria: Chri-*

ſti adiutorium ei (ſtatui) *repugnat capitaliter.* Et illam ſi qua eſt, vt eſſe contendit, ponit in adiutorio ſine quo non volumus aut agimus bene, quod Adamo datum fuiſſe aſſerit.

Quod autem hæc omnia dona Adamo conçeſſerit, liquet ex innumeris penè illius teſtimoniis. Pauca è multis quæ ſatis erunt fidei faciendæ, affero. Id fusè proſequitur l. 5. de hær. Pelag. c.12. cæteríſque deinde ex eo cōſequentibus. Idem toto l.8. de eadē hæreſi, profiteri videtur, cùm gratias eas tam habituales quàm actuales à Pelagianis & Maſſilienſibus iactari ſolitas attribuit Adamo, cùm tamen aliunde velit, quotquot ab illis admittantur gratiæ, eas ad Adamum magis pertinuiſſe, quàm ad Chriſtum. Sed id omitto, vnum aio, Aduerſarium toto libro de gratia primi hominis, & Angeli, ſingulas recenſere iuſtitiæ originalis dotes, & inter eas numerare cum primis cap. 1. gratiam, & ſanctitatem, adeóque gratiam ſanctificantem, charitatem, cæteráſque virtutes, cap. verò 6. feliciſſimam libertatem, quam non aliam eſſe vult, quàm amorem creatoris. cap. 12. ponit gratias habituales, & actualia auxilia, idémque cap. 13. repetit, vocátque *adiutoria ſine quibus non*, diuerſa ab auxilio diuino, quo Deus bonæ voluntati cooperari dicitur, quæque exponit cap. 14. áitque non aliud fuiſſe illud genus adiutorij, quàm quod ſchola paſſim, & vbique ſufficiens nuncupat, l. 2. de gratia Chriſti c. 38. addit & gratiam congruam, tum verò eodem lib. cap. 15. hæc habet, quæ penè exciderant, certè ad illius mentem perſpiciendam maximè idonea. *Ad merita* (inquit) *Adami, & Angelorum quantumuis humana non data, liberi arbitrij, non dona Dei, concurriſſe gratiam habitualem, extra controuerſiā eſt, imò & actualem influxum apertiſſimè, & certiſſimè Auguſtinus docet.* Tum cap. 29. gratiarum varium multipléxque genus exponit, & quidquid id eſt, ſiue earum ſit, quæ excitant, ſiue quæ ſuadent, ſiue quæ ſuauibus quibuſdam quaſi illecebris inuitant animum ad ſeſe, atque alliciunt, illud omne in ampliſſima illa, quæ Adamo data eſt gratia, contineri teſtatur; addit & ipſos quibus voluntas ad bonum inflammatur, ardores: quæ tamen gratiæ non erant eiuſmodi, vt darent Adamo vnde vellet, ſed tantùm vnde poſſet.

Digitized by Google

Non texam hîc ſeriem bene longam importunarum iſtiuſmodi, quibus lectorem enecat, ea de re iterationum; hæc quæ faciendæ fidei neceſſaria videbantur attuli in medium, vt perſpectum ſit vnicuique, noluiſſe Aduerſarium, his omnibus donis Adamum fuiſſe ornatum; vt deinde magis conſtet, quæ gratiæ dona, Chriſti neget eſſe; cùm nullum eorum, quæ primùm Adamo data ſunt, vbi ſemel è primo conditionis gradu deturbatus eſt, per Chriſti merita, vt paulò pòſt demonſtrandum erit, velit reſtitui, ſolámque illam plenam illecebrarum delectationem, quam victoria ſemper conſequatur, illúmque admirabilem ingenij ſui fœtum lib. 4 de gratia Chriſti cap. 7. ſtatuit Adamo adimendum, cùm eò tantùm deſiderari videatur, vt ſubigatur vis cupiditatis indomitæ, & peccati impotens æſtus contineatur.

ARTICVLVS III.

Nullam voluntatis, & actionis gratiam Adamo tribuit.

EX iis quæ ſuperiùs dicta ſunt, compertum habetur, & planè exploratum, gratiam apud Theologos, poſt Auguſtinum cæteróſque Patres, eſſe tripartitam. Altera eſt, quæ dat poteſtatem faciendi boni, vnde *poßibilitas* nuncupatur. Altera, quæ dat ipſam voluntatem, & dicitur *volitionis*. Tertia, quæ ipſam actionem. Atque ne longiùs abeamus, id ipſum in nobis experimur. Neque enim ſemper conſequens eſt, vt bonum operemur, quod volumus, quemadmodum nolunt vt plurimùm bene multi, quod poſſunt. Ex illa gratiæ partitione placuit Ianſenio nouitatem ſuam moliri, & famoſum illud apud homines ſuos aſtruere diſcrimen inter gratiam Adami, & noſtram, cùm ſolum *poßibilitatis* auxilium conceſſerit, nullúmque voluntatis, & actionis paſſus ſit eidem fuiſſe præterea conceſſum. Sic enim pro more ſuo, miſerè philoſophatur.

Cùm haberet poſitum in ſe primus homo vegetâ illâ facultatum ſuarum, & caſtâ integritate, vt pro arbitrio ſuo bonum non velle modò, ſed & agere poſſet; omne aliud

Digitized by Google

gratiæ auxilium, quod eò pertineret, planè videretur eſſe ſuperuacaneum. ita quippe libro de gratia primi hominis cap. 7. *Nos* (inquit) *quærimus vtrum illa opera, quæ lapſi hominis arbitrio per Chriſti gratiam conferri debent, Adam libertate ſui arbitrij naturalis, hoc eſt, quæ in prima conditione naturæ, conceſſa fuerat, perficere potuerit. Nam ſi conſtiterit illa opera per liberum eius arbitrium potuiſſe fieri, non donante gratia Dei, quid de cæteris ſentiendum ſit, perſpicuum erit.* Vbi operandi vis libero arbitrio tribuitur, *non donante gratia*, quæ ſaltem voluntatis intelligenda eſt, niſi maluerimus, ab eo gratiam omnem excludi; quod inueſtigare non eſt huius loci.

Sic autem propoſitam à ſe quæſtionem ipſe dirimit. *Nos hic aſſerimus, tanquam ſine dubitatione veriſſimum, iuxta doctrinam ſancti Augustini & Eccleſiæ, omnia huiuſmodi opera, adeóque & ipſam fidem, & dilectionem Dei ab eo potuiſſe, per libertatem arbitrij fieri, ſic vt ea non donaret ei gratia Dei.* Quàm fidenter rem decidit Nouus Doctor, quàm intrepidè, immò quàm audacter. Non poteſt tamen diſſimulare, futurum, vt id paradoxum videatur. O diuinum coniectorem! nam reuerâ nihil magis paradoxum viſum eſt, & contra omnium opinionem: ſed felicior longè fuiſſet coniectura, ſi quod paradoxum futurum animo præcipiebat, heterodoxum dixiſſet, tametſi non illi magno fuiſſet opere diuinandum.

Id porrò ſic probat coniector noſter. Primò *quia Auguſtinus non rarò plenam perfectámque bene viuendi poteſtatem Adamo collatam eſſe ait.* Quod vt verum fateor, ita nego vſquam ab Auguſtino dici, id abſque gratia diuina factum ſolius arbitrij vi; quod tamen vnum in quæſtione poſitum eſt; licèt enim dixerit Adamum in ſe habuiſſe vim, facultatémque, vt bonum & poſſet, & vellet, non continuò affirmandum eſt, id ita fuiſſe ab eo dictum, vt vim illam inſitam à natura habuiſſe voluerit; quod tamen facit Aduerſarius, quàm fluxâ fide, patet, cùm longè aliud ſit poſſe in naturâ, quod ſolum dictum fuit ab Auguſtino, aliud poſſe per naturam ſeorſim acceptam, cuius dicti nullum extat apud eundem Diuinum Doctorem veſtigium, ſed mirum, quò Aduerſarium anticipatus error tranſuerſum agat, qui non veretur

Digitized by Google

aſſerere naturam, ſi ſana eſſet, & integra, ad vitam bene inſtituendam per ſe ſe ſufficere: *neque enim ideo*, inquit, *gratia neceſſaria eſt, quod opera bona ſint ſupernaturalia, ſed ex infirmitate, quæ per peccatum in liberum arbitrium inducta eſt*. Quæ voces ſi cadere in quemquam poterant, certè in hominem Chriſtianum, eúmque Doctorem cadere non debebant.

At quò porrò pergit vir perditus? quò præceps fertur? aut quid ab eo prætermiſſum, quo errorem ſuum declararet? nam cap. 8. profitetur Angelos perſeueraſſe in bono, & Adamum potuiſſe *per bonum creationis naturæ, ſiue per liberum arbitrium, cum quo conditus fuit*. Vbi obſeruandum liberum arbitrium *bonum creationis*, & naturæ ab eo dici, & quod Auguſtinus ait hominem, & Angelum experiri debuiſſe, quid per liberum arbitrium poſſet, nullo modo cenſet bene cordatus homo fieri poſſe, *ſi perſeuerantia in bono iam tum illis per gratiam dari debuit*. Quod quomodo ſine iniuria gratiæ fieri poſſit cùm explicat cap. 15. ait, *actiones bonas, v.g. fidei & dilectionis diuinæ, propter inſitam dignitatem nudas naturæ vires longè ſuperantem, ſupernaturalis ordinis adiutorium poſtulare: ex cæleſtis habitus vel gratiæ actualis adiutorio ſupernaturalis ordinis dignitatem, & ſpeciem imbibere, ſed quod actu, & reipſa fiant aut factæ fuerint, etſi influente ſimul adiutorio nemini aſcribi debet, niſi voluntati, ſicut voluntati, ſi ceſſaſſet, ipſa ceſſatio adſcribi debuiſſet*.

Quod omitto ea, quæ in hac oratione reprehendi meritò poſſunt, pudori ſuo conſultum intelligat, ne ſi omnia perſequar, in omnibus erubeſcat, id vnum non poſſum præterire, dictum ab eo, quod ab Adamo actiones illæ reipsâ factæ fuerint, velle nimirum, & agere bonum, non Deo tribui debere, ſed voluntati, ſi quippe *nemini* tribui debet, profectò nec Deo ipſi, nec alteri magis, quàm voluntati eas actiones adſcribi debere, quàm *ipſa ceſſatio*, defectus, & peccatum adſcribitur; ex quo fit, vt Deus non magis Adamum iuuaret in actionibus bonis faciendis, nec in eo plus operaretur voluntatem ipſam & actionem, quàm voluntatis ipſius & actionis negationem. Quamobrem vt ibidem ſubdit, *Adamus non per gratiam, ſed per liberum arbitrium, per libertatem voluntatis ſtare potuit, & reipſa Angeli perſtiterunt*. adeóque eorum volun-

tatis libertas ad bonum, nec erat gratia, nec gratiæ quidquam præ ſe ferebat. *Non ergo per gratiæ adiutorium bonus Angelus, ſed per liberum arbitrium, etſi non ſine gratiæ adiutorio, in veritate permanſit, ſicut non per tentationem malus Angelus, & malus homo, ſed per liberum arbitrium, non ſine tentatione, ex veritate lapſus eſt,* inquit cap. illo 15.

Nec iam, opinor, obſcurum eſt, quid velit Ianſenius, cùm ait, non ſine adiutorio Angelum ſtetiſſe, ita nimirum, vt non magis Deus auctor fuerit perſeuerantiæ Angeli in bono, quàm Lucifer, tentans Angelos apoſtatas, fuit auctor lapſus illius, quo ſunt è cælo deturbati, nec plus opis Deus dederit illis ad bonum, quàm ponderis & inclinationis tentator dedit ad malum. Illud eſt videlicet ita ſacrum, in omni Ianſenianâ ſcholâ, myſterium de adiutorio *ſine quo non*, & de adiutorio *quo*, lib. 2. de gr. Chr. cap. 6. tanto faſtu, tantáque verborum pompa explicatum. Vbi non aliud Adamo & Angelis tribuit Aduerſarius auxilium, quàm *ſine quo non*, *quod*, inquit, *non donabat meritum voluntati, quod illo licèt cooperante naſcebatur.* Quemadmodum tentatione cooperante, vt illius verbis vtar, naſcitur peccatum. *ſed hoc ipſa ſibi voluntas pariebat. Nunc verò gratia quantumuis arbitrium ei ſimul influendo cooperetur, donat etiam ipſum opus, & meritum, quod ſimul ex vtroque proficiſcitur.* Gratiæ igitur auxilium non dabat Adamo vnde ageret. & mereretur, quod nec ipſe negat, cùm addit; *opus, ac meritum Adami erat humanum, nunc diuinum tanquam donum gratiæ Dei.*

Sic pro diuerſa ſtatus vtriuſque ratione, colligi meritò poteſt, vt opus noſtrum ac meritum non eſt humanum, ita meritum opúſque Adami non fuiſſe diuinum, nec proinde gratiæ diuinæ donum; quæ conſecutio quam in partem ab Aduerſario, eiúſque diſcipulis accipienda ſit, non ſatis video. Neque enim reiici poteſt, quin eodem labefactum motu totius doctrinæ ruat fundamentum. Innuit eodem loco vt Scholaſtici in voluntatem referunt gratiæ ſufficientis neglectum, ita opus quamuis non fieret ſine gratia, non tamen gratiæ, ſed voluntati eſſe tribuendum. Item tunc temporis beatitudinem Angelorum non fuiſſe gratiæ ſingularis donum, ſed mercedem.

Digitized by Google

Quæcumque de gratia ſufficiente, & congruâ dicuntur à Theologis, toto capitis 12. contextu, ait eſſe eiuſmodi, vt illis *prima integritas naturæ humanæ reſtituatur*, in qua *omne meritum & præmium dominatrici hominis libertati vindicandum eſt*. Deinde caput 13. cum 26. conſulatur, vbi habet, quæ de operibus, meritis, & perſeuerantia *ante lapſum naturæ, & voluntatis arbitrio ab Auguſtino tribuuntur, poſt lapſum tribui ſoli gratiæ Dei, etiam ſecluſa ſubinde hominis voluntate*. Poſtremò lib. 9. de gratia Chriſti cap. 15. *Fidem, bona opera, ſeu merita in ſtantibus, ſiue hominibus, ſiue Angelis, Deus non aliter facit, niſi quia dat eis poſſe, ſi velint: velle verò in eorum libero relinquit arbitrio*. Tum verò *gratia non fecit vt in veritate ſtarent, ſed vt poſſent ſtare, ſi vellent, liberum arbitrium fecit, vt actu vellent & ſtarent*. Atque hinc conficit prædeſtinationem Angelorum non eſſe gratuitam, cuiuſmodi eſt noſtra: quod à magiſtro ſuo Ianſenio traditum vulgauit nouus Doctor is, qui non ita pridem de gratia victrice librum emiſit, nam pag. 30. multa in hanc ſententiam effusè dicit.

ARTICVLVS IV.

Refutatur à D. Thoma Ianſenius, qui gratiam Angelis & primo homini debitam contendit.

CVM bona tua venia dixerim, Corneli, non planum eſt ſatis quid velis, cùm lib. 8. de hæreſ. Pelag. cap. 6. aſſeris, *magnopere illos hallucinari, qui ex habituali gratia magnam primi hominis poteſtatem & libertatem pullulare arbitrantur*. Credendi autem, & diligendi, ſeu fidei, & dilectionis diuinæ poteſtatem & libertatem, opinor, intelligis. Sed libenter audirem à te, quod porrò poteſtatis illius libertatiſque ad bonum ſit principium? Cùm enim poteſtatem eam, libertatémque habitualem eſſe ſtatuas, & in Adamo otioſo etiam & dormiente locum ſuum retinere velis; principium quoque illius in habitu ponas, neceſſe eſt. non video ſatis quid ſis dicturus. Nam ſi gratiam eſſe neges, à qua principium iſtud repetendum ſit, vt reuera negas, non venit in mentem, quid aliud præter naturam ipſam afferre poſſis. Sed non attendis

quas in anguſtias ſponte te conijcias : idem enim de iuſtitia & charitate erit dicendum; nec vtriuſque illius principium radíxque erit gratia habitualis, ſi libertatis iſtius ad bonum, rectæque voluntatis eſſe non poſſit, quandoquidem cum iuſtitia & charitate ita ſe coniunctè habet, vt altera alterius conſuetudine & ſocietate carere non poſſit.

At leuius eſt iſtud, vt in eo vim facere velim, cùm præſertim longè grauiora ſint alia, quæ animaduerſionem noſtram poſtulēt. Lib.1.de ſtatu puræ naturæ cap.20.poſtquam ſuperioribus capitibus fusè docuit, hominem non potuiſſe creari à Deo ſine aliqua Dei charitate, de quo in præſentia controuerſiam mouere non eſt mihi propoſitum, inuehitur in totam ſcholam, quam pro ſuo more malitiosè calumniatur, quaſi doceat gratiam ſufficientem in pœnam peccati negari non poſſe, vt pote debitam, poſſem hîc omnium Theologorum conſcientiam conteſtari, vt manifeſtiſſimæ falſitatis eum reuincerem; ſed calumniam ita futilem purgare, nec operæ pretium eſſe videtur, nec controuerſiæ iſtius inſtitutum: mentem ipſius re ſuper propoſita, quà fas eſt, inſpiciamus.

Sic ſtatuit, poſita Dei de creando homine iuſto, ſanctóque voluntate, gratiam naturæ vult eſſe debitam, in quo quàm grauiter deliret, non neceſſe eſt dicere me; vt enim medium ad gloriam neceſſarium, hominis naturæ debitum meritò cenſeatur, oportet eandem gloriam, & ordinem ad eundem finem illius naturæ eſſe debitum; in quo quàm clara & euidens falſitas ſit, patebit attendenti. Neque exiſtimo latuiſſe Ianſenium, nî fortaſſe diſſimulauerit, quod interdum video ab eo factitatum; Deum quidem (ſic enim ex D. Anſelmo docet S. Thomas) ſibi ſuæque bonitati, ſapientiæ, & liberæ voluntati dici aliquo modo potuiſſe debitorem rei illius, quæ naturæ creatæ nullo modo debita ſit. Quod ſi ſic à Ianſenio dictum eſſet, potuiſſet vtique tolerari, ſed quis animi ſit ita patientis, vt ferat eum cap.20. docentem; *Gratiam diligendi Dei omni creaturæ rationali innocenti deberi, quia gratiæ,* inquit, *propriiſſimè dictæ non repugnant debita qualibet, connaturalitates, decentiæ & congruitates & æquitates, quæ oriuntur ex aliis capitibus, quàm iure creaturæ.*

Sanè

Sanè quidem fœdè errat & turpiter, primò cùm quod decens eſt, & quod æquum, ita confundit, vt vtrumque eodem modo à Deo naturæ creatæ deberi velit, tum verò quod homini conueniens eſt eodem loco habeat, atque illud quod eidem erat debitũ. Nam vt intra eos fines conſiſtam, quos ipſe ponit; quid magis ſummam Dei miſericordiam deceat, quàm hominis perditi, profligatæq; totius naturæ redemptio? quid ęquius poſtulet iuſtitia diuina, quàm vt à Chriſto pro hominũ peccatis fieret ſatis? Quid ipſi homini miſerum in modum iacenti, atque afflicto magis conueniens eſſe poſſit, quàm Dei miſerentis auxilium, ac miſericordia? an propterea eidem vel miſericordiam debitam eſſe, vel redemptionem & ſingulare illud Chriſti beneficium, quo orbem ſanauit vniuerſum, debitum fuiſſe, erit exiſtimandum? ô peruerſam diſputandi agendíque rationem! vbi omnia ex opinionis prę-iudicatæ libidine moderantur?

Errat præterea quod debitum à iure ſeparet, negétque naturæ rationali ius eſſe ad gratiam, quam contendit eſſe illi debitam. Ignorat videlicet omne debitum pertinere ad iuſtitiam, cuius partes ſunt ſuum vnicuique reddere, hoc eſt debitum. Quamobrem tam repugnat debitum ſine aliquo iure concipere, quàm iuſtitiam abſque eodem iure aut appellare, aut intelligere. Vtinam ſcholæ tantiſper aſſueuiſſet Ianſenius, & aliquid conſuetudinis cum doctoribus iis, quos ita flocci facit, habuiſſet; audiret iam magis libens ex eorum principe D. Thoma 2.2.q.57. art.1. perdiſcerétque, ius idem eſſe, *ac rem iuſtam*, ſiue id *circa quod iuſtitia verſatur*, iuſtúmque à recto, quod aliis in virtutibus reperitur, ita differre, vt rectum illud non accipiatur, niſi per comparationem ad agentem; quod verò in opere iuſtitiæ rectum eſt & iuſtum præter comparationem ad agentem, conſtitui per comparationem ad aliud, *Iuſtum enim importat æqualitatem quandam, nam quæ æquantur, vulgo iuſtari dicuntur. Æqualitas verò ad alterum eſt*, & iuſtitia eum, qui iuſtus eſt, ordinat ad alterum, cui videlicet quod ſuum eſt tribuitur. hoc autem dicitur ſuum vniuſcuiuſq; perſonæ, quod ei ſecundùm proportionem æqualitatis debetur, & ideo proprius actus iuſtitiæ, nihil aliud eſt, quàm reddere vnicuique quod ſuum eſt,

Digitized by Google

Adde quod 1. p. q. 21. a. 1. ad 3. ait: *Vnicuique deberì, quod ſuum eſt, ídque alicuius ſuum eſſe, quod ad ipſum ordinatur, ſicut ſeruus eſt domini, non è conuerſo, & in operatione diuina debitum attendi poſſe dupliciter, aut ſecundùm quod aliquid debetur Deo, aut ſecundùm quod aliquid debetur rei creatæ, & vtroque modo à Deo debitum reddi: debitum enim eſt à Deo, vt in rebus impleatur id, quod eius ſapientia & voluntas habet, & quod ſuam bonitatem manifeſtat, & ſecundùm hoc iuſtitia Dei reſpicit decentiam ipſius, ſecundùm quam reddit ſibi, quod ſibi debetur. Debitum eſt etiam aliquid rei creatæ quod habeat id quod ad ipſam ordinatur, ſicut homini, quod habeat manus, & quod ei alia animalia ſeruiant. Et ſic etiam Deus operatur iuſtitiam, quando dat vnicuique quod ei debetur ſecundùm rationem naturæ & conditionis, & licèt Deus hoc modo aliquid debitum det, non tamen ipſe eſt debitor, quia ipſe ad alia non ordinatur, ſed potiùs alia in ipſum, & ideo iuſtitia quandoque dicitur in Deo condecentia ſuæ bonitatis, quandoque retributio pro meritis. Et vtrumque modum tangit Anſelmus dicens Deo: cùm punis malos iuſtum eſt, quia illorum meritis conuenit, cùm verò parcis malis, iuſtum eſt, quia bonitati tuæ condecens eſt.* Et art. 4. *Debitum quod ex diuina iuſtitia redditur, vel debitum Deo eſt, vel debitum alicui creaturæ, Deo videlicet, quod conuenit ſapientiæ, & bonitati ipſius: creaturæ verò non debetur aliquid propter aliquid prius, quódque in ea vel præexiſtit, vel præconſideratur, vt vbi homini habere manus debitum eſt, propter animam rationalem. quippiam non abſimile a. 3. habetur, vbi ait elargiri perfectiones rebus, ad diuinam bonitatem, iuſtitiam, liberalitatem & miſericordiam pertinere ſecundùm aliam, & aliam rationem.* Hactenus D. Thomas.

In quibus nî Doctor noſter hoſpes eſſet adeò ac peregrinus, nam ipſe profitetur de ſe, quod à ſchola fuerit animo ſemper alieno, hominem docere pro mea parte ſuſciperem, ad puriſſimos Theologiæ fontes illi digitum intenderem, explicarem quid nomine iuris, quid debiti ſit intelligendum, quid primariæ ſit in vtraque voce poteſtatis, notionísque ſi ſineret, exponerem; ductarem ipſum ad D. Thomam prin-

cipem ſcholæ, ac magiſtrum; poſtremò ex illius diuini Doctoris verbis ſuprà allatis conficerem, nunquam debitum ſine aliquo iure exiſtere poſſe; vnde ius in Dei bonitate & ſapientia fundat rationem debiti illius, quod ipſum Deum ſpectat, peccanti verò & legem violanti pœna debetur, quia ius habet Deus offenſus, vt de violatâ lege pœnam ſumat.

Quòd ſi naturæ innocenti gratia debetur; neceſſe eſt vt aliquid ad eam in natura ipſa iuris ſit, ex quo liquet, quàm parum cohæreat Aduerſarij ratio, qui debitum à iure diuellat: nam ſi quis gratiã vt debitam naturæ rationali à Deo conferri dixerit, propterea quòd id ipſe Deus bonitati ſuæ debeat; idem quoque pari iure, imò magis conuenienter de naturâ lapsâ dixerit, cùm in miſeris perditíſque erigendis bonitas, & miſericordia magis eluceat; nec proculdubio quicquam admodum effecerit Ianſenius, id ſi neget, vt illud vincat; neque (arbitror) vllus erit, qui ſtuporem hominis non ſentiat, cùm gratiam naturæ innocenti à Deo bono, liberali, & miſericordi donatam, eidem debitam eſſe contendit. Nam quod gratia verè, ac propriè dicta, promiſſa eſt quod à Deo liberaliter conceſſa, an propterea gratia eſſe deſinat?

Hoc nimirum dĭſputas Corneli? quàm immeritò ipſe tute, ſi non nolis, animaduertere poteris. Quod enim vel operibus, vel naturæ ipſi quoquo modo ex iuſtitiâ debitum eſt, illud gratiæ nomen retinere minimè poteſt, falſúmque proinde omni non planè hebeti videri debet, quod dicis *gratiæ propriiſſimè dictæ non repugnare debitum*, quemadmodum Pelagianum eſt, quod eodem in libro cap. 20. habes gratiam Dei non *deſinere eſſe gratiam, etiamſi quoque merito congruo præueniatur*. Nam quid quæſo, poſtulabant aliud Maſſilienſes, quàm meritum congruum, quod gratiam antecedebat?

Quod autem dicit meritum aliud eſſe operum, aliud naturæ, & *gratiæ propriiſſimè dictæ ſolum repugnare opus creaturæ* ſeu meritum operis, nec *gratiæ primæ creationis, ſed Chriſti redemptionis ipſum naturæ meritum aduerſari*, paullò pòſt diſputabitur. Nunc videtur eſſe ſatis oſtendere, à Ianſenio fidei, & dilectionis diuinæ gratiam naturæ rationali de-

bitam dici, quod eiuſdem lib. primi de ſtatu puræ naturæ cap. 17. tractat copioſè, ſic enim in ipſa capitis inſcriptione habetur. *An amor gratiæ ſit debitus creaturæ rationali innocenti, & quomodo?* Vbi tamen ſtatim ab ipſo limine offendit, cum pro ſua ignorantia, ſanè non admodum inſolenti, amorem gratiæ confundit cum amore, quo res creata adhæret Deo, tanquam ſuo fini naturali, cùm tamen vtrumque illum amorem diſtinguat in Angelo D. Th. 1. p. q. 60. art 5. q. 62. art. 2. Et 1. 2. q. 109. a. 3. vbi ad 1. dicitur *charitas diligere Deum ſuper omnia eminentiùs, quàm natura, natura enim diligit Deum ſuper omnia, prout eſt principium & finis naturalis boni: charitas autem ſecundùm quod eſt obiectum beatitudinis, & ſecundùm quod homo habet quandam ſocietatem ſpiritualem cum Deo.* Ibidémque docet Angelum potuiſſe, *ex ſolis naturalibus ſine gratia primo modo diligere Deum*, non potuiſſe *ſecundo modo diligere.* Certè ſic mihi perſuadeo, ſi tantiſper verſatus fuiſſet Ianſenius in rebus Theologicis, & hæc D. Thomæ placita percepiſſet animo, nunquam in eiuſmodi abſurditates incidiſſet, quarum immani quadam quaſi ſub mole cap. 17. fatetur ſe ſuccumbere, *ſicut & trabalibus difficultatibus*, ſed meritò videtur ridendus qui negotium ipſe ſibi faciat, cùm videlicet ea quâ ſolet vehementiâ in Theologos declamans, falsò ſibi perſuadet, pleroſque illorum opinatos, gratiam ſufficientem ad præcepta ſeruanda neceſſariam, etiam nunc à Deo negari non poſſe, ita vt nihilominus præceptorum violatio culpę vitióque detur, eoſdem proinde gratiam illam creaturæ eidem rationali debitam cenſuiſſe. Nec enim qui priùs illud dixerit, eum quoque poſterius aſſerere neceſſe eſt.

ARTICVLVS V.

Gratiam Angelis & Adamo naturalem eſſe vult Janſenius.

NON verebor primum hîc profiteri Aduerſarium lib. 2. de ſtat. pur. nat. cap. 1. docere *omnem omninò veram & ſinceram dilectionem, Dei etiam vt auctoris naturæ, puræ*

Digitized by Google

naturæ vires multum ſuperare, eſſe præcipuum donum gratiæ Dei, qua illa diffunditur in cordibus noſtris, atque inde perſpicuum eſſe omnem omnino fruitionem Dei, & conſequenter omnem beatitudinem de vero creaturæ rationalis bono longiſſimè vires puræ naturæ ſuperare. Fuiſſet optandum, ne à ſe ipſo tam fœdè deſciuiſſet; at vt pronum eſt in præceps Nouatorum ingenium, ille ſibi conſtare vel noluit, vel non potuit. Nam quoties docet fidem, & dilectionem Dei veram, & ſinceram eidem naturæ rationali puræ, innocentíque naturalem eſſe, nec magis gratuitum eſſe Dei beneficium, quàm ſit vel natura ipſa, vel liberum arbitrium, vel eximiæ animi dotes, aut ingenij vis præſtantiſſima, aliáque eiuſmodi diuinæ prouidentiæ munera naturalia?

Atque vt nihil dicam quod non exploratum omnino compertúmque ſit, non dubitat imprimis, eodem lib. cap. 2. 3. 4. 5. & ſequentibus vocare naturalem, veram beatitudinem, quæ ab homine naturali appetitione flagitetur, cùm bonum non ex eius appetitu, ſed effectione conſecutionéque naturale, vel ſupernaturale doceant Theologi dici oportere; adeò vt ſi quis beatitudinem, quæ ab homine naturaliter appetatur, naturale bonum appellet, non preſsè illud quidem, ac ſimpliciter, ſed aliquali ratione, naturale eſſe dicat, oportet: alioquin cùm etiam ab homine nocenti, & lapſo eadem beatitudo æquè naturali deſiderio, vt olim ab Adamo factum eſt, appetatur, peræquè nobis etiam, ac illi naturalis erit dicenda; quod opinor aduerſario minimè placebit, cùm tantùm diſcriminis intereſſe dicat, in vtroque illo felicis, & miſeri hominis ſtatu. tum cap. 5. *Prouidentiam, qua illa creatura ad beatitudinem ordinatur, tali naturæ connaturaliter debitam eſſe,* docet, *& ad naturæ auctorem pertinere, vt ea media prouideat, quibus ea bonum illud adipiſci poſſit.*

Hæc autem leuia ſunt præ iſtis, quæ l. 2. de ſtat. pur. nat. c. 15. tractat ex inſtituto Aduerſarius, *Prima* (inquit) *& grauis in ipſo limine hic occurrit difficultas, cuiuſmodi amor ille, ſeu charitas dici debeat naturalis, aut ſupernaturalis, debitum, an gratia. ſi enim eſt charitas, quomodo eſt naturalis; ſi naturalis, quomodo gratia? quæſtio iſta fateor mole ſua cogitantem premit.*

Digitized by Google

Non eſt tam bonus equus quin hæſitet interdum, ceſpitétque, ſi præſertim via lubrica ſit. At tamen non ſolens ſuo more facit Doctor noſter, qui in difficillimis quibuſque rebus definiendis nihil hactenus præ ſe tulit dubitationis, atque hæſitantiæ. Quæ (malum) te habet cunctatio magiſter confidentiſſime? Quid hæres ſic anceps animi dubiúſque, quid trepidas? Timet nimirum malè acceptum iri quod dicturus eſt. Nam *charitatem eam & naturalem, & ſupernaturalem eſſe* cenſet; ſupernaturalem quidem, quòd ex naturæ principiis minimè proficiſci poſſit; naturalem verò, quòd *pars naturæ creaturæque rationalis ſit, & actio quædam, nec quale bonum eſt pecudi ſanitas, vel aquæ frigus, quod ex ipſa naturaliter pullulat.* Neque tamen naturalem tantummodò eſſe amorem illum Dei, quia naturæ conſentaneus eſt, naturámque ornat, & perficit, ſed quia naturali lumine dictat ratio Deum eſſe diligendum, ita vt iudicet hanc eſſe *naturaliſſimam obligationem*, & præceptum de Deo diligendo eſſe *maximè de lege naturæ.*

Obſeruandum hîc tamen, legem, & ius naturæ à Theologis poni diuerſum à lege æterna, atque iure diuino. Verùm hoc in Ianſenio diſſimulari poteſt. Addit deinde *creaturam rationalem cernere id ſibi faciendum naturali ordine æternæ legis, & naturalis ordinis lege.* Cùm autem id ſine gratiæ ope præſtari non poſſit, quid aliud conſequens eſt, quàm gratiam, quæ ad appetitionem naturalem implendam neceſſariò deſideratur, accommodatúrque, ordinis eſſe naturalis? Præterea aſſerit *hominem, hominíſque voluntatem habere potentiam naturalem ad beatitudinem, quantumuis ſupernaturaliter acquirendam*, quia illa hanc naturaliter appetit.

Quàm puerilis iſta ſit conſequentia, non hîc vrgebo; ſed non exiſtimo par eſſe, vt ſinam hominem in rebus Theologicis, quæ poſſeſſiones noſtræ, impune eſſe adeo abſurdum, qui dictet beatitudinem modo ſupernaturali acquiri per potentiam naturalem. Si quippe potentia hominis ad eius adeptionem naturalis eſt, eius quoque vires, vt ſunt comparatæ à natura, ad illam adipiſcendam erunt naturales, cùm potentia, & vires in homine eiuſdem planè ordinis ſint. Quòd ſi ita ſit, quâ demùm ratione poterunt con-

Digitized by Google

ciliari hæc duo: beatitudinem longè ſupra naturæ vires eſſe poſitam, & ſimul hominem ad eam potentiam habere naturalem, cùm ad beatitudinem conſequendam, præter potentiam, nihil ſit aliud quod excogitari poſſit? ſic autem rationem ſuam inſtituit Ianſenius, quo quid dici queat miſerius? adeóne verò penſi nihil habet quàm vt ridiculum ſe præbeat omnibus? Sed putauit opinor ſi malediceret ſcholæ, quidquid peccaret in iis rebus, quæ ad ſcholam pertinent, impuniùs ſibi futurum; neque ſpem video fore, vt auctoritate Scoti quem laudat, vt meritò laudari debet, nobis fucum faciat.

Planum quippe eſt potentiam eam, quam cum Scoto, ſic enim profitetur, paſſiuam nuncupat, ab eodem laudatiſſimo viro nunquam dici naturalem: immò verò in prol. ſentent. quæſt. 1. (locum ipſe citat Aduerſarius) ait potentiam receptiuam reſpectu actus recepti dici vel naturalem, vel violentam, vel neutram; quatenùs verò potentia naturalis opponitur ſupernaturali, ait id eam habere per ordinem ad agens; & potentiæ receptiuæ *naturalitatem* conuenire, quando *comparatur ad agens, quod natum eſt naturaliter imprimere talem formam in tali paſſo. Supernaturalitas autem, quando comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impreſſiuum illius forma in illud paſſiuum.* quod ideo memoratum eſt à me, vt optimo cuique perſpectum eſſe poſſit, quàm ambiguæ, variæque fidei ſit Aduerſarius, qui pro ſe Scotum afferat, in quo nihil ſit eorum, quæ aſſerit.

Cap. item 16. eundem amorem Dei, *vult ad ipſam naturæ integritatem & ad naturalem hominis ſtatum pertinere; eſſe aliquid eius naturæ, ſeu bonum naturale. Sicut viſus, aut ſanitas ad naturæ humanæ integritatem pertinet*, quod ibidem ſæpiùs repetit, in quo patet quàm ſibi placeat. Nec prætereà quiſquam erit (vt arbitror) qui de illius mente meritò poterit dubitare, quid enim potuit ab eo explicatiùs dici, vt dilectionem Dei naturalem eſſe omnino non ſupernaturalem ſignificaret, quàm cùm dixit, eam eſſe aliquid eius naturæ, ad huius integritatem pertinere, hominis eam habentis ſtatum naturalem eſſe, eam denique ordinis naturalis eſſe? Quidquámne, amabo, ab eo hac in parte omiſſum, quod

ad manifeſtiſſimam illius ſuper ea re doctrinæ declarationem deſiderari videatur?

Nî me fallit opinio, intelligo quid cauſæ fuerit cur iſti ſententiæ, ita ſe addixerit bonus Cornelius, qui cùm in ſanctorum Patrum lectione ſit aliquando verſatus, neque ea qua par fuit cautione, quam homo ſcholæ negligens adhibere vix poterat; ea omnia quæ vel in ſpeciem fauere ſibi videbantur, temere arripuerit; iiſque deinde rem in ſuam fuerit abuſus. Obſeruauerat à quibuſdam Patrum eorum, quibus operam dedit, præſertímque à Proſpero, Fulgentio, & D. Thoma donum per ſe ſe ſupernaturale dici poſſe eamobrem naturale, quod ab ortu datum ſit, quemadmodum de iuſtitia mortalium Primo ab ipſo ortu data vulgo dici ſolet; ſtatim homo parùm conſideratus, quod ab iis Patribus peculiarem in ſenſum dictum erat, preſsè dicendum, ac ſimpliciter exiſtimauit; cùm enim dona fidei & charitatis, cæteráque iuſtitiæ originalis ornamenta, naturalia eſſe pronunciauit, aliorſùm accepit, atque ab illis acceptum fuerat, vt ex ipſis illius verbis vnicuique perſpectum eſſe poteſt; ſic enim habet, *eſſe bona naturalia non ſolùm à natiuitate data, vel natura conſentanea, vel quoquo modo perfectiua, ſed ad naturam ipſam aliqua ratione pertinentia.* tum verò illi dilectionis, ob hanc *connaturalitatem* tribuit *quidquid Theologi qui duplicem Dei amorem, alterum naturalem, alterum ſupernaturalem ſtatuunt, naturali amori tribuunt.*

Quòd ſi amorem *illum creaturæ rationali naturalem eſſe* dicit *non iſto ſenſu, quaſi naturalibus viribus obtineri poſſet, vel pars eſſet, vel vt proprietas, vel actio naturalis ex naturæ facultalibus fluens;* haud dubiè non magis illum conſtituit eſſentialiter ſupernaturalem, quàm fuit acre illud, quo vigebat Ariſtoteles, ingenium, aut aliorum eiuſmodi dotes eximiæ, quæ tametſi nemo neget ſingularis cuiuſdam prouidentiæ diuinæ præclara fuiſſe beneficia, nemo tamen dicat illa, ſupernaturalis cuiuſdam ordinis largitione eſſe profecta.

Quid porrò planius dici poteſt quàm quod cap. 17. ab eodem dictum; vbi de debito quod incumbit naturæ rationali, mentio eſt, vocat debitum illud *naturaliſſimum quod proficiſcitur non ex gratiæ ſtatu, ſed ex ipſa diuinæ imaginis inſtitutione,*

Digitized by Google

tutione, qua, ſalua natura eius, tolli nequit? etiam nouas voces cudit artifex ingenioſus, quaſi in tota Latinitatis amplitudine, nulla ſit poteſtatis illius, quæ menti ſuæ explicandæ par eſſe poſſit; maluit nimirum barbarus videri, quàm in eo ipſo quod dicit affirmando, nimis mollis, ac remiſſus; certè id ſi ſpectabat, res illi ceſſit ex animi ſententia. Nam quid dici poteſt magis aſſeueranter? Sanè ſi homo nullius peccati reus non ex gratiæ, ſed ex naturæ ſuæ, cui eſſentialis eſt imaginis diuinæ ratio, ſtatu, & conditione Deum diligere debet, procul dubio non gratiæ vi, ſed naturæ, idipſum præſtare poteſt. Nec ipſe negat, hominem, poſito nondum peccato, ea quæ non poſſit, facere minimè debere, neque nocentem futurum, ſi quod ſupra vires ſuas ſit, non fecerit, vt lib. de corrept. & gratia cap. 11. ipſe etiam docet Auguſt. ex quo fit, vt, ſi illud amoris debitum Adamo incumbebat, non ex gratiæ, ſed naturæ conditione, eiuſdem poteſtas naturæ donum fuerit, non gratiæ.

Idem ſtatuit lib. 2. de gratia Chriſti cap. 13. vbi ait: *quidquid fidei, dilectionis Dei, vitæ bonæ, & in omnibus iſtis perſeuerantiæ à rationali creatura poſtulatur, hoc per arbitrij libertatem primum hominem præſtare potuiſſe, & Angelos bonos reipsâ præſtitiſſe.* quo in loco Patres eos, qui in illa felici primæ libertatis excellentiâ gratiam à libero arbitrio diuerſam contineri arbitrati ſunt, fusè recenſet. Tum verò cùm doceat ita conſtanter, nos modò diuina non indigere gratia, vel ob meriti dignitatem, vel *ſupernaturalitatem* operis, ſed quia amiſſa liberi arbitrij indifferentia ad bonum, & malum, cupiditatis efferâ vi pertrahimur ad peccandum, manifeſtiſſimè conſequens eſt in eius doctrina, nec Angelos, nec Adamum innocentem vllius gratiæ verè, & propriè ſupernaturalis ope eguiſſe, cùm, vel ipſa ſapientum omnium teſte conſcientiâ, gratiæ ſupernaturalitas ex operis illius, ad quod requiritur, ſupernaturalitate videatur eſſe repetenda.

At enim habet, inquies, vnde ſe ab illa ſuſpicione liberet, qui tam frequenter gratiam dicat eſſe ſupernaturalem. non nego. Sed quia intererat illius vel maximè, vt ſi minùs Catholicè ſentiret, certè Catholicè loqui ſaltem aliquo

Digitized by Google

modo videretur; hanc viam exiſtimauit ſibi eſſe tenendam, vt impunè magis Eccleſiæ poſſet illudere; quod non ſemel ab eo factum fuiſſe liquet, cùm in concedendo homini libero ſine indifferentia arbitrio, liberi arbitrij nomen verbo tenùs retineat, reipsâ tollat. In quo non abhorret admodum à Pelagianorum conſuetudine, qui gratiam ſic admittebant, vt eam cum naturæ donis propemodum confunderent; ita Aduerſarius, qui in illa quam inducit gratia, nihil intelligi velit, niſi quod in donis quibuſdam, iíſque eximiis, ſed naturalibus vulgò ineſſe ſolet.

Porrò neſcio quid labis, ac veneni reſidere etiam videtur in illo adiutorio *ſine quo non*, ſiue gratia, quam ſupernaturalem Angelo ita tribuit, vt non per eam, ſed cum ea duntaxat per ſolum arbitrium Deus diligatur, adeo vt non aliud bonis illorum operibus gratia contulerit; quàm quod ad prolapſionem Adamo tentatio contulit. Quod quid aliud eſt, quàm omnem gratiæ ſupernaturalis vim atque efficientiam funditus labefactare?

Ne verò quiſquam præterea eſſe poſſit, qui dubitet, quo modo bona voluntas in Adamo gratiæ nomen apud Ianſenium obtinuerit, is librum 1. de ſtatu puræ nat. cap. 20. conſulat, vbi ea de re deditâ operâ diſputat, tum præterea quæ iam à me ſuper ea re ſunt obſeruata, & quæ ibidem dicta conſequuntur, animaduertat; *Subordinatio ſiue ex plurium rerum natura proficiſcens, ſiue ex conſtitutione aut voluntate, aut lege Dei, nihil obſtat gratiæ, quominus non tantùm primum, ſed omnia omninò ad primum velut fundamentum ordinata, ſiue naturalia fuerint, ſiue ſupernaturalia, gratia ſint ac dici debeant, omnibus enim commune eſt, quod gratuita donatoris voluntate donetur, nullo merito rationem doni gratuiti perturbante.* Quapropter ſi vel meritum, vel opus bonum nullum ſit, ipſa gratia cum omnibus donis ſupernaturalibus, cum quibus coniuncta eſſe ſolet, non magis eſt gratia quàm ipſa voluntas, quam opus, aut meritum nullum antecedat. Sic vt Ianſenius non aliter gratiæ diuinæ rationem tribuat iuſtitiæ originalis donis, quàm quibuſlibet aliis intra naturæ fines ob nullum meritum datis. Addit Auguſtinum nihil omnino moueri quorumdam ſcrupulis, quibus imaginantur ſubordinatio-

nem quorumdam donorum naturalem, qua vnum alteri naturaliter coniunctum eſt, impedire, quominùs vtrimque perfecta ſit gratia Dei. vides quam gratiam eſſe velit Adami iuſtitiam, de qua mirum quàm indignè ſentiat.

ARTICVLVS VI.

Ianſenij de gratia illa Angelorum naturali, error Pelagianus refutatur.

PAVCIS rem conficio, nam tædet me in Aduerſarij hallucinationibus cenſendis tam diu verſari. Duplex eſt illius circa gratiam Angelorum error, quorum alter in eo poſitus eſt, quòd gratiam Angelis ita velit eſſe datam, vt illorum naturæ debita fuerit, & conſequenter naturalis; alter verò, quòd nullum voluntatis, & actionis auxilium iiſdem contendat eſſe conceſſum. De priori hoc articulo dicere inſtitutum eſt, tum de poſteriori in ſequente dicendum.

De primo res erit, opinor, breuis & expedita, poſtquam enim ſuo in apolog. 2. part. lib. 5. diſputat. 8. Bagotius eum tam accuratè, támque diligenter refutauit, non diu, multúmque eum tenebo, ne (quod aiunt illi) recenti in vlcere moleſtus vnguis ſit; pauca tamen ab illo auctore ſeligam refutando errori magis idonea, tum è meo ſi res ita poſtulet, aliquid afferam, neque ſinam Aduerſarium Patrum teſtimoniis, quæ mala fide contulit in rem ſuam, impunè fuiſſe abuſum.

Neque ego hîc antiquam bonorum omnium querimoniam renouabo, has propoſitiones in Michaele Baio olim fuiſſe à Pio V. deinde à Greg. XIII. poſtremò ab Vrbano VIII. damnatas, quod pro meo iure poſſem, cùm res ita habeat. Neminem enim rerum iſtarum non inſcientem latere poteſt, propoſitionum earum Baij à Pontificibus ſuprà appellatis condemnatarum hanc eſſe numero quintam, *naturali lege conſtitutum fuit homini, vt ſi in obedientia perſeueraret, ad eam vitam pertranſiret, in quâ mori non poſſet.* Vt enim lex gratiæ noſtra dicitur; ita lex illa Adami naturalis dicitur

Digitized by Google

à Baio, quod à Ianſenio video eſſe vſurpatum. Quòd ſi vacaret in illis morari, non omitterem propoſitionem eam, quæ inter damnatas nonum locum habet, vt manifeſtiſſimi erroris aduerſarium reuincerem, nam quæ dicit, in quo diſcrepant à Baio, cuius ſunt hæ voces; *humana naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium diuinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt.* Deprime ſupercilium Corneli, qui te rerum tam nouarum auctorem inuentorémque arbitrabare. priùs quàm veniret tibi in mentem eiuſmodi doctrina, venerat in Romanæ ſedis cenſuram, à qua, quidquid in illius defenſionem & patrocinium peroraueris, non poteris eam vindicare. Cùm verò damnatæ ſint & iſtæ propoſitiones, *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali gratuito ſupra conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, vt fide, ſpe & charitate Deum ſupernaturaliter coleret,* quæ decima eſt, & hæc quæ vndecima: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio?* Cùm inquam, nihil horum à ſummis Pontificibus, qui & temporibus iis & conſequentibus ſummam rerum adminiſtrarunt, vitio & errori datum non ſit, quid porro de te, tuóque Auguſtino Iprenſi futurum autumas Corneli, in quo omnia cum Baio tam bene conueniunt?

Nec verò vera, germanáque gratia, quam vocat Doctor noſter lib. 1. de ſtatu puræ naturæ capite 20. *gratiam* Dei perfectam, poſtulat tantùm, vt nullo merito operis boni acquiratur, nec omne donum Dei gratuitum propterea gratia eiuſmodi eſt; ſed præterea requiritur, vt ſit ſupra ordinem naturalem. meritum enim vt aliquãdo latiorem in ſenſum accipitur pro dignitate, & exigentia naturæ, omninò opponitur iſtiuſmodi gratiæ, in quo errat Aduerſarius, qui eo loci contrarium docet, adeo vt non ſola gratia Chriſti, verùm etiam quæ Angelo, & Adamo data eſt ad bene viuendum, quæque propriè dicta gratia fuit, omnem naturæ exigentiam excludat; quod cùm dico, nolim per exigentiam intelligere potentiam aptam, idoneámque, quæ id in ſe doni recipiat, quo ſenſu Auguſt. lib. de prædeſtin. SS. cap. 5. fidem eſſe naturæ dicit, quòd in naturali ſubiecto recipiatur.

Antequam verò produco D. Thomam, breuiter monendum puto, eundem, alióſque veteres Theologos iuſtitiam quandam originis à gratia ſanctificante diuerſam poſuiſſe. Quapropter ſi factum eſt aliquando, vt iuſtitiam illam naturalem dixerint, non continuò inferendum idem de gratia iis eſſe viſum.

Quod autem diuinus Doctor gratiam hanc fidem & dilectionem, de qua quæſtio noſtra inſtituitur, non tantùm ſupernaturalem eſſe voluerit, verùm etiam naturalem eſſe negauerit funditùs, eámque non operum modò, ſed & naturæ merito, ſeu dignitati, non rependi, ſic vt ipſa etiam naturæ dignitas, & exigentia gratiæ propriè dictæ vim omnem perimat, habetur ex 1. p. q. 100. art. 1. vbi ad 2. diſtinguit iuſtitiam originis à iuſtitia gratuita, ſeu gratiæ, quæ eſt primum meriti principium, & ita ſtatuit infantes ex Adamo innocente genitos, gratiam fuiſſe accepturos, neque tamen gratiam propterea fuiſſe *futuram naturalem*. in eadem verò p. q. 95. art. 1. de integritate, in qua Adamus conditus eſt, loquitur, vbi quod corpus animæ ſubiectum fuerit, facultatéſque inferiores paruerint, negat fuiſſe intra naturæ fines poſitum, alioquin eadem vis poſt peccatum relicta eſſet, quemadmodũ patet in dæmonibus, quibus nihil eorum quæ naturalia erant; per peccatum ereptum eſt, cùm ingenij pollens robur, ſcientiam, cæteráſq; eiuſmodi dotes retinuerint. *Vnde*, inquit, *manifeſtum eſt quòd & illa prima ſubiectio, qua ratio Deo ſubdebatur*, quod fit per gratiæ dona & virtutes, *non erat ſolùm ſecundùm naturam, ſed ſecundùm ſupernaturale donum gratiæ.*

Ex quibus tria ſunt quæ in rem noſtram colligi poſſint; primum, quidquid Angelus, & Adamus peccando perdidit, naturale non fuit; cùm illis nihil eorum planè quæ naturę erant peccato perierit. Alterũ, dona iuſtitiæ, quorum iacturam tam miſerè Adamus paſſus eſt, nullomodo ſecundùm naturam fuiſſe. Tertium denique, quòd nullum gratiæ donum intra naturæ fines eſſe poſſit, cùm ſupra naturam longè ſit. Vnde conficitur quod erat propoſitum, gratiæ donum non modò non eſſe ſecundùm opera, vel merita operum, ſed etiam ſecundùm naturam, aut dignitatem, aut meritum, quale-

Digitized by Google

cumque porrò fuerit illud, ipſius naturæ.

Plura hîc vel ex D. Th. vel aliis Theologis, ac Doctoribus cõgerere non vacat, cùm qui in illis vel tenuiter verſati ſint, non ignorent, nihil apud eos haberi frequentius, quàm diuerſas illas notiones, ſub quibus Deus auctor gratiæ, & vt opifex naturæ conſideratur, diſtinguitúrque pro varia vtriuſque rationis conſideratione; quod etiam de illius donis, vel vt ad naturam pertinent, vel vt ad gratiam, eſt ſtatuendum.

ARTICVLVS VII.

Angelus præter gratiæ habitualis, ſeu potentialis dona, eguit auxilio gratiæ; vt vellet bonum, quod per illa iam velle poterat.

DISPVTAMVS hoc loco de gratia voluntatis, ſiue de auxilio, quo adiutus homo vult, quod velle poteſt per gratiam eam, quam Theologi appellant potentialem. Sed antequam rem aggredior, quædam ſunt quæ moneri oportet. Primum, non diſceptari hîc de auxilio actionis, neque diſputari, num Angelus qui reipsâ bonum volebat, aliquo præterea indigeret auxilio, quo bonum operaretur, de quo ſuus erit diſputandi locus.

Monendum deinde, auxilium illud voluntatis, quo bonos Angelos donatos eſſe dico, fuiſſe efficax, vt dici ſolet, cùm illud idem malis defuerit. Cùm autem nullum gratiæ ſufficientis præuenientis, præparantis voluntatem, & operantis auxilium ſit in poteſtate hominis, ita vt illi à Deo offeratur quia vult, hoc enim Deus operatur in nobis ſine nobis, quod & Angelo, & Adamo contigit; nihilominùs quia adiutorium illud efficax eſt, nec, vt per ſe patet, velle bonum operatur in voluntate mea, nec in me, niſi mecum, & cum voluntate mea libera: nec verò idcircò, ſi propriè loqui placet, ego cooperans gratiæ eam facio efficacem, quaſi efficientiæ illius auctor ſim, ſed ipſa per ſe eſt efficax, non tamen ſe ſola, ſed mecum.

Quod fortaſſe abductum à ſenſibus poteſt difficulter præ-

Digitized by Google

cipi animo, poſitum in exemplo, réque familiari, poteſt. Princeps offert mihi pro ſua ſingulari munificentia donum, ſic vt quantum in ſe eſt, donet illud, neque tamen perfecta, efficáxq; cenſebitur donatio niſi à me accipiatur, quia donationis effectus eſt, donum, quod erat Principis, accipiendo facere meum. Cùm autem donum acceptare non poſſim, niſi priùs offeratur, non rectè acceptatio mea dicitur donationem facere efficacem, multóque minùs ipſe accipiendo cauſa ſum primaria aut donationis, aut dominij, quo donum oblatum à Principe fit meum, támque Principi obſtrictus ſum, donum illius cùm accipio, quàm ſi quo modo, abſque eo quod acciperem, munus meum fieret. Quod etiam planius erit; ſi cùm munus offertur, preces etiam, adhortationéſque adhibeãtur à Principe, vt donum illud à me accipiatur; quod ſuauiter magis efficientérque à Deo fieri ſolet, cùm nos ad gratiam ſuam recipiendam blandè inuitat, & hortatur.

Monendum 3. Angelos bonos potuiſſe non velle Deum amare, licétque aliis fortaſſe minimè fuerint obnoxij tentationibus, quia tamen penes eos liberi arbitrij facultas erat, neque propterea eâdem vi atque perfectione pollebant, qua Deus ipſe, inſitos habebant ſuperbiæ motus, quibus tentari poterant, tum etiam ſibi placere, mox auerti à Deo, poſtremò in ſe, amorémque ſuum conuerti, vt ipſe profitetur Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. vlt. *& hoc eſt initium omnis peccati ſuperbia, & initium ſuperbiæ hominis*, atque adeò Angeli *apoſtatare à Deo*. Illa enim eſt, naturæ cuiuis creatæ intelligenti, ſéque non ignoranti, vanitas innata, & prauitas, quam reperit Deus in Angelis ſuis. Eò accedit quod ab Angelo principe, cæteri ad peccandum tentati inductíque ſint, vt innuit D. Th. 1. p. q. 63. a. 8.

Verùm contra tot tentationum impreſſiones, peculiari quadam ratione Angelos bonos fuiſſe ope diuinâ munitos, adeóque in bono gratiæ auxiliatricis vi perſeueraſſe, docet Diu. Thom. In 1. enim 2. q. 109. art. 2. quærit *vtrum homo poſſit velle & facere bonum abſque gratiâ*; conſiderat autem eum in ſtatu naturæ integræ, & corruptæ, in hoc vult hominem indigere vt ſanetur, at *virtute gratuita ſuperaddita virtuti na-*

Digitized by Google

turæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantùm ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale ...... vlteriùs autem in vtroque ſtatu indiget homo auxilio diuino, vt ab ipſo moueatur ad bene agendum. Certum autem eſt, ſolam gratiam ſanantem non eſſe gratiam voluntatis, vt mox patebit. Ea autem exceptâ, par eſt Adami ſtantis, & lapſi; integri, & vitiati ratio, & præter gratiam poſſibilitatis, tam indiget auxilio quo fiat volens, & agens bonum, in ipſo florentis fortunæ ſtatu, in quo conditus eſt, quàm in miſero & afflicto, in quem eſt prolapſus.

Quid enim gratia ſanans ſit, D. Th. 1. 2. q. 111. a. 2. explicat, vbi ait *habitualem gratiam ſanare, iuſtificare, & gratum hominem Deo facere.* & art. 3. gratię effectus in nobis quinq; numerat, *quorum primus eſt, vt anima ſanetur: ſecundus, vt bonum velit; tertius, vt bonum quod vult efficaciter operetur: quartus eſt, vt in bono perſeueret: quintus eſt, vt ad gloriam perueniat*, excepto autem primo reliquos omnes in Adamo innocente locum habuiſſe dicit; ipſúmque adeò, de quo eſt diſputatio, quo fit vt homo velit. Prætereà eodem in loco auxilium gratiæ cooperantis, quod haud dubiè eſt efficax, ponit in Adamo, & q. 27. de veritate art. 5. ad 3. fatetur in ſtatu naturæ integræ magis *potuiſſe ſtare per ſeipſum, quàm nunc poſſint habentes gratiam, non quidem propter defectum gratiæ, ſed propter infirmitatem naturæ, & multitudinem impedimentorum, quæ non erant in illo ſtatu naturæ integræ, quamuis etiam tunc homines habentes gratiam indigerent diuina prouidentia eos dirigente & prouidente, & ideo habens gratiam neceſſe habet petere diuinum auxilium quod ad gratiam cooperantem pertinet.* Quæ vltima ſententia accipi debet in ſenſum vniuerſalem, & tam Angelum quàm hominem ſiue in ſtatu felici, ſiue miſero poſitum complectitur, quod pugnat ex aduerſo contra Ianſenium, qui negat Angelos debuiſſe orare, vt acciperent auxilium, quo aut bene vellent, aut in bona voluntate ſibi conſtarent.

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

De eiuſdem auxilij ope Angelis & Adamo neceſſaria, ſancti Auguſtini, eiúſque diſcipulorum doctrina affertur.

NON placet hîc alia proferre teſtimonia, quàm ea quibus ad ſuam doctrinam fundandam abutitur lib. de gratia primi hom. cap. 7. Aduerſarius, ex quo duplex vtilitas conſequetur. Altera, qua Auguſtinum, eiúſque ſectatores à meis eſſe partibus; alterâ, qua alienum ab Ianſenio, nec niſi prauo quodam abuſu, ad eius partes eſſe accommodatum demonſtrabo. Obſeruari autem hîc imprimis neceſſe eſt, in illis omnibus locis, quorum mentio eſt futura, gratiam & auxilium, quo fiat homo volens, nuſquam excludi adeò, vt licèt Angelus per liberum arbitrium ſtetiſſe dicatur, nunquam tamen exiſtimandum ſit per ſolum arbitrium, & ſine gratiæ auxiliatricis ope ſtetiſſe, in quo vertitur totius huius quæſtionis cardo. Ibi enim apertè docet Ianſenius omnia illa bona opera, adeóque & ipſam fidem, & dilectionem Dei ab Adamo *potuiſſe fieri per arbitrij libertatem ſic, vt ea non donaret gratia Dei.*

At quid moror hominem noſtrum, cuius mala fraus non poteſt prӕterea diſſimulari? Sic enim lib. 3. de lib. arb. c. 26. habetur: *Ex eo quod non accepit, nullus reus eſt: ex eo verò quod non facit quod debet, iuſtè reus eſt. Debet autem, ſi accepit & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem.* Lege tabulas homo parùm fide. Nam quid cauſæ eſſe poteſt obſecro, cur hæc verba quæ ſententiam eam proximè antecedunt, tam diſſimulanter prætereas? *Omnia ergo illi debent* (nimirum Deo) *primo quidquid ſunt, in quantum natura ſunt; deinde quidquid melius eſſe poſſunt, ſi velint; quacumque acceperunt, vt velint, aut quidquid oportet eas eſſe, ex eo igitur quod non accepit, &c.* manifeſtum eſt, opinor, intelligenti.

Has voces Auguſtini pertinere ad homines vniuerſos, non ad ſolum Adamum innocentem, adeóque quid homines Deo debeant pluribus exequens, triplex eorum debitum diſ-

tinguit. Primum fundatum in eo, quòd à Deo creati, naturam cæteráque dona naturalia ad naturæ vſus accommodata ab eo acceperint. Secundum debitum, illúdque à naturalibus donis diuerſum, in eo poſitum eſt, quod homo bonum operari poſſit, ſi velit, vnde melior, ſi libuerit, euadat: quod planè repugnat Ianſenio, qui exiſtimat Adamum quidem innocentem gratiam habuiſſe, qua poſſet, ſi vellet, quod vocat adiutorium *ſine quo non*: nos verò non habere adiutorium, quo poſſimus meliores eſſe, ſi velimus, ſed ſolum illud adiutorium *quo*, quod eſt eiuſmodi, vt non eo vti poſſimus aut vtamur, ſi voluerimus, ſed quo duntaxat volentes efficiamur. Tertium verò munus eſt adiutorium *quo accipimus, vt velimus*. Hócque ab omnibus, & conſequenter ab Adamo Deo debitum diuerſum à ſecundo numeratur ab Auguſtino, quod Ianſenius, qui ſe, ſi hominem audias, Auguſtini vindicem dicit, non poteſt ſibi temperare, quin, quantumuis ab Auguſtino profectũ, confutet. Nam quod Adamus potẽs, ſi vellet, melior fieri, accipiebat, vt vellet, id dono Dei, ſeu gratia donante, habebat. Quod autem Auguſtinus probat hominem habere libertatem, & facultatem ſufficientiſſimam; ſanum, qui negèt, planè video eſſe neminem. Quod cùm dictum eſt ab Auguſtino, non ita accipiendum, vt facultatem hanc abſque gratia, aut haberi à quoquam poſſe, aut vnquam fuiſſe habitam exiſtimet. In quo poteſt ab vnoquoque obſeruari, quàm ſiniſtra fide, iudicióque quàm peruerſo, Ianſenius hoc teſtimonium pro ſe attulerit, quo vno confoditur caput hydræ Ianſenianæ, vincitúrque error capitalis de gratia Adami, qua poſſet ſi vellet, & de noſtra, qua id non habeamus, nec vtamur, ſi voluerimus.

At vbi ſemel violatæ fidei licentia offenſum eſt, ſemper itur in peius, neque vlla deinceps veritati fidéique reuerentia habetur. Quid enim non audet Aduerſarius, poſtquam id ſibi permiſit? Sic enim Auguſtinum citat ex lib. 11. de Gen. ad litteram cap. 4. *Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet bene viuere, quia nemo malè viuere ſuaderet, cùm in natura poſſit, & in poteſtate habeat velle, & non conſentire ſuadenti.* Sic Auguſtinus. Ex quo ſic rationes ſuas computat Iprenſis. *Ecce in natura habebat poſ-*

ſe bene viuere. & quid eſt in naturâ, niſi in natura liberi arbitrij? Sed quis ferat hominis ineptias? Quorsùm tot tricæ? ideóne ſe in Auguſtino tam bene verſatũ eſſe, ita glorioſè prædicare debebat, vt illius mentem ſic pro ſua libidine diſtorqueret? ô ſubtilitatem! ô argutias, cùm naturam liberi arbitrij vult eſſe intelligendam! Quæſo te mortalium acutiſſime, num natura ipſa, quæ ante peccatum ad bene, rectéque agendum libero arbitrio ducebatur, cùm eo per peccatum ſpoliata eſt, liberíne arbitrij, an ipſius hominis ſubſtantialis natura eſt, in qua iuſtitia ſimul, iniuſtitiáque ſit? an ideo per naturam ipſam hominem iuſtum, & iniuſtũ eſſe dicas? nî fortaſſe quem Pelagianum eſſe non puduit, non pudeat eſſe Manichæum? Nam Manichæorum eſt, vnam, & alteram, bonam, & malam naturam tueri velle. Quid eſt, cur homo dicatur in natura ſua habere gratiam, niſi gratia in natura humana tanquam in ſubiecto idoneo recipiatur? ſic anima recepta in materia non eam ob rem viuere per materiam & Deo accepta dici debet per naturam, niſi ab iis qui craſſi penitus materiatíque ſint.

Sed non poſſum non magnopere mirari hominis noſtri iudicium, qui hoc loco abuti non dubitat, vt probet Adamum, nullo ad gratiam *potentialem* addito auxilio eguiſſe vt bene vellet, & profert locum, qui ſi nudè ac ſeorſim ſumatur, omnis omnino gratia à natura diuerſa, neceſſe eſt excludatur. Sic enim explicat illud promptum ab Auguſtino *in natura*. Quod proculdubio Pelagianum eſt. At ô mentem hominis læuam! qui, quæ in eodem verborum contextu conſequuntur, premit ſilentio, ſic enim habet: *Adiuuante tamen illo, qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam.* Qua verborum præteritione, quippe quæ ad ſententiæ totius intelligentiam faciebant plurimùm, quid impudentius poteſt excogitari?

De tertio teſtimonio quod affert ex lib. de nat. & gra. non cap. 37. vt falsò citat, ſed cap. 40. res eſt in promptu, ſic enim Auguſt. *Verum eſt quod ait Pelagius, quod Deus tam bonus, quàm iuſtus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere ſufficeret, ſed ſi voluiſſet; Quis enim eum neſcit ſanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iuſtè viuendum poteſtate*

libera conſtitutum? At quis quæſo hoc negat? an idcirco quod in quæſtione eſt, Adamus iuſtè viuere per ſolum arbitrium potuit non donante gratiâ? num ibi *liberum arbitrium à libera poteſtate ad iuſtè viuendum* Auguſtinus diſtinguit? & ne pugnet ſecum, conſtanter aliis in locis docet, Adamum per peccatum, perdita poteſtate & libertate ad bene viuendum, non perdidiſſe liberum arbitrium ad malum; ſed ſolùm ad bonum? nónne ibi Auguſtinus ait, Adamum fuiſſe factum ſanum, cùm tamen aliam hominis ſanitatem non nouerit, quàm gratiam, & charitatem, quæ non eſt à natura, ſed diffuſa per Spiritum ſanctum? At cùm Aduerſarius nullum in eo loco erroris ſui habeat patrocinium, audiamus quid ibidem ſanctus Doctor addat cap. 44. Cùm enim Pelagius ſibi obiici diceret *quod non per Dei gratiam homines ſine peccato eſſe poſſe defenderet:* ſic reſpondit, *ô ignorantiæ cæcitas! ô imperitæ mentis ignauia, quæ id ſine Dei gratiâ defenſari exiſtimet, quod Deo tantùm audiat deputari!*

Quod autem de ipſo quoque Adamo dictum illud intelligat Pelagius, conſtat ex iis quæ ex cap. 43. allata ſunt à Ianſenio. Quamobrẽ cæcus eſt, & imperitus apud Pelagium, qui Adamum ſine peccato eſſe potuiſſe ſine gratia, aut aliter quàm per gratiam bene operatum fuiſſe exiſtimat; adeóque damnatur Ianſenius, qui velit Adamum, quod potuerit non peccare habuiſſe quidem *ſine gratia, ſed per ſolum arbitrium, non per gratiam, nec donante gratia Dei.*

Quid porro de hac Pelagij ſententia ſtatuit Auguſtinus? *Quid* (inquit) *dici breuiùs potuit, & veriùs, quàm poßibilitatem non peccandi, quantacumque eſt, vel erit in homine, non niſi Deo debere reputari? hoc & nos dicimus, iungamus dexteras.* At repugnabit Ianſenius, nec dextram iungere cum Auguſtino ſuſtinebit. Idem demum Auguſtinus cap. 48. pergit dicere: *quod non peccare noſtrum ſit, poſſe verò non peccare non noſtrum,* aiebat Pelagius; idipſum quoque habet Ianſenius de Adamo innocente, cui vult datam *poßibilitatem* boni, & non peccandi, quod verò non peccarit, quamdiu ſtetit, id non donante Dei gratia, per ſolam arbitrij ſui libertatem habuiſſe; adeo vt in hoc tantùm differant Pelagius, & Ianſenius, quòd iſte ſoli Adamo innocenti, Angelóque tribuat

non peccare per ſolum arbitrium; quod Pelagius & Adamo, & nobis tribuit. Sic autem cauſæ arbiter Auguſtinus, contra vtrumque pronuntiat. *Si de integra & ſana hominis natura loqueretur Pelagius quam modò non habemus .... nec ſic rectè diceret, quod non peccare noſtrum tantummodo ſit, quamuis peccare noſtrum eſſet: nam & ibi adiutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adiuti videant ſe præbere volentibus. Quia verò de hac vita diſputat... miror quo corde etiam, ſine adiutorio medicinæ Saluatoris noſtri, noſtrum putat eſſe non peccare; poſſe verò non peccare, naturæ eſſe contendat; quam ſic apparet eſſe vitiatam, vt hoc maioris vitij ſit non videre.* Vides in natura ſana præter ſanitatem animi, & gratiam *poſſibilitatis*, vt Adamus non peccaret, eum etiam diuina gratiæ ope indiguiſſe: quemadmodum oculus ſanus, & bene affectus, tametſi videre per ſe poſſit, eget tamen lumine, vt reipsâ videat: in natura verò vitiata, hominem præter ſanitatem, & adiutotium illud, prætereà egere auxilio medicinæ; vt oculus æger præter facultatem videndi, & lumen ipſum, eget collyrio, vt videat.

Quapropter, vt patet ex dictis, manifeſtiſſimæ falſitatis reus tenetur Ianſenius, qui eo loci Auguſtinum ait, in Adamo concedere Pelagio, quod poteſtatem bene viuendi naturæ tribuebat. Nam, vt expoſitum eſt à me, in naturâ integrâ præter ſanitatem animæ, auxilium diuinum poſtulabat. Quemadmodum ridiculum eſt, quod ibidem Ianſenius ait concedi ab Auguſtino, non fuiſſe Adamo neceſſariam gratiam Chriſti. Neque enim ea de re erat quæſtio: Et Auguſtinus præter medicinalem Chriſti gratiam, quæ naturæ vitiatæ neceſſaria eſt ad bene viuendum, admittit gratiam Dei, & adiutorium, de quo omnis controuerſia eſt. Quæ res cùm ita habeat, perdit operam Ianſenius, cùm teſtimonia prompta ab Auguſtino, cæteriſque Patribus congerit, quibus contendunt, homini ſi ab omni vitij labe vacaret, Chriſti medela opus minimè futurum, cùm id non diſputetur, ſed vtrum Adamus potuerit eſſe ſine peccato, abſque ope gratiæ, ſola pollens liberi arbitrij vi, neque Dei gratia, neque Chriſti aut Saluatoris, aut medici ope communitus.

Poſtremum denique quod affertur ab Aduerſario Auguſtini teſtimonium, petitum eſt ex lib. 1. de peccat. meritis cap. 37. ſed nihil aliud eo in loco vult, opinor, Auguſtinus, *quàm mentis valentiam vſúmque rationis, quo præceptum Dei, legémque mandati docilis Adam caperet, & facilè poſſet cuſtodire ſi vellet,* naturæ puræ fuiſſe quædam primordia, non corruptæ, vitiatæque: quod perſpicuum eſt. Verùm quod natura pura ibi eadem ac ſana, integráque ſit, liquet; quam ſine gratia, & charitate ita fuiſſe comparatam negat ipſe quoque Ianſenius, cùm ipſum charitatis defectum Adamo futurum fuiſſe inſigne vitium doceat. Quare diſſentit à ſeipſo Ianſenius, ſi naturam puram accipit pro ea, in qua nihil gratiæ ſupernaturalis ſit, quam in eam partem nî accipiat, planè dignus eſt, qui rideatur, cùm teſtimonium afferat ex Fulgentio ad rem, de qua diſceptatur, minimè idoneum.

Ex illis verò locis vincere vult, diſertis verbis iudicari, *datam eſſe naturaliter, hoc eſt in prima conditione poſſe credere, & bene viuere; ſeu mentis valentiam, poteſtatem liberam, poſſe, ſufficientiam, ſufficientiſſimam facultatem ad credendum, ad carendum peccati malo, iuſtéque viuendum, nec verò ita vt tantùm remotè poſſit bene viuere, propter mentem.* At ſi non tantùm remotè, vt ais, certè proximè etiam, potuit bene viuere. Id verò cùm vterque noſtrûm fateatur; iam quæſtio eſſe debet, vtrum illam ſufficientiſſimam facultatem, & *poſsibilitatem* bene viuendi proximam, ſolius naturæ vi habuerit Adamus, an verò per gratiam. Idipſum eſt videlicet, quod ait Ianſenius, &, niſi id exiſtimat, abſurdus eſt, qui quod nos fatemur tanquam quid in controuerſia poſitum probare vult.

Neque verò, qui aliter ſentiat, à Pelagianæ doctrinæ ſuſpicione poterit ſe liberare. Nam Pelagius nullo alio contendit argumento, nos modò per liberum arbitrium, poſſe eſſe ſine peccato, quàm quia id poterat Adamus, à quo talem acceperimus naturam, qualem ipſe accepit à Deo. At eum refellit Auguſtinus, quòd poteſtas illa, quam peccando perdidimus, per Chriſtum reſtituatur; cùm tamen niſi gratia fuiſſet in Adamo, ſed ſola natura, eam peccando non amiſiſſet, neque nos in eo. Neque per Chriſtum reſtituitur no-

Digitized by Google

bis quicquam aliud, quàm gratia prorſùs à naturâ diuerſa; & hoc ipſum probant dicta Auguſtini, Fulgentiique ab Aduerſario allata. In quo quis non miretur hominis inconſiderantiam, qui vt probet, Adamum per liberum arbitrium, non per gratiam potuiſſe perſeuerare in bono, & reuerá aliquamdiu ſibi conſtitiſſe, teſtimonium adhibet, ab Auguſtino, & Fulgentio petitum; quorum vterque id gratiæ tribuit non naturæ; quas hallucinationes quis in homine intelligenti ferat? Sic autem Aug. epiſt. 107. *Credere in Deum libera voluntate, opus eſt gratiæ non naturæ. Opus eſt inquam gratiæ, quam nobis attulit ſecundus Adam, non naturæ, quam totam perdidit in ſemetipſo primus Adam:* perdidit, inquam, id eſt corrupit, vitiauit; non amiſit. *Non eſt igitur gratia Dei in natura liberi arbitrij, & in lege, atque doctrinâ; ſicut Pelagiana peruerſitas deſipit, ſed ad ſingulos actus datur illius voluntate, de quo ſcriptum eſt: pluuiam voluntariam, ſegregabis Deus hæreditati tuæ, quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus;* amiſsâ ſcilicet charitate gratuita, quæ erat illa ad diligendum Deum libertas arbitrij: quibus manifeſtum eſt Auguſtinum negare non modò gratiam eſſe naturam vitiatam, ſed in vniuerſum, eſſe naturam. Refellit enim Pelagium, qui in eo præſertim errabat, quòd in Adamo naturam liberi arbitrij gratiam eſſe doceret. quin immò gratiam hanc gratis datam eſſe aſſereret, quòd nullis antecedentibus meritis natura concedatur.

Eum porrò confutat Auguſtinus, quòd non modò natura non ſit gratia, ſed quòd præterea ad ſingulos actus bonos in vniuerſum gratia neceſſaria ſit, non autem ſoli homini vitiato per peccatum, quod probat ſanctus Pater ex hoc loco, quia *Deus pluuiam illam voluntariam ſegregat hæreditati ſuæ.* Quis autem neget bonos Angelos eſſe hæreditatem Dei? illis igitur ſegregauit Deus pluuiam; quòd dederit peculiare quoddam auxilium, quod cum Angelis malis commune non fecit. Neque quòd boni per arbitrium ſuum ſteterint in bono, efficere debet Aduerſarius eos ad ſingulos actus bonos auxilium à Deo non accepiſſe: ſic enim eodem in loco loquitur Auguſtinus, *Scimus maioribus gratiam Dei ad ſingulos*

actus dari, & quibus datur non ſolùm ſecundùm merita operum, ſed nec ſecundùm merita voluntatis eorum, quibus datur, ſed miſericordia Dei gratuita dari; etiamſi ſciamus eos qui proprio corde credunt, ſua id facere voluntate ac libero arbitrio. Quæ voces Auguſtini, credo, non fauent Ianſenianæ doctrinæ, quæ ab iis ita abhorret, cùm per liberum arbitrium credere nos prorſus neget, ſed per ſolam gratiam, nec quod credimus id noſtrum eſſe; niſi fortaſſe Ianſenius exiſtimat qui libero arbitrio credit, eum cum arbitrio tantùm non vero per arbitrium credere; quod ſi diceret, procul dubio ab omnibus Grammaticis, & linguæ Latinæ Doctoribus meritò vapularet.

ARTICVLVS IX.

Eadem doctrina ex S. Auguſtino probatur, refutata Ianſenij cauillatione.

NE fortè id de quo diſputatio eſt, aliorſum ac debet, accipiatur; meminiſſe nos oportet, quæſtionem eſſe hîc de peculiari adiutorio, quod Angelos ſtantes à Deo accepiſſe contendo, ita vt non ſteterint, niſi gratiæ vi, eámque gratiam, quam vt ſtarent acceperunt, voluntatis fuiſſe, non ſolius (vt docet Aduerſarius) *poſſibilitatis*. quod non obſcurè inſinuare videtur Auguſtinus libro 12. de Ciuitat. Dei cap. 9.

At non ita videtur Ianſenio, qui lib. 1. de gratia primi hominis cap. 19. maius adiutorium, quod Angelis bonis datum à Deo innuit Auguſtinus, interpretatur de ſcientiâ certâ, quâ iam beati nouerunt, ſe deinceps nunquam lapſuros, non verò de adiutorio ad perſeuerandum illis, dum adhuc erant in viâ, conceſſo. Vnde factum, vt maius auxilium Angeli boni acceperint, quàm praui, cùm maior fructus, ipſa nimirum beatitudo, ex illo conſequutus ſit. quod ſi minùs verum, certè verò ſimile vt efficiat, venit illi in mentem obſeruare, non niſi poſt cladem Angelorum malorum, opem bonis fuiſſe datam.

Sed quàm friuola ſit iſta obſeruatio, patet ex lib. 11. de Ciuitate

uitate cap. 13. lib. 12. cap. 9. vbi ea de re diſputatur. Imprimíſque lib. 11. docet Auguſtinus Angelos ſanctos, ſimul facti ſunt, lucem eſſe factos, & illuminatos, vt ſapienter, beatéque viuerent: ab hac autem illuminatione auerſos Angelos non obtinuiſſe excellentiam ſapientis, beatæque vitæ. *Quatenùs autem antequàm peccaſſent, illius ſapientiæ fuerint participes, definire quis poteſt?* loquitur ergo de participatione ſapientiæ, quæ beatitudo non fuit, cùm Angeli lapſi in participationis illius partem venerint, non autem venerint in beatitudinis communionem, cùm addat D. Doctor: *In eius tamen* (hoc eſt ſapientiæ) *participatione, æquales fuiſſe iſtos illis .... quomodo dicturi ſumus, quandoquidem ſi æquales in ea fuiſſent, etiam iſti in eius æternitate manſiſſent pariter beati; quia pariter certi.*

Non diſputo an illud auxilium quod maius fuiſſe dicitur in Angelis bonis, fuerit certa ſcientia, & delectatio victrix, quemadmodum Auguſtinus noſtrum gratiæ efficacis auxilium vocare ſolet. vnum id vrgeo, quòd ſi par auxilij in vtriſque ratio non fuit, vt vulgò par non fuiſſe dicitur, illud in inæquali ſapientiæ dono poſitum fuerit, non verò in ipſa beatitudine. Neque tamen inficiabor interdum gratiam ipſam, à gloria diuerſam, vocari ab Auguſtino beatitudinem; vt apertè dicitur lib. 11. cap. 12. in quo ſic habetur. *Quis primos illos homines in paradiſo negare audeat beatos fuiſſe ante peccatum? .... cùm hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus iuſtè, & piè cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere ſine crimine vaſtante conſcientiam, facilè impetrantes peccatis huius infirmitatis diuinam miſericordiam?*

Atenim, ait Ianſenius, boni illi Angeli plus adiumenti accepiſſe dicuntur, qui certa futuræ ſalutis ſuæ ſcientia donati ſint. Verùm an idcircò exiſtimandum eſt Auguſtinum intellexiſſe ſcientiam, quæ non niſi in gloria habetur, cùm càp. illo 14. illam *in cruciatibus corporis haberi à nobis poſſe per aliquam reuelationem*, fateatur?

Vt autem aut obſcura ſit, aut dubia eo in loco mens Auguſtini: profectò lib. 12. cap. 9. tam planè loquitur, vt nihil prætereca relictum ſit, quod ambiguitatis præ ſe ferre quicquam poſſe videatur. poſtquam enim quæſiuit ſedu-

lò, ac diligenter, quæ fuerit cauſa malæ voluntatis Angelorum deſertorum, dixit non efficientem, ſed deficientem cauſam fuiſſe; videlicet naturam, non quod erat naturâ, ſed quia cùm ſit ex nihilo, potuit deficere à Deo ad ſeipſam, & ab eo qui ſummè eſt, ad id quod minus eſt. *Si* (inquit) *dixerimus nullam eſſe efficientem cauſam etiam voluntatis bonæ, cauendum eſt, ne voluntas bona bonorum Angelorum non facta, ſed coæterna eſſe credatur.* Ita docet Auguſtinus ex eo quod Angelus ex nihilo eſt, quantumuis bene velle poſſit, fore tamen vt non bene velit, ſed deficiat, niſi Deum non tantùm libertatis, aut *poſſibilitatis* boni, verùm etiam *bonæ voluntatis* cauſam habeat.

Nihil hîc tibi opus erit interprete Corneli, vt Auguſtini mentem intelligas: ſatis enim clarè dicit Deum etiam in Angelo operatum fuiſſe ipſam bonam voluntatem, & dediſſe, vt vellet, non verò tantùm (quod aiebas) vt velle poſſet. Quod enim volitionem Auguſtinus intelligat, ex eo liquet, quod addit eos factos eſſe *cum amore quo ei à quo facti ſunt adhæſerunt. Si autem boni Angeli fuerunt priùs ſine bona voluntate, eámque in ſeipſis Deo non operante fecerunt. Ergo meliores à ſeipſis, quàm ab illo facti ſunt.... ſi non potuerunt ſeipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit, profectò & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adiutorio creatoris habere non poſſent.* Ita Auguſtinus Hipponenſis; cùm Auguſtinus Iprenſis aliter ſentiat, nec dubitet dicere, Angelos non quidem ſine gratia, ſed non per gratiam, per ſolum ſuum arbitrium liberum, & naturæ bonum, non donante gratia Dei, feciſſe bonum, & in eo perſeueraſſe abſque alio diuinæ opis adiumento. Quod cùm tam aſſeueranter dicat, conſtétque eum, qui Deum amat, longè meliorem eſſe, quàm qui poſſit amare, nec amet: Idem fateatur neceſſe eſt, Angelum factum per ſe ſe, non donante Dei gratiâ, meliorem quàm à Deo factus ſit, dicátque naturam creatam poſſe ſe excellentiori, perfectioríque in ſtatu conſtituere, quàm Deus poſſit. quod vel cogitare quàm nefarium ſit, quis non videat? Verùm, *cùm id egit illorum Angelorum voluntas bona, vt non ad ſeipſos qui minùs erant, ſed ad illum qui ſummè eſt, conuerterentur, eique*

adhærentes magis eſſent, eiúſque participatione ſapienter, beatéque viuerent: quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram: niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando auidiorem? .... Et iſtam (bonam voluntatem) *quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creauit ſimul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam? Vnde ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe, credendum eſt. Iſti autem, qui cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt, malâ propriâ voluntate, quam bona natura non fecit, niſi cùm à bono ſponte defecit, vt mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono: aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam, quàm illi qui in eadem perſtiterant: aut ſi vtrique boni æqualiter creati ſunt, illis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, peruenerunt: ſicut iam etiam in libro, quem ſequitur iſte, tractauimus. Confitendum eſt igitur cum debita laude creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis, nec tantùm hominum, ſed primitùs, præcipuéque Angelorum bonum eſſe quod ſcriptum eſt: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.*

Hæc diſertè, & eleganter Auguſtinus, qui malæ, & bonæ voluntatis originem peruestigans, ſtatuit demùm malum voluntatis nihil eſſe, præter defectionem à Deo, cuius nulla cauſa eſſe poſſit, quàm deficiens, ipſa videlicet natura creata, non quatenùs natura eſt, adeóque bona, ſed quatenùs ex nihilo ad ſeipſam deficere poteſt; idémque de bona voluntate Angelorum & hominum exiſtimat eſſe ſtatuendum; ſic vt non dubitet, aliam eſſe naturam, aliam gratiam, tametſi idem naturæ creator fuerit, largitórque gratiæ; tum Angelos omnes in ipsâ creatione bona voluntate fuiſſe ornatos, deinde hanc voluntatem bonam fuiſſe amorem caſtum, adeò vt ſimul illi habuerint & habitualem gratiam, & deſiderium atque affectum non deliberatum, quemadmodum & homo diuina gratia adiutus, dum illam habet, ita affectus eſt, vt poſſit liberum Dei amorem producere, & conſenti-

re gratiæ, qua per illud deſiderium bene afficitur. Vnde rectè dicitur gratia *poſsibilitatis* proximæ, & completæ. Quod enim per deſiderium ab Auguſtino intelligatur eiuſmodi delectatio, affectio, & excitatio voluntatis, ipſo non negat Aduerſarius libro 4. de gratia Chriſti capite 11. & lib. 7. cap. 4.

Verùm ad tria ſuperiùs à me notata de ſententia Auguſtini circa bonam voluntatem Angelorum, accedit quartò quod ipſe dubitat, num Angeli ſtantes, & lapſi æqualem hanc poſſibilitatis completæ gratiam habuerint, in eáque fuerint vtriq; æquales. Quintò, valde affirmatè pronunciat, ſtantes à Deo plus cepiſſe adiumēti, quod adiumentum non niſi de voluntate, & actione intelligi poteſt, quo Deus vt in nobis, ſic in illis velle bonum, & perficere ſit operatus. Neque enim qui boni erant, effici meliores potuere, niſi Deo per ſe ſe id operante. Sextò, affirmat in vniuerſum quamlibet voluntatem bonam tam habitu, quàm illo ſenſu, & affectu excitatam, conſenſum elicere non poſſe, niſi Deus, qui illam ſui capacem fecit, quodam gratiæ præuenientis ſenſu deſideriorum eorum ſitim acuat, faciat meliorem, & det ei vt conſentiat, & velit, conſenſus enim ad bonum eſt plena, perfectáque bonitas voluntatis; neque niſi ſumma Dei beneficentia, atque liberalitate, ardor ille accenditur, quia natura creata per ſe ſe nihil eſt, nihílque proinde niſi ope diuina poteſt efficere. Septimò, negat adiutorium illud, quemadmodum ſomniat doctor Iprenſis, ipſam eſſe beatitudinis complexionem perfectionémque, cùm potiùs eo datum ſit, vt perfecta, conſummatáque beatitudo obtineatur. Quamobrem octauò id ait non ad homines ſolos, ſed etiam ad ipſos Angelos pertinere, quòd charitas Dei diffuſa ſit non per naturam, aut vires liberi arbitrij, ſed per Spiritum ſanctum, vt conſtantiſſimè aſſeuerat contra Pelagianos idem Auguſtinus; neque quod Spiritus ſanctus nobis datur, beneficium magis gratuitum cenſendum eſt, quàm cùm Angelis datur, quibus tam bonum eſt adhærere Deo, & in eo ſpei ſuæ ſummam collocare, quàm nobis.

Quid autem eſt adhærere Deo, quid in eo ſpem ſuam pone-

Digitized by Google

re, niſi ſuæ infirmitatis conſcientiâ victum, perſuaſúmq; humiliter, & abiectè de ſe ſentire? Quod cùm Dauidi compertum eſſet, nunquam venit illi in animum dicere, quod à ſuperbis illis philoſophis, ipsíſque potiſſimùm Pelagianorum antiſtitibus Stoicis dictum audiuimus: *Mihi virtus animi meum bonum eſt, ſed mihi Deo adhærere bonum*. Quemadmodum habet Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 18. quod & ab Angelis dictum oportuit, vt ab eodem ibidem fuit obſeruatum. Legatur autem ſermo 11. de verbis Apoſt. cap. 2. vbi negat Adamum dicere potuiſſe: *Ipſi fecimus nos, id eſt, vt iuſti eſſemus, iuſtos nos libera voluntate fecimus, quando conditi ſumus, liberum arbitrium accepimus: vt ergo iuſti ſimus, libero arbitrio agimus*, &c. Idque dicit Pelagianum, & refutat vulgari illo dicto quod ab Euangelio promptum eſt, & à Chriſto profectum, *ſine me nihil poteſtis facere*. Quibus Iprenſis iugulum petitur, foditúrque, cùm iuſtitiam opus Angeli eſſe velit, ídque ab Auguſtino manifeſti erroris damnetur. conſulatur ibidem, vbi quod contra Pelagianos habet, de Adamo quoque dicendum ſatis apertè profitetur. ſed id articulo conſequenti magis explanabitur.

ARTICVLVS X.

Gratia nec Angelo, nec Adamo innocenti naturalis fuit.

NON inficiabor primùm, munus interdum profectum à Deo, naturaliter datum cenſeri, licèt per ſe ſe ſupernaturale ſit, ſeu diuinum, ſi præſertim in ipſo ortu donatum fuerit, ad ipſius naturæ vires perficiendas. Ita Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 9. Adamum rectum *naturaliter factum* eſſe ait, & cap. 10. fatetur *naturam hominis vt facta eſt verè, & propriè dici, tranſlato autem*, inquit, *verbo vtimur, vt naturam dicamus etiam quali naſcitur homo, ſecundùm quam locutionem Eph. 2. dicit Apoſtolus, fuimus enim & nos aliquando naturâ filij iræ.* ſic peccatum quod eſt originis, dicitur naturæ, nec etiam abſimili ratione originalis iuſtitia naturalis dici poteſt, vt & D. Th. 3. p. q. 2. art. 12. naturalem Chriſti

Digitized by Google

gratiam dici poſſe cõcedit, & ibidem notat, naturale aliquid poſſe dici dupliciter: vno modo quod eſt tantùm ex principiis eſſentialibus, ſicut igni eſt naturale ſurſum ferri: alio modo dicitur eſſe homini naturale, quod ab ipſo ortu habetur, quo ſenſu Auguſtinus in Enchir. cap. 40. affirmat, gratiam Chriſto quodammodo eſſe naturalem, quia in *exordio naturæ ſuæ, quo eſſe cœpit homo, Verbo copulatus eſt in vnitatem perſonæ.* Nec ſi hac tantùm ratione Ianſenius gratiam Adamo, & Angelis naturalem fuiſſe diceret, magnopere reprehendendus videretur. Verùm non ita ſe habet, cùm gratiam, fidem & dilectionem Dei illis ſic tribuat, *vt ad eorum naturæ integritatem, & ſtatum eorum naturalem pertineret, ordinis eſſet naturalis, illis debita, ordinis naturalis lege,* & quemadmodum oculorum acies peracris, firmitas corporis, commoda valetudo, aut cuiuſmodi apud Diuum Thomam, & alios Theologos naturalis eſt dilectio Dei, vt auctoris naturæ. Quæ dicta Ianſenij ſuperiùs art. 5. relata ſunt. Quibus accedere poteſt quod habetur lib. de grat. primi hominis cap. 10. *Sanctos Angelos per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſe, & primum hominem per idem liberum arbitrium in ea ſtare potuiſſe, quod poſt lapſum hominis non niſi per gratiam conferendum eſt.* Quibus verbis non obſcurè liberum arbitrium, gratiæ non modò Chriſti, ſed cuilibet alterius generis, opponit, hàncque excludit à libertate arbitrij.

Et c. 19. merita, & opera bona Angelorum non fuiſſe gratiã *ſupremo modo* aſſerit, ſed primò, quia quidquid eſt in natura gratuitum eſt, hoc eſt, dilectio Dei Angelis fuit gratia, quemadmodum natura ipſa & liberum arbitrium, & quomodo gratiam ait eſſe opera bona infidelium: ſecundò, quia Deus opera bona illis ſuadebat; tertiò, quia ſimul naturam, & bonam voluntatem illis Deus largitus eſt; quartò, quia dedit illis gratiam habitualem, & actualem, auxiliúmque ordinis ſupernaturalis.

At nihilominus vult dilectionem Dei fuiſſe ordinis naturalis, & à Deo velut auctore naturæ conceſſam, quod ſi contendam Pelagianum eſſe, quî me poterit reuincere? Neque enim ſi Ianſenio credimus, Pelagius vnquam negauit gratiam habitualem & actualem poſitam eſſe in piis affectio-

Digitized by Google

num motionibus, ipſéque adeò liberum arbitrium gratis datum gratiam appellauit; nullúmque gratiæ poſuit adiutorium aliud, quàm legem & doctrinam. Quamobrem in eo conſpirare videtur cum Pelagio Ianſenius, quod eadem atque ille gratiæ dona in Adamo collocauerit.

Contra vtrumq; autem ſic diſputo ex Auguſtino, vt gratiā ſanctificantem, eius dona, & cæteras fidei, atque charitatis virtutes nullo modo Angelorum atque Adami naturæ demonſtrem fuiſſe debitas, nec proinde naturales preſsè dici poſſe, cùm gratia propriè dicta naturæ repugnet. Neque enim ad gratiæ eiuſmodi ſumptæ rationem ſatis eſt, quod abſque operum meritis datur gratis à Deo, ſed requiritur præterea, vt ſit donum ordinis ſuperioris, quàm ſit vllum donum naturale, & à Deo vt auctore naturæ datum: adeò vt ex peculiari beneuolentia, qua Deus hominem, vel Angelum beatum efficere vult, donum gratiæ conferat.

Quin etiam contendo ab Auguſtino non ſolùm operum, verùm etiam naturæ dignitatem, ac meritum rationem veræ, ac propriè dictæ gratiæ excludere: ſic autem ago in præſentiâ, vt iiſdem ad id efficiendum vtar teſtimoniis, quibus vtitur Aduerſarius, vt doctrinam ſuam noſtræ contrariam ſtabiliat.

ARTICVLVS XI.

Afferuntur aliqua D. Auguſtini teſtimonia.

ATQVE imprimis Epiſt. 95. ſic Auguſtinus: *Etſi quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati ſumus, vt non nihil eſſemus, nec ita eſſemus aliquid, vt cadauer, quod non viuit, & arbor quæ non ſentit, aut pecus quod non intelligit, ſed homines qui & eſſemus, & viueremus, & ſentiremus, & intelligeremus: de hoc tanto beneficio gratias agere creatori debeamus, vnde meritò & gratia iſta dici poteſt, quia non præcedentibus aliquorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt. Alia eſt tamen quâ prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, glorificamur, ... hanc apoſtolica doctrina gratiam appellat.* Vnde ſic pugno: Auguſtinus duplicem gratiam ad-

Digitized by Google

mittit; alteram, qua homines ſumus, & ea, quæ ad naturam humanam pertinent, bona acipimus, poſſéque dici gratiam, quia ſine meritis operum datur: alteram verò prædeſtinationis, quæque ad iuſtitiam, & gloriam, ſeu beatitudinem, pertinet; éſtque hæc verè, ac propriè, & ſecundùm doctrinam Apoſtolicam dicta gratia. Quapropter quicumque vel Angelorum vel hominum iuſtitia donati ſunt, hanc ſingularem, peculiarémque gratiam acceperunt, neque in Angelis & Adamo dona naturæ cum donis iuſtitiæ, ex æquo habenda ſunt.

In quo tam explanatè locutus eſt Auguſtinus, vt nullum dubitationi locum relictum eſſe paſſus ſit. Neque enim mentem eius de iuſtitia poſt peccatum accipi poſſe exiſtimo, fruſtráque proinde id ab aduerſariis opponeretur. Nam vt ex lib. de correptione & gratia cap. 11. & lib. de prædeſt. SS. cap. vlt. & ex aliis paſſim locis patet, vult Chriſti prædeſtinationem, iuſtificationem, ſeu gratiam, gratiæ noſtræ, iuſtificationis, & prædeſtinationis, ac iuſtitiæ exemplar eſſe. Quod argumentum ab exemplo Chriſti Domini petitum, pro aſſerenda Angelorum gratia, eáque ab communi, cum naturâ, conditione vindicandâ, meritò cenſeri debet inuictiſſimum. Quis enim, niſi blaſphemus, dicat Adamo aut Angelis magis naturalem, ac debitam charitatem Dei, atque iuſtitiam, quàm Chriſto Domino ab omni prorſus peccati labe immuni, & exempto?

Quod autem ex eodem Aug. ibidem habetur, ab Apoſtolo Rom. 4. repetitum, quàm clarũ eſt: *Si gratia iam non ex operibus, alioqui gratia, non eſt gratia: ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Vnde mea ſic inſtituitur ratio. Idcirco operario deſtinata merces non eſt gratia, quia pro merito datur: gratiæ verò propriè dictę non ſolum meritum operum, ſed quoduis aliud debitum repugnare videtur, alioqui Pauli conſecutio eſſet omninò nulla, neque rectè probaret, quod operi, & merito operarij tribuitur, id non eſſe gratiam, quia eſt ſecundùm meritum. Quare non eſt audiendus Ianſenius, immò non eſt ferendus, cùm ait non cuilibet gratiæ, ſed ſoli Chriſtianæ meritum naturæ, debitúmque aduerſari.

Se-

Digitized by Google

Secundum eſt, quod Aduerſarius affert, teſtimonium, lib. de gra. prim. hom. cap. 19. ex lib. 4. contra Iulianum cap. 3. Sed non poſſum ſatis mirari hominem cæteroqui bene cautum, Iuliani propoſitionem ſumpſiſſe pro Auguſtinianâ. Ita nimium ſtudioſus es Auguſtini, ita doctrinæ illius bonus aſſertor, vindéxque haberi vis Corneli, qui pro Auguſtino Iulianum ſumas, nihílque ponas inter vtrumque diſcriminis, quod tam magnum eſſe debet. Deinde Auguſtinus negat idipſum quod aſſeris. Illum audire potes, ſi vacat, & ad mentem ſanam te recolligere: ſic habet contra Pelagianos diſputans: *Soletis negantes, Dei dona eſſe virtutes, quibus rectè viuitur, eas naturæ voluntatíque humanæ, non gratiæ Dei tribuere.* Tu verò Corneli noſter, quid cenſes ea de re? Quid ſtatuis? ſed næ ego parùm intelligens ſum, qui quæram, quid cenſeas; cùm te idem de Adamo innocente tuo docere non neſciam. Neque iam potes negare, te eius opera bona libero arbitrio, non gratiæ tribuere hactenus fuiſſe ſolitum. Quid interea Auguſtinus, qui naturam & gratiam ita repugnare inter ſe ſe exiſtimat, vt eam ob rem neget apud Pelagianos eſſe virtutes, quòd eas naturæ, & libero arbitrio tribuerent. Cùm autem Ianſenius de iuſtitia Adami idem ſtatuat, eámque vocet opus bonum & meritum naturæ, & voluntati tribuat, nónne cum Pelagianis tollit gratiam Dei, eámque planè negat? Quod verò Auguſtinus addit, *Non diuinorum donorum capax eſſet, niſi bona eſſet humana ſubſtantia, cui vitia quoque ipſa bonitatis perhibent teſtimonium naturalis.* Id de noſtra quoque, non tantùm de illa, qualis erat in Adamo, natura loquitur; ita vt eius bonitas naturalis non alia ſit, quàm quod idonea eſt, quæ virtutes cæteráque dona diuina in ſe recipere poſſit, non verò ius aut meritum habeat, cui illa dona debeantur.

Vnde colligi poteſt quàm vanus ſit Ianſenius, qui ex naturali bonitate naturæ, quæ fuit in Adamo, inferat virtutes ipſas illi fuiſſe debitas, & naturales; cùm longè aliud ſit, vim recipiendæ virtutis alicuius eſſe naturalem, aliud ipſam virtutem. Addit porrò Auguſtinus: *Bonam dicis*, cum Iuliano ſermo illi erat, *hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur*, éſtque ibi mentio de natura, vt iam in nobis

Digitized by Google

eſt affecta. *Quod gratanter audirem, ſi hoc propterea, quia rationalis natura eſt diceres. Neque enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,* (iam nulla erit dubitatio, de qua gratia ſermo ſit) *lapidibus, aut lignis, pecoribúſque præſtetur, ſed quia imago Dei meretur hanc gratiam, non tamen vt eius bona voluntas poſſit præcedere, præter gratiam, ne vel ipſam prior det, vt retribuatur illi, ac ſic gratia, iam non ſit gratia, dum non datur gratuita, ſed redditur debita.*

Iam patet, opinor, Aduerſarij fucus, qui quod Auguſtinus de ſtatus noſtri conditione dicit, déque gratia Chriſti, Adamo tribuat. Quo iam ore, qua fronte, auctoritatis illius ab Auguſtino ſumptæ pondus ſuſtinebis, Doctor belle? qui cùm ſoli gratiæ Chriſti, non angelicæ, aut illi, quæ data fuit Adamo naturæ, meritum repugnare contendis, ſatis confutare te videtur, qui velit noſtram, quia Dei imago eſt, mereri hanc gratiam Chriſti. Et in eo ponit hoc meritum, quòd idonea ſit, quæ bona diuina non naturalia recipiat, adeóque ipſa gratiam mereatur merito qualicumque, ſic tamen vt ea non ſit debita, quia gratia non eſt, ſi debita redditur.

Pergit porrò Auguſtinus: *Quid eſt ergo, quod ſecundùm modum veſtrum, effectum voluntatis humanæ dona cæleſtia me crediderας nuncupaſſe, tanquam voluntas hominis ſine Dei gratia moueretur ad bonum, vt ei debitus à Deo tribueretur effectus? Itáne oblitus fueras, nos cum ſcriptura dicere contra vos, præparatur voluntas à Domino, vel quod in nobis Deus operetur & velle? ô ingrati gratiæ Dei! ô inimici gratiæ Chriſti, & ſolo vocabulo Chriſtiani!*

Tu verò quiſquis es amans ſtudioſúſque Auguſtini, confer, ſi vacat, illius doctrinam cum Ianſenianâ. Sunt enim in promptu vtriuſque dogmata. Negat Auguſtinus dona cætera, ſiue virtutes, quæ ex iuſtitiâ conſequuntur, eſſe effectum voluntatis humanæ. Quid verò Ianſenius? quàm abhorret ab Auguſtino, qui virtutes Adami, hoc eſt, fidem, ſpem, charitatem eiuſdem voluntatis, & liberi arbitrij effectus nuncupare, eúmque non per gratiam, ſed per liberum arbitrium egiſſe, non veretur affirmare? Non exiſtimat Auguſtinus virtutes eas eſſe voluntatis effectus, quia voluntas alio-

quin, ſine gratia Dei, ipſa per ſe ſe ad bonum moueretur. Ianſenius acutior Auguſtino, inter iſta duo agere cum gratiâ, ſiue non ſine gratiâ, & agere per gratiam, neſcio quid diſcriminis commentus, negat Adamum bene operatum eſſe per gratiam, non tamen ſine gratia. Auguſtinus verò, ideo id putat non ferendum, quia voluntas à Domino præparatur, & Deus in nobis operatur ipſam voluntatem bonam, qua bene operari volumus. Concedit quidem Iprenſis voluntatem Adami à Domino, habituali, actualíque gratiâ fuiſſe præparatam, ſed negat Deum in ea operatum eſſe ipſum velle, quod habebat Adamus ab arbitrio ſuo, non à gratia, ſic tamen vt ſine gratia primum hominem operari potuiſſe nolit, cùm Auguſtinus velit Deum operari in nobis velle, ne abſque eius gratiæ auxilio ad iſtam bonam voluntatem, ipſi per nos moueri cenſeamur. Quæ res cùm ita habeat, quid, obſecro, cauſæ, cur cum Pelagianis Ianſenius ingrati in Dei gratiam animi non accuſetur, qui eam velit naturæ humanæ Adami debitam, & naturalem fuiſſe? Aut cur gratiæ Chriſti non habetur inimicus, ſoláque appellatione Chriſtianus, qui pro ſuo de Adami gratiâ dogmate, id ponit, quo conceſſo Auguſtinus fatetur, gratiam Chriſti non eſſe gratiam, quia eam meretur homo, id eſt, dignus eſt qui illam recipiat?

Deinde quod dictum eſt ab Aduerſario, dilectionem Dei fuiſſe Adamo gratiam peræquè naturalem, atque eſt pudicitia, cæteræque virtutes, quibus ſe interdum commendarunt infideles, quàm grauiter refutatur ab Auguſtino: negat enim dotes eas voluntati humanæ poſſe tribui, ſed ſatiùs diuino muneri retribui, non verò, vt habet iſte Doctor, quo modo Deo tribuitur quod nonnulli præcellenti ingenio, acri memoria, víque iudicij mirifica præditi in lucem veniant: adeò vt, ſi credatur Ianſenio, vel Angelus vel Adamus, quod diuiniſſimum charitatis donum à Deo acceperit, non magis illi ſit obſtrictus, neque proinde plus gratiarum illi debeat, quàm vel dæmon vel aliquis è priſca ſapientum gente Plato, vel Ariſtoteles, cæteríq; iſtiuſmodi flammis addicti, atque cruciatibus æternis, qui dona illa naturæ largiter à Deo acceperint. Quod quis audeat dicere, niſi è Stoicorum grege ſuperbus aliquis gloriator, qui rerum æterna-

rum imprudens, atque inconſultus, ea tantùm ſectetur, quæ præſentis vitæ ſint?

Porrò de nobis, Angeliſque ita loquitur eodem in loco Auguſtinus, vt æquè illis, ac nobis, gratis datas virtutes eſſe velit. *Veræ*, inquit, *virtutes Deo ſeruiunt in hominibus, à quo donantur & hominibus; Deo ſeruiunt in Angelis, à quo donantur & Angelis.* Falſum proinde, virtutes, per quas Angeli Deo ſeruierunt, ipſis non donante gratia Dei fuiſſe naturales. *Abſit enim vt ſit, vel dicatur voluntas bona,* vel Angelica, vel humana, *quæ in aliis vel in ſeipſis, non in Domino gloriatur.* Quis autem non habet vnde glorietur, ſi per ſe ſe, arbitriúmque ſuum non donante Dei gratiâ, bene operari poſſit.

Demùm quod diſputans de gratiâ & naturâ Auguſtinus parem in Angelis, nobíſque, vtriuſque velit eſſe rationem maximo argumento eſſe debet, eam quæ ponitur ab Aduerſario inter vtramque differentiam, eſſe omnino inanem atque vanam. Sic autem diuinus Doctor toties laudatus: *Si homo, in quantum homo eſt, arbor bona eſt, profectò & Angelus, in quantum Angelus, arbor bona eſt. Hæc ſunt Dei opera, qui naturarum conditor eſt bonarum.* Quin pari iure mihi liceat dicere. ſi Angelus, in quantum Angelus, arbor bona eſt, profectò & homo, qui nunc eſt, de eo enim loquitur Auguſtinus, in quantum homo eſt, arbor bona eſt, cùm ambo Deum naturarum ſuarum conditorem habeant. proindéque ſi Angelus, quatenùs Angelus eſt, bonum fructum facere poteſt, quidni etiam & homo, non donante Dei gratiâ, ſed quatenùs homo eſt, & per naturam, quam etiam poſt peccatum, cæteráque omnia intra naturæ fines poſita, quæ retinuit, hoc eſt, id omne quo Adamus erat homo, quatenùs erat homo, bonum fructum facere poteſt?

Poſtremò, nam breuitatis ergô miſſa facio permulta, affertur ab Aduerſario illud lib. de prædeſt. SS. cap. 5. *poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, natura eſt hominum, habere autem fidem, quemadmodum & habere charitatem, gratiæ eſt fidelium.* Verùm cùm Auguſtinus de nobis mentionem faciat, non eſt cur Ianſenius locum hunc doctrinæ ſuæ de Angelis & primo homine fauere multum putet. Quin potiùs ex eo loco videtur refutari poſſe: ibi enim Auguſtinus

Digitized by Google

abſurdum exiſtimat, *vt quiſquam non in Domino glorietur, aut ſe ab aliis diſcernat, dona Dei naturalia ſuſpicari, ſiue ipſam totam perfectámque naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſiue vitiatæ naturæ quaſcumque reliquias*. vnde fit, vt nec Angelo, nec Adamo fuerit, vnde ob accepta dona naturalia, perfectámque, & integram naturam potiori iure ſe ſe efferret, quàm nobis ob reliquias vitiatæ naturæ. Illis enim potuit conuenire illud Apoſtoli dictum, *quid te diſcernit? & quid habes, quod non accepiſti? à quo, niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi?* Quódque Angelorum ſanctorum principi id dici potuiſſe credat Auguſtinus, patet; quia alioquin ſe arbitrij ſui vi, à dæmonum principe diſcernere potuiſſet; atque adeò elatè de ſe ſentire, non in Domino gloriari. *nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei.*

Ita tamen rationem ſuam inſtituit Ianſenius, vt velit, id Angelum principem facere potuiſſe, Deíque dilectionem per ſe ſe, non donante gratia diuina, obtinuiſſe, qua ſe à dæmonum principe diſcerneret. Quàm autem id à recta fide, rationéque ſit alienum, liquet ex eo, quòd *vt ſit naturæ, fidem poſſe habere, nunquid & habere? non enim eſt omnium fides, cùm fidem poſſe habere ſit omnium.* Quibus innuit ſatis, in nobis fidem habere eſſe gratiæ, non naturæ, quia non omnium fides eſt. Cùm autem in ipſis quoque Angelis conſtantiſſimum habeatur, fidem non eſſe penes vniuerſos, licèt charitatem, & perſeuerantiam poſſe habere, fuerit omnium, & aliis non credentibus, diligentibúſque, crediderint alij, ac dilexerint, in ipſis quoque verum eſt, id non eorum naturæ fuiſſe, ſed gratiæ, nec tamen cuiuſlibet gratiæ, & qualis *naturæ eſt attributa, quâque ingenioſi à tardis diſcernuntur*, ſed eius gratiæ, quæ *pertinet ad vitam bonam, qua denique diſcernit bonos à malis, non qua communis eſt bonis & malis*. Plura in hanc ſententiam, tum ex Auguſtino, tum ex illius diſcipulis, ſi requiras, S. Fulgentium lib. de Incarnat. cap. 12. & alios, apud Bagotium ſuprà laudatum, poteris conſulere?

CAPVT XX.

Ianſenij de gratia nobis communi cum Adamo poſito in vtroque ſtatu, errores Pelagiani afferuntur.

ARTICVLVS I.

Fatetur, nobis modò dari omnia dona gratiæ tam habitualis, quàm actualis, quæ Adamo data fuerant.

ANIMADVERTENDVM in primis, ſermonem hoc in loco haberi de donis gratiæ verè, ac propriè dictæ, virtutúmque earum, quæ ad ipſum Deum pertineant, vt eſt ipſa gratia ſanctificans, habitus fidei, ſpei, charitatis, non verò de immortalitate corporis, aliiſque eiuſmodi dotibus, quæ partim ignorantiâ, partim cupiditate, homini ereptæ ſunt.

Certum autem eſt, virtutes eas, quæ Adami peccato perierant, per Chriſtum nobis fuiſſe reſtitutas, eas baptiſmi vi & efficientiâ reparari, ſic vt pueri infantes fonte ſacro imbuti eas recipiant: tum verò ignorantiæ ac cupiditatis vitia aſſiduo virtutum vſu atque exercitio paulatim imminui; demum perfectiſſimam integerrimámque corporis immortalitatem in die rerum ſupremo per Chriſtum reſtitutum iri, adeò vt nihil omnino Adami præuaricatione naturæ humanæ perierit, quod per Chriſtum, vel aliquid etiam longè excellentius, non aliquando reſtituatur. Alioquin quidpiam in Chriſto deſideraretur, quod ad redemptoris, ſaluatoriſque dignitatem, cum omni ſua laude, obtinendam pertineret, falſúſque adeo animi videri poſſet Apoſtolus, qui Rom. 5. *Non ſicut delictum*, (inquit) *ita &*

donum. ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit, & non ſicut per vnum peccatum ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. ſi enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum I. C. .... tum, *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.*

Quem locum interpretatus D. Thomas in cap. illud 5. lect. 5. ſic habet: *Oſtendit,* Paulus, *quòd per gratiam Chriſti remouetur peccatum per Adam introductum in mundum, comparando gratiam Chriſti peccato Adæ, quia ſcilicet plus poteſt gratia Chriſti in bonis, quàm peccatum Adæ in malo. Ac primò comparat ipſas cauſas, ſcilicet gratiam Chriſti peccato Adæ; ſecundò ponit comparationem earum, quantùm ad effectus ... Dicit ergo primò, quod peccatum Adæ eſt forma futuri, ſed non ſicut delictum, ita & donum; quaſi dicat, non eſt æſtimandum, quòd tantæ efficaciæ ſit delictum Adæ, quantæ eſt efficaciæ donum Chriſti. Cuius ratio eſt iſta, quia peccatum procedit ex infirmitate voluntatis humanæ: gratia autem procedit ex immenſitate bonitatis diuinæ, quam manifeſtum eſt voluntati humanæ præſertim infirmæ, præferri, & ideò virtus gratiæ excedit omne peccatum.* Poteſt conſuli locus ille, eadémque operâ, comparatio vtriuſque conſiderari, & quoad numerum eorum, qui peccato perierint, & eorum qui per Chriſtum in cælum ſunt recepti, quoad effectus gratiæ & peccati, quia *potentioris*, inquit, *cauſæ potentior eſt effectus.*

Quod autem velit Aduerſarius, nobis non deeſſe dona gratiæ olim Adamo conceſſa, patet ex eo, quod eiuſmodi auxilia *ſine quibus non*, vocat gratiæ ſufficientis dona, quorum tantam eſſe vim, copiámque contendit; vt *plenum iis orbem*, lib. 2. de gratia Chriſti cap. 4. profiteatur. Deinde cùm gratiam habitualem, & actualem Adamo neceſſariam fuiſſe doceat lib. de gratia primi hominis cap. 12. cap. 13. paſſimque alibi eaſdem nobis vltro vult eſſe conceſſas, quæ doctrina lib. 8. de hær. Pelag. cap. 10. ſatis fusè explicatur. vbi non negat, quod dictum (vt ipſe fatetur) à Maſſilienſibus, nimirùm *gratias Adæ eſſe quaſdam naturæ integræ reli-*

quitas, quæ à Deo in primo parente ſana, & perfecta donata eſt, & totum, quo Adam poterat credere, ſi vellet, eſſe tribuendum Deo, quia iſta naturæ poſſibilitas, qua ſe ſe ad credendum, volendúmque flectit, & inclinat, ex illa prima naturæ, quam Adæ perfectam gratis dederat, integritate remanſit. In eo tamen diſcrepat ab Maſſilienſibus Ianſenius, quòd illi putent hoc auxiliorum gratiæ genus ſufficere ad actu credendum: Ianſenius verò illud, abſque ſuo *adiutorio quo*, homini infirmo non modò non eſſe inutile, ſed etiam planè exiſtimat eſſe pernicioſum.

Articvlvs II.

Nullam earum, quæ Adamo innocenti datæ ſunt, gratiarum nobis per Chriſtum donari docet Ianſenius.

CVM redeat controuerſia ad alterum eorum adiumentorum, de quibus facta eſt ſuperiùs mentio tam copioſa, pluribus de vtriuſque natura, ac ſtatu dicere velle, eſſet ſuperuacaneum. Iuuabit in præſentia ea tantùm recolere animo, quæ ad quæſtionis intelligentiam pertinebunt; duplex eſſe gratiæ auxilium; alterum quod vocat Aduerſarius *poſſibilitatis*, in quo quædam tantùm quaſi ſufficientia fit ad agendum; voluntatis alterum, & operationis, quod efficax eſt: illo donorum variorum vim multam; iſto ſolam victricis gratiæ efficientiam contineri vult, primúmque Adamo conceſſum eſſe, non ſecundum. Neque enim ea erat Adami innocentis imbecillitas, vt in tanta, qua pollebat, arbitrij poteſtate, vberiori illo auxilio indigeret; ex quo fit, vt in eius doctrina Adamus aliquid operis boni velle & agere rebus adhuc integris, abſque illo gratiæ efficacis auxilio potuerit, & reipſâ egerit.

Quibus ita ad quæſtionis ſtatum conſtitutis, Aduerſarius nullum prorſus ex illis prioris generis adiutoriis, Chriſti meritis datum eſſe contendit; quia omne gratiæ à Chriſto datæ adiumentum, medicinæ vim, partéſque habet, éſtque *adiutorium quo*, quale nullum Adamo patitur eſſe datum

datum, vtque omne gratiæ donum à Pelagianis inuectum negat eſſe Chriſtianum Cornelius, ita quidquid vel Angelis, vel innocenti Adamo, donorum datum eſt, illud negat penitùs eſſe Chriſtianum: ſempérque ita diſputat, vt gratiam Chriſtianam ſemper opponat illi, quæ Adamo data eſt. Quamobrem autem ſic ſtatuat, non eſt huius loci quærere.

Audio tamen, nonnullos de illa, quæ Ianſenio imponitur, difficultate, ſollicitos, vertere ſe in omnem partem, vt ab ea illum liberent; adeóque pro ipſo reſpondeant, auxilium illud Chriſti, quod ab eo opponitur gratiæ Adami, non de quouis Chriſti auxilio, ſed de peculiari quodam & eximio eſſe intelligendum. Hoc antea à me refutatum eſt. Verùm quia rei cardo omnis in eo vertitur, operam dabo, quod iam cœptum eſt, Ianſenij mentem non de aliqua peculiari, & eximia gratia Chriſti, ſed qualibet vniuerſim, eſſe accipiendam, liquidò appareat.

Ac primò lib. 2. de grat. Chriſti cap. 5. in ipſa capitis inſcriptione ſic habetur: *Reiiciuntur lex, ſcientia, reuelatio, remiſſio peccatorum, gratia ſufficiens, habitualis, congrua, efficax recentiorum extra limites adiutorij medicinalis Chriſti*. Magnifica ſanè quidem inſcriptio! quæ impudénſne ſit magis an ſuperba planè incertum. Vtvt ſit non laboro, de ipſo orationis contextu videndum, quorſum pertineat; Quid porrò aliud habet, quàm perpetuam gratiæ Chriſti, & Adami oppoſitionem, gratiæ voluntatis infirmæ, & ſanæ, ac valentis? *Præterea nullum*, inquit, *adiutorium gratiæ, cuius vſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur, aut non vtatur.... eſt adiutorium quo fit, vt velit, ſed tantùm ſine quo non. Et proinde ad medicinale adiutorium Chriſti nullo modo poſſe pertinere, ſed ad adiutorium primi hominis, & ſanæ voluntatis eſſe referendum*, aſſeueranter pronuntiat.

Neque exiſtimo poſſe hìc dici, quod venit in mentem nonnullis, duplex diſtingui à Ianſenio Chriſtianæ, ſeu per merita Chriſti datæ gratiæ adiumentum, medicinale alterum, alterum verò non medicinale, ſed quod peræquè voluntati ſanæ, atque infirmæ conueniens ſit: nam diſtinctio hæc manifeſtè repugnat doctrinæ illius, qui conſtantiſſimè

Digitized by Google

aſſerit, omnem Chriſti gratiam eſſe medicinalem. lib. 2. de gratia Chriſti cap. 25. *Ipſa verò & ſola Chriſti gratia eſt, quam ſanandæ naturæ peccatricis infirmitati attulit Chriſtus.* quibus verbis quid planius eſſe poſſit ? Quapropter, quæ auxilia gratiæ ad medicinale pertinere negat, eadem quoque à Chriſto negat eſſe profecta, quod liquidò patet, ex eo quod ibidem *adiutorio primi hominis*, opponat *adiutorium ſecundi; creatoris beneficium beneficio ſaluatoris;* & *omne eiuſmodi adiutorium medicinale*, idem ait eſſe cum *gratia Chriſti, & adiutorio, quod Chriſtus per incarnationem dedit.* videatur caput primum vbi probat, *ſi morbus auferatur, Chriſti paſſionem, mortem, incarnationem, aduentum in hunc mundum, adeóque nomen Ieſu funditus deleri, eo videlicet modo, quo funditùs tollitur medici, & adiutorij medicinalis neceſſitas, ſi morbus auferatur.* Quapropter ſi nulla Chriſti gratia ſit, niſi morbus præceſſerit, cui curando adhibeatur : nulla quoque per eum, niſi vt eſt ſaluator, & medicus; nulla, niſi medicinalis, gratia; nullum adiutorium, niſi medicinale, eſſe poterit. Quod apud Catholicos certum adeò haberi debet, vt Proſper contra Collatorem cap. 38. damnet eum, quòd Chriſtum *quorumdam Saluatorem, quorumdam verò ſuſceptorem appellarit.* Denique ſi qua alia, quàm medicinalis gratia admittitur, vicerunt Pelagiani, qui licèt Chriſtum pueris infantibus adiumento fuiſſe dicant, eos nihilominùs, nec ſaucios eſſe, nec vllo gratiæ medicinalis auxilio indigere, conteſtabantur.

Quare ſi Ianſenius áliam Chriſti, quàm medicinalem gratiam, & auxilium eſſe velit, Pelagianum ſe profiteatur oportet, qui quod à Pelagio factum eſt, crucem Chriſti euacuare non dubitet. Si verò nullum Chriſti adiutorium niſi medicinale cenſeat, cùm aliquod gratiæ donum ad Chriſtianæ gratiæ, & medicinalis adiutorium nullo modo pertinere dicit, non tantùm aliquod ſingulare, ac eximium, ſed omne prorſus Chriſti donum complectitur, idémque omninò ſonat apud Catholicos, gratiam, qua Adamus donatus eſt, nullo modo eſſe medicinalem, ac nullo modo Chriſtianam, ſeu Crucis Chriſti fructum eſſe, quod ſatis apertè profitetur Aduerſarius, cùm nullam Adami gratiam

ad medicinale Chriſti adiutorium vllo modo pertinere affirmat.

Eodem porrò lib. 2. cap. 9. hæc habet: *Solius poſsibilitatis adiutorium* (quale Adami & Pelagianum eſſe vult) *quàm luculentè ab Auguſtino à limitibus adiutorij, ſeu gratiæ Chriſti Saluatoris excludatur, operæ pretium eſt porrò videamus.* Vides quid ferat hæc oratio, vt non tantùm medicinale adiutorium, ſed etiam omnem Chriſti Saluatoris gratiam excludat; ne fortaſſe cuipiam locus dicendi ſit, apud Ianſenium adiutorium gratiæ latiùs patere, quàm ipſam gratiam propriè preſſéque dictam. Porrò laudatus ibi Auguſtinus nihil habet contra Pelagium aliud, quàm non ſolùm *poſsibilitatis*, verùm etiam voluntatis, & actionis adiutorium eſſe admittendum; quod cùm docet, tantùm abeſt, vt poſſibilitatis adiutorium ex numero donorum Chriſti reiiciat, quin potiùs præter illud, vnum aliud, & alterum afferat admittendum, adeóque illud ipſum admittat.

Quaſi verò, quia non ſola gratia poſſibilitatis Chriſtiana eſt, idcircò conſequens ſit, gratiam, quæ ſola poſſibilitas eſt, non eſſe Chriſtianam. Sed Ianſenius qui non multum operæ poſuit in Dialecticis, totámque adeo Scholæ diſciplinam ferre ſolet impatienter, poteſt pro ſuo iure ſic ratiocinari, vel potiùs ariolari, quemadmodum facit cùm ait ibidem: *Iuſtitiam, hoc eſt, opus iuſtum, quod tali poſsibilitatis adiutorio comparatur, eſſe dicit Auguſtinus ex nobis, non ex Deo. Cùm enim non ſit iuſtitia, poſſe velle, vel facere quocumque tandem, & qualicumque gratiæ adiutorio poſsibilitas iſta voluntatis, & actionis adiuuetur, ſed ipſum velle & facere ſit iuſtitia: hoc autem impoſsibile, vt per quodcumque poſsibilitatis adiutorium habeatur.* quod aſſerit, vt exponat, quod Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 42. redarguit Pelagium, quod cùm ſolam poſſibilitatem liberi arbitrij lege, & doctrinâ adiuuari ait, ſuam ſtatuit non Dei iuſtitiam, & quæ nobis ex Deo eſt, non ex nobis.

Non dicam hîc omitti à Ianſenio, quod ad rei intelligentiam magnopere facit; Auguſtinum eò loci ſermonem facere de poſſibilitate naturali, quæ apud Pelagium erat ipſa natura liberi arbitrij, non autem de gratuitâ, ac ſuper-

Digitized by Google

naturali, quæ fit beneficio charitatis habitualis. Id vnum tantùm vrgeo. Quod Auguſtinus præclarè agat contra Pelagium, ſi poſſibilitas illa naturalis, qua homo poteſt eſſe iuſtus, & habere fidem, ſiue qua iuſtitiæ, fideíque recipiendæ capax eſt, ſolo doctrinæ, & legis auxilio eget, vt iuſtè operetur; profectò iuſtitia, opúſque iuſtum ex nobis eſt, éſtque aliquid nobis naturale, cùm à Deo vt auctore naturæ non gratiæ proficiſcatur. At Ianſenius ſolus Auguſtini, ſi credas, fidus interpres, contendit ex illo iuſtitiam non eſſe, niſi opus iuſtum, *quia iuſtus non eſt*, inquit, *qui poteſt, ſed qui vult, & agit:* quod non modò falſitatis, ſed etiam hæreſis meritò notari debet, alioquin puer infans, vi gratiæ in baptiſmo receptæ, non fieret verè propriéque iuſtus, quod planè, vel ipſa cogitatione vſurpare videtur eſſe nefarium. Sic autem ex illo tam abſurdo principio, ineptè concludit, *impoſſibile eſſe vt per quodcumque adiutorium poſſibilitatis habeatur iuſtitia, ſeu opus iuſtum.* Nam licèt ad volendum bonum non ſatis ſit ſola iuſtitiæ *poſſibilitas* etiam habitualis, ſeu quæ habetur per habitum charitatis infuſæ, nihilominùs per ipſam iuſtitia, & opus iuſtum habetur. Quaſi verò quod oculus per ſe ſine luce non ſufficiat ad videndum, eam ob rem verum ſit per oculum non videri. quæ conſecutio non poteſt eſſe niſi hominis à ſcholæ diſciplina alieni.

Sed his pro explicando Auguſtini teſtimonio, & inepta Ianſenij ratiocinatione redarguenda breuiter notatis, redeo ad illam de qua nobis mentio eſt, Adami gratiam, quam Chriſtianæ opponit Ianſenius. Docet in eodem lib. 2. cap. 12. ex inſtituto, *Maſſilienſes tanquam gratiæ deſtructores, damnatos eſſe, licèt adiutorium poſſibilitatis, & ſine quo non, defenderent.* Quid ſit cauſæ cur tam aſper, durúſque ſit in miſeros Maſſilienſes, non ſatis video, niſi fortaſſe, quod gratiam Ianſenianam ad initium fidei fuiſſe neceſſariam pernegarent; & eodem loco confundit *naturales primæ integritatis reliquias*, cum illo adiutorio poſſibilitatis, adeò vt velle videatur nobis adhuc reſtare, velut reliquias gratiæ Adamo conceſſæ, nulla autem ratione Chriſti eſſe dona; *quia,* inquit, *noſtra infirmitas voluntatis non magis iſto Adami, vel*

Digitized by Google

Angelico, vel ſufficienti, vel congruo ſanatur, aut iuuatur adiutorio, quàm ſi cæcatis oculis lumen accenderes. Tum verò addit: *Adiutorio medicinali, quod ægrotæ voluntati ſanguine ſuo medicus peperit, è diametro quodlibet adiutorium ſufficiens, & congruum aduerſari.* Tale porrò vult fuiſſe omne auxilium gratiæ Angelo, & Adamo conceſſæ. Cap. 28. ait, *Gratiam Chriſti medicinalem, non tantùm quoad ſubſtantiam, verùm etiam, quantùm ad operandi modum, directè opponi illi gratiæ, quam natura fortis Angelorum, & hominis innocentis habuit: gratiæ Adami directè repugnare gratiam Chriſti.* & eiuſdem libri 2. capite 27. *Quiſquis iam alia diuinæ gratiæ adiutoria,* (alia nimirum à ſuo) *infirmis hominibus afferre nititur, quæ deſerant ſi velint, & in quibus permaneant ſi velint, cum quibus tanquam ſufficientibus operentur ſi velint, nihil aliud imprudens facit, niſi vt originalis peccati virus euacuet, illæſas liberi arbitrij vires eſſe, Chriſtum fruſtra veniſſe, & gratis mortuum eſſe perſuadeat.* Has videlicet Aduerſarius notas affert proprias adiutorij Adamo dati, quibus allatis contendit Chriſtum fruſtra veniſſe, quòd videlicet ad eum eiuſmodi auxilia pertinere neget. Cap. 29. *Concurſum generalem Dei ad opera ſupernaturalia inſtitutioni naturarum conſentaneum eſſe*, ait. *Ex quo fit vt ille non ad gratiam Chriſti medicinalem, ſed ad naturæ inſtitutionem pertinere videatur. Itaque non minùs Adamo, & Angelis innocentibus, quàm peccatoribus datus fuit, nec magis ad adiutorium lapſæ naturæ quàm ſtantis referendus eſt.*

Iam, opinor, non dubium erit quid ponat inter vtrumque adiutorium diſcriminis, cùm quia ſtantis Adami donum fuit, negandum exiſtimat lapſæ, corruptæque naturæ eſſe proprium, adeóque gratiæ medicinalis: ſed maximè eſſet optandum, vt cum aliquo Theologiæ tirone, ac nouitio res Ianſenio foret, mirũ enim, quantùm ſudaret, vt ei concurſum illum generalem ad opera ſupernaturalia, qualem admittit, perſuaderet; nam ſi ad naturæ conſtitutionem pertinet, quemadmodum dicit, qui demùm fieri poteſt, vt ad opera ſupernaturalia ordinem habeat? Si enim ad naturam ſit accommodatus, qua ratione ſupernaturalis eſt? Sed quoniam Ianſenio libet delirare, & ea loqui, quæ pugnantia ſint, per nos licet deliret, atque loquatur pugnantia. At non poteſt ſi-

Digitized by Google

bi temperare, quin eodem ſemper redeat. Nam cap. 32. *Nulla gratia actualis ab Auguſtino pro illa vera Chriſti gratia agnoſcitur, quam tanquam medicus infirmæ voluntati attulit, niſi quæ agit, & peragit effectum, omnis alia qualiſcumque fuerit, ab ipſo ad legem, doctrinámque relegatur.*

Lib. 3. de grat. Chriſti capitis ſecundi hæc eſt inſcriptio: *Adiutorium purè ſufficiens ad gratiam naturæ pertinet, lapſorum reparationi inutile, & perniciosum.* Omne autem ſufficiens vocat *Adamicum. Vidit*, inquit, *Auguſtinus perſpicaciter adiutorium ſufficiens, præcipuè prout à recentioribus explicari ſolet, non tam ad gratiam, quæ propriè nunc gratia vocatur, quàm ad naturam pertinere, quamuis & natura ſit quædam gratia.* At quis neſciat in gratia ſufficiente virtutes infuſas, & pias animi motiones, affectionéſque poni à recentioribus, quæ tamen dona non magis gratiam, quàm naturam eſſe tradit Ianſenius. Et ne cuiquam imponi videatur, ipſius voces in medium affero, ſic ille. *Itaque tale adiutorium ſicut & ipſa natura præambulum quoddam eſt ad verum gratiæ medicinalis adiutorium, per quod non poſſe ſtare vel permanere, ſed ipſum velle largiendum eſt.* Vnde ſolum adiutorium, quod dat velle, verum gratiæ medicinalis, ſeu Chriſtianæ adiutorium eſſe animoſè contendit; quod verò dat tantùm poſſe ſtare, atque perſeuerare in bono, non eſſe magis gratiam Chriſti, quàm naturæ, quod ad gratiam Chriſti veluti tantùm præambulum ſit.

Quas delirationes, qui audiat ſatis patienter is neceſſe eſt, vel excors ſit, vel cauſæ ſuæ præuaricator. An tu verò Corneli, qui tam nefarium dogma oſtentas nobis, tanquam promptum ab Auguſtino: an tu (inquam) tam parùm verecundus ſis, qui calumniam ita turpem diuino illi homini tam impudenter obiicere non vereare? Amabo te collige ſenſum tuum aliquando, & cum animo tuo reputa, quò demùm Auguſtinum inducas: qui ab illo te accepiſſe profitearis, *poſſibilitatem* boni non eſſe gratiam, *ſed naturam, & aliquid præambulum* ad gratiam. Quis autem permanere in bono poſſit, niſi qui priùs eſſe bonus intelligatur; adeóque quî fieri poſſit, vt permanere in bono, gratiæ Chriſti effectus non ſit? Id ſi præſtiteris, magnam inibis gratiam à Pelagia-

Digitized by Google

nis, quos demùm cum Auguſtino reconciliare contendis. Certè Semipelagiani ad ſolum initium fidei, non autem ad iuſtitiam ipſam, non ad opus bonum, aut ad perſeuerandum, Chriſti gratiam requiri negabant.

Quò porrò pergit homo deuius, cùm ait in eodem lib. cap. 3. adiutorium illud Adami datum nobis eſſe *tale, vt homo mitiùs puniretur, ſi illo caruiſſet, vnde in eo dando, non effuſa Dei bonitas, ſed ſumma potiùs eius ſeueritas, apparet?* eodem loco idem illud auxilium *monſtroſam gratiam* appellat, eadémque opera recentiores Theologos arguit, *quod non aliam niſi ſufficientem Adami gratiam reparationi inutilem, pro Chriſti medicinali adiutorio defendunt? Quocumque igitur talis gratiæ, etiam congruæ, auctores ſe ſe vertant, ventilent, ſpargant, quocumque modo ſe ſe explicent, nihil habent niſi gratiam primi hominis, & Angelorum, quæ inflictam voluntati ægritudinem nec ſanare, nec iuuare, nec attingere poteſt ..... Adiutorium ſine quo non, cum adiutorio incarnationis, & crucis Chriſti nihil commune habet, ſed ad adiutoria Maſſilienſium & Auguſtini ante Epiſcopatum referendum eſt.* Cúmque eoſdem Maſſilienſes in eo tantùm erroris arguat, quod ad credendum, gratiam, ſeu *adiutorium quo*, illud ſuum minimè norint, de cætero bene, & Catholicè ſenſiſſe, ibidem docet eos adiutoria ſine quibus non, dixiſſe *quaſdam eſſe integræ naturæ reliquias, quæ à Deo in primo parente ſana & perfecta donata eſt ..... hócque totum eſſe tribuendum Deo, quia iſta naturæ poſſibilitas, qua ſe ſe ad credendum, volendúmque flectit, & inclinat, ex illa prima naturæ, quam Adæ perfectam gratis dederat, integritate remanſit.*

Ex quibus certum habetur, exploratúmque, negari ab Aduerſario, vllo prorſus modo ad gratiam non Chriſti tantùm eximiam quandam, ſed quamlibet, ea omnia gratiæ dona pertinere, quæ recentiores Theologi Suares, Vaſques, Leſſius, Bellarminus, ipſique adeò D. Thomæ ſectatores, ac diſcipuli in gratiæ ſufficientis, aut efficacis, & congruæ ambitu contineri volunt: quòd hæc omnia Adamo, & Angelis in auxilium conceſſa ſint; à Pelagianis admiſſa: à Maſſilienſibus pro fidei initio conſtituta. Quorum omnium nullum, inquit, Chriſti donum eſſe poteſt, quia nullum illorum

eſt id, quo homo credit, & bene operatur. Quamobrem quamuis hæc auxilia Chriſti eſſe neget; ita tamen rem moderatur, vt aliquo modo tanquam primæ conditionis reliquias, velut naturales ingenij, memoriæ, bonæ indolis dotes ſupereſſe innuat, ſed quæ per ſe ſe plus nobis afferant detrimenti, quàm vtilitatis, niſi Chriſti gratiam, quam vnam ſuam eſſe vult (adeò ſibi placet) ſecum habeant coniunctam.

Verùm cùm in illa doctrinæ nouitate parùm fundatus ſit, non poteſt ita ſibi conſtare, vt non hæſitet aliquando, & interdum à ſeipſo deſciſcat, cùm videlicet habitualem gratiam, aliáque eiuſmodi dona Chriſto tribuere veniat illi mentem: vt patet ex cap. 10. lib. 8. de hæreſi Pelagian. vbi ait, manifeſtum eſſe Euangelicæ veritatis annuntiationem incarnationi Chriſti, paſſioni, & reſurrectioni ipſius eſſe tribuendam. quæ tamen annuntiatio non eſt quicquam à doctrina diſtinctum, quam ſæpenumerò à gratia Chriſti excludit.

ARTICVLVS III.

Blaſphemiarum eiuſdem, aduerſus Chriſtum Dominum ſumma recenſetur.

SI Pelagius Chriſti crucis inimicus pro merito ſuo habitus eſt, hócque præſertim ex capite blaſphemiæ ac impietatis notatus, quòd pleraque per crucem accepta gratiæ beneficia Chriſto erepta, naturæ tribueret, nihil video cauſæ, cur non potiori iure Ianſenius eiuſdem criminis damnetur, qui vnam, quam ille fingit, liberi arbitrij inimicam, vanam, ipsáque chimærâ magis fabuloſam gratiam Chriſto tribuens, eidem omnia veræ, germanæque gratiæ beneficia ſummâ cum impietate eripiat, eáque propagatæ per Adamum in nos naturæ reliquias, nihílq; adeò extra naturæ ipſius fines, ac terminos poſitum eſſe velit. Quod aſſerit ita fidenter, vt ne cui locum dubitationi de ſua ſuper ea re doctrina relinquat; ſeorſim nominat illa ſingula gratiæ dona, quæ Chriſto ablata, inter perditæ Adami innocentiæ reliquias, aliáque

Digitized by Google

aliáque naturalia ingenij, artíſque ac ſolertiæ bona computat.

Hominem tam noua molientem non grauabo inuidia, atque odio, pro eo ac debet, quin priùs, ex tabularum ſcriptarum recitatione, nefarij huius criminis reus manifeſtò teneatur. Non enim ignoro, quàm difficulter omnibus bonis, qui doctrinæ iſtius ſpecioſa religione ſibi illudi paſſi ſunt, hæc Cornelij ſui inſania perſuaderi queat. Sed, ſi quid in hanc partem dixero ab eius ſcriptis non depromptum, mentiar.

Sic igitur ille primùm in lib. 2. de grat. Chriſt. cap. 3. colligit nonnulla, *quæ ad intelligendam plenè medicinalem gratiam, & ab aliâ quâlibet ſanæ voluntatis diſcernendam plurimùm faciant.* vbi ſubiicit nullum adiutorium gratiæ, cuius vſus voluntatis arbitrio relinquitur, eſſe adiutorium *quo*, ſuum videlicet, ſed tantùm *ſine quo non*, proindéque ad medicinale Chriſti adiutorium nullomodo pertinere poſſe. *Ex quo*, inquit, *ſit, vt neque lex, neque reuelatio, neque ſapientia, aut ſcientia quæcumque, aut qualiſcumque, neque remiſſio peccatorum, neque gratia habitualis, neque virtutes infuſæ, vt quidam nimis aberrantes ab Auguſtini mente putauerunt, neque gratia ſufficiens, neque gratia quam congruam vocant, quia ſic adaptatur diſpoſitioni voluntatis, vt ei conſenſura videatur, ſit illud adiutorium quo, quod quærimus, ſed vt ſummum tantummodò ſine quo non: neque ſit adiutorium ægræ, infirmæque voluntatis, ſed fortis, & ſanæ; nec adiutorium Chriſti ſaluatoris, ſed Adami. Eſt enim non minùs manifeſtum, atque certum, omnia huiuſmodi adiutoria quantùm ad vſum & non vſum, pleniſſimè ſubiacere voluntatis arbitrio, vſque adeò vt auctores, qui illa nobis pro gratia Chriſti venditant, quâ voluntas in ſuis operibus adiuuetur, de nulla ſibi gratulentur magis, quàm quod illum liberum nutum voluntatis, quo vtitur, vel non vtitur gratiæ adiutorio, prout voluerit, relinquant liberrimum...... lex, ſcientia, quæcumque reuelatio, remiſſio peccatorum, gratia tam ſufficiens, quàm habitualis illam ſibi adeſſe conditionem clamant. Nam iſtis omnibus adiutoriis maximéque gratia ſufficienti, & habituali, vtitur voluntas cùm voluerit, deſerit ea cùm voluerit. Tribuunt enim ad extremum (ſi tamen tantùm tribuunt) poſſe ſi velis, non velle quod potes.*

Nam ideò gratia ſufficiens dicitur, quia dat non voluntatem, ſed ſufficientem volendi poteſtatem. Et allatis Molinæ, Leſſij & Suaris teſtimoniis, de vſu gratiæ congruæ libero, ſic ſubiungit Ianſenius: *Ex quibus profectò manifeſtiſſimum eſſe puto, auctores, qui congruam illam gratiam pro vera medicinali Chriſti gratia obtrudere moliuntur, nihil omninò proferre niſi adiutorium ſanæ voluntatis, primi hominis, & Angelorum, hoc eſt, adiutorium non quo fiat, vt voluntas velit, ſed ſine quo non poteſt ſe determinare & velle ; . . . . . quod gratiæ adiutorium homini permittit facere, quod velit, eſt vnicus & propriiſſimus character, quo ſanæ voluntatis adiutorium à medicinali, quod Chriſtus attulit, diſcernitur.* Tum verò auxiliorum genus id omne, homini lapſo tam vanum atque inutile eſſe docet, quàm vel lux cæco, vel bacillus pedibus deſtituto, vel alimentum iam vitâ functo.

Porrò ex illa doctrina quæ conſequuntur, habentur maniſeſtiſſima. Primò Ianſenium vltrò concedere nobis etiamnum adeſſe omnia iſta gratiæ adiutoria, quibus inſtructi Angeli bene egerunt, atque in bono fuerunt conſtantiſſimi, Adamúſque & ſtare potuit & aliquamdiu ſtetit ante lapſum. Secundò, ita à Deo cum Angelis, primóque homine actum, vt nullum niſi per ſe ſufficiens, & vt vocat *ſine quo non*, adiutorium acceperint, non quo fieret, vt vellent; nec plus beneficij bonis Angelis collatum, quàm malis, ac deſertoribus. Tertiò, quodcumque gratiæ adiumentum, quod nullā libertati aut vim aut neceſſitatem afferat, nec eius indifferentiam tollat penitus, ſanæ voluntatis eſſe, quale fuit quod Angelo, & primo homini eſt datum. Quartò, nullum iſtiuſmodi adiumentum, licèt cum nobis fiat commune, medicinæ, aut gratiæ per Chriſtum partæ rationem habere poſſe, ſed ad ſummum quidpiam eſſe ab excellenti illo fortunæ felicioris ſtatu, in quo creatus eſt Adam, quaſi relictum.

Præterea vt ex contextu ipſo ſuperiori patet, reprehendit Aduerſarius Suarem, Leſſium, Molinam, Bellarminum, & alios poſteriorum temporum Doctores, qui gratiæ eiuſmodi auxilia *pro gratia Chriſti vendiiant, & pro vera medicinali gratia obtrudere moliuntur.* Hi verò Doctores nunquam id auxiliorum genus Chriſto ita aſſeruerunt, vt negarent præter-

Digitized by Google

eã dari gratiam, quæ voluntatis ægræ languores ſanet; vnde perſpicuum eſt Aduerſarium talia auxilia ſic Adami propria velle, vt prorſus neget vllo pacto ad Chriſtum pertinere. Quintò dicit non obſcurè, *Gratiam Chriſti ab illa alia quâlibet diſcerni*, & hanc Chriſto nullo modo eſſe tribuendam. Sextò, nullum adiutorium *ſine quo non*, ſed tantùm *quo* Chriſti eſſe: quod primi hominis fuit, non ſecundi; creatoris, non ſaluatoris; ſanæ voluntatis, non infirmæ. Septimò, omnia auxilia, quorum Adamo copia facta eſt, ea contendit eſſe, quæ iſtius ætatis Doctores in gratia ſufficiente, & congrua, ſeu efficace conſtituant, gratiam videlicet ſanctificantem, dona virtutum infuſarum, illuminationes, inſpirationes, & quæcumque eiuſmodi in ſeſſ. ſexta Tridentini Patres enumerant, aliáque omnia quæ admittit Cornelius præter iſtam ſolam ſuam Ianſenianam gratiam à nobis ſuprà toties propoſitam, & refutatam. Octauò, peccatorum remiſſionem, reuelationem, legem, doctrinam quamcumque etiam Chriſtianam, ſcientiam, ſapientiam cuiuſcumque porrò generis fuerit, etiam eam quæ circa dona Spiritus ſancti verſetur, gratiam habitualem, & virtutes eas omnes, quas pro ſuo arbitrio voluntas noſtra in vſum adhibere poteſt, inter gratiæ Chriſtianæ facultates, non modò non eſſe cenſendas, ſed iam à Ianſenio ab illo ordine eſſe ſublatas. Nonò, quæcumque dona dant tantùm poſſe ſi velis, non autem velle quod potes, à Chriſto eſſe aliena. Vnde conſequens eſt, eum qui nondum vult bonum, ſed duntaxat habet, quo poſſit velle, nihil gratiæ Chriſtianæ habere, quod cùm dicit Doctor noſter, non videt ipſe fortaſſe, quàm animi cæcus ſit, qui non cogitet, quid futurum ſit de infantibus baptiſatis. Nihil enim gratiæ à Deo per Chriſtum accipiunt, ſi, quemadmodum ipſe diſputat, res habet.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Gratiæ habitualis, virtutum infuſarum dona, eorum affectus, ſufficientiam ad bonum, eius poßibilitatem, remißionem peccatorum Chriſto detrahit.

NON ſatis habuiſſet Aduerſarius gratiæ dona ſuperiùs recenſita vniuerſim Chriſto adimere, quod diſſimulari poterat; niſi etiam ſingula quæque ſeorſim, ipſámque adeò in primis iuſtitiam habitualem virtutéſque infuſas appellaret, ſignificarétque, quàm conſultus animi id faceret. Nam lib. 2. de gratia Chriſti cap. 15. repetit quod fusè lib. 5. de hæreſi Pelag. à cap. 22. vſque ad 28. docuerat, Pelagianos *prædicaſſe homini peccata diuinitùs dimitti, & per hoc habituali gratiâ, ſeu iuſtitia gratuitò donari.* Cùm tamen, vt ſuprà declaratum eſt, Ianſenius nullam à Pelagianis gratiam admiſſam ad Chriſtum pertinere velit. Cap. 17. ait reprehenſos ab Auguſtino gratiæ hoſtes, *qui nunc legem, nunc remißionem peccati, ſub qua habitualis gratia comprehenditur, nunc exemplum Chriſti, nunc gratiam Angelis, & Adamo datam, ſine qua operari aut velle non poterant, pro vera Chriſti gratia opus & meritum largiente ſupponebant.* In quibus obſeruandum vel eum negare, iſta ad gratiam Chriſti pertinere, vel ad eam gratiam, quæ meritum largiatur, quod poſtremum, ſi prius tolerari poſſit, certè poterit erroris notari, cùm gratiæ habitualis donum hominem idoneum reddat, qui actus ſupernaturales, & vitæ æternæ dignos edere poſſit. Nec verò proditum accepimus reprehenſos vnquam ab Auguſtino fuiſſe Pelagianos, quòd illam gratiam poſſibilitatis admiſerint, ſi tamen reuerâ admiſerunt: ſed quòd eam in naturâ arbitrij ponebant, ſolo legis & doctrinæ adiutorio, nec tamen ad ſingulos actus opus eſſe, ad bene agendum dicerent.

Cap. 20. *Quis hîc iam audeat, gratias iuſtorum habituales pro Dei gratia, qua iuuamur obtrudere, niſi qui fidem Eccleſiæ adulteratam velit?* paulò pòſt reprehenſum ait Pelagium, *quòd poſt iudicium Palæſtinum, adhuc remißionem peccatorum,*

Digitized by Google

hoc eſt, iuſtitiam habitualem, & legem, atque doctrinam, pro vera Chriſti gratia, obtruderet. Eodem lib. 2. cap. 10. *Scientia non minùs, aut fortaſſe magis in actum influit, quàm illi indeliberati motus, quos neoterici diuinæ gratiæ adiutorium arbitrantur,* Cap. 21. *Qui hoc dicunt, non intelligunt huiuſmodi ſimultaneos cum humanâ voluntate influxus, atque cooperationes gratiarum habitualium, addo & actualium quarumcumque, nihil omnino ad cognoſcendam Chriſti medicinalem gratiam facere. tales enim tam habituales, quàm actuales gratias, cum voluntate ad opus bonum concurrentes, etiam Angeli ſancti, & Adamus habuerunt, quibus tamen Chriſti medicinalis gratia non erat neceſſaria.* mox addit, *etiamſi illa dona admittantur, fore nihilominùs, vt Chriſtus gratis mortuus fuerit,* in quo dicit *tam enormiter recentiores hallucinari; quia diſcrimen inter adiutorium ſine quo non, & quo, & conſequenter inter adiutorium Chriſti, & Adami; inter adiutorium ſanæ, & infirmæ voluntatis; inter adiutorium poſſibilitatis, & voluntatis, atque actionis, non intelligunt.*

Certè, ſi non omnem, ſed aliquam tantùm Chriſti gratiam, eámque ſingularem, & eximiam intelligeret Aduerſarius, cùm gratiam habitualem, actualem, eiúſque influxus, cooperationes, & affectiones ab ea excludit; nunquam diceret, illas quaſcumque gratias, *nihil omninò ad agnoſcendam Chriſti medicinalem gratiam facere.* Quòd ſi putat, gratiam puero infanti per baptiſmum datam, Chriſti patientis eſſe beneficium; quamobrem quæſo dicit, hæc ſi ſola admittatur, Chriſtum fruſtra eſſe mortuum? Eò etiam accedit, quod ineptè de ſtatuendo illo inter Adami, & Chriſti adiutorium diſcrimine laboret, niſi velit, nullum quo Adamus innocens à Deo adiutus eſt, Chriſti eſſe auxilium.

Cap. 22. *Genuinam gratiæ medicinalis naturam in eo ſitam eſſe,* ait, *non quòd ſit gratia ſine qua non, ſed qua; nec habitualis, aut qualibet actualis Spiritus ſancti motio, ſed illa tantùm, quâ Deus ipſam determinationem voluntatis ad volendum, & operandum inſpirat nobis, & operatur in nobis, ſola poſtrema gratia, qua voluntatis nutus reipſa determinatur, eſt vera & genuina Chriſti gratia.* Quas voces, ſi quis ſit præterea, qui putet ambiguas, næ ille Ianſenio fuerit valde iniquus. Nam om-

Digitized by Google

nem induſtriam ſuam, opinor, adhibuit, vt in hac parte explicatè loqui videretur; nec, meâ quidem ſententiâ, res illi ceſſit infeliciter. Nam reuera nunquam magis clarè locutus eſt; ſi enim nulla gratia *genuina* (vt ipſe ait) Chriſti ſit, quàm quæ voluntatem determinet, certè quæcumque id non præſtet, vera germanáque Chriſti gratia cenſeri non debet. Cap. 25. *Solam gratiam Auguſtinus prædicauit, quæ dat ſimul effectum ſuum, nẽpe quia ipſa vera, & ſola Chriſti gratia eſt, quam ſanandæ naturæ peccatricis infirmitati attulit, nec verò gratiam quâ credimus, aut operamur, ſi volumus:* quales omnes, ſolâ ſuâ exceptâ, eſſe contendit. Cap. 27. præter gratiam illam ſuam efficacem, qua non operetur homo, ſi velit; Auguſtinus *nullam agnouit aliam actualem Chriſti gratiam, niſi regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam gratiæ medicinalis, tradidit, & explicuit, vellet interimere.* etiam paratus eſt vel ipſum Auguſtinum damnare, ſi gratiæ Ianſenianæ fundamentum tollat: tum addit: *Et quiſquis iam alia diuinæ gratiæ adiutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deſerant, ſi velint, in quibus permaneant, ſi velint; cum quibus tanquam ſufficientibus operentur, ſi velint,* (qualia ſunt ſuperiùs memorata) *nihil aliud imprudens facit, niſi vt originalis peccati virus euacuet, illæſas liberi arbitrij vires eſſe, Chriſtum fruſtra veniſſe, & gratis mortuum eſſe perſuadeat.* Subdit, *non aliam Chriſti gratiam medicinalem in ſcriptis Auguſtini reperiri; proinde fatendum eſt, quòd qui aliam nobis gratiam procudit, nouum genus gratiæ Chriſtianis afferat, quod nec Auguſtinus, nec vllus Latinorum Patrum, qui de gratiæ adiutorio cum Pelagianis ex profeſſo decertarunt, nec Eccleſia in Conciliis generalibus, vel prouincialibus ab Apoſtolica ſede probatis agnouit vnquam, nec agnoſcere potuit, niſi principia, quibus ipſa per antiquos Patres medicinalem Chriſti gratiam defendit, funditus euertantur.*

Non dicam quàm immeritò, teſtimonio Auguſtini, cæterorúmque Patrum Latinorum auctoritate glorietur; & quàm parùm accommodatè ad rem ipſam, ſe Conciliorum decretis tueatur. Neque enim id iam diſputatur. Hoc vnum obſeruo, quod eſt mihi inſtitutum, gratiam eam quam Eccleſiæ ignotam eſſe vult, illam ait eſſe, qua homo vtatur ſi velit, eámque fuiſſe Adami, omnéſque adeò tam

habituales, quàm actuales gratias, ſi ea ſola gratiæ nomen retinere debeat, quæ voluntati afferat neceſſitatem.

Sed faciamus Ianſenio fuiſſe propoſitum, habitualem gratiam, virtutes infuſas, earúmque pias affectiones, & motiones Chriſto negare; qua, quæſo, oratione, quibus rationibus, atque argumentis id magis diſertè facere potuiſſet, quàm iſtis omnibus, quæ ex illius ſcriptis, à me commemorata ſunt? Quæ porrò in hanc ſententiam poſſunt afferri reliqua, ſi congerere in hunc locum velim, tempus animúſque me deficiant: cap. etiam 32. affirmat, *nullam gratiam actualem ab Auguſtino pro illa vera Chriſti gratia agnoſci, quam tanquam medicus infirmæ voluntati attulit, niſi quæ agit, & peragit effectum. omnis alia qualiſcumque fuerit, ab ipſo ad legem doctrinámque relegatur.*

Certum itaque ex iis habetur, ab Aduerſario omnem boni ſufficientiam, *poſſibilitatem,* ſeu gratiam potentialem, adiutorium ſine quo non, & quoduis aliud eiuſmodi, quod non dat velle & operari, Chriſto negari.

At cùm in opere illius verſando aliquid operæ poſuerim, fateor à me interdum obſeruatum, quod antea monui, (neque enim quidquam diſſimulabo) pueris infantibus per baptiſmum gratiam Chriſti aliquam conceſſiſſe, quæ qualis fuerit, præter habitualem, vix explicari poterit. tum l.4. de gratia Chriſti c.11. motus indeliberatos, & pios illos affectus Chriſto tribuere videtur; ſed vt iam ſæpiùs obſeruatum eſt, contingit non rarò, vt ſecum ipſe pugnet. Ego verò de illis ſic ſtatuo, ſi mens illius quærenda ſit, vt in hominibus variis ac duplicibus fieri ſolet, magis attendendum ad id quod ex certa, deliberatáque animi ſententia multoties iteratum eſt, quàm ad id, quod temerè fortaſſe, neque ſatis cogitanter eſt dictum. vt in præſentiâ cuiuis intelligenti perſpicuum eſt.

ARTICVLVS V.

Hæc Ianſenij doctrina Chriſti crucem vanam facit.

PRIVS de re propoſita quàm dicam, non videbitur alienum breuiter exponere, quî fieri potuerit, vt Ianſenius dum Pelagij errores, eorúmque refutationem perſe-

quitur accuratiùs apud Auguſtinum; dum doctrinam Chriſto ita inimicam prorſus abhorret, ac deteſtatur, ad eum tamen ſcopulum tam fœda, turpíque offenſione impegerit. Vt verò omittam dicere pleraque alia, quæ ad rem non pertinent, id vnum modò placet animaduertere, eum, dum Caluinum nimis cupidè amplexus eſt, & ſequutus ducem, præcipuóſque illius errores, dúmque eâdem, quâ Caluinus animi ſibi paullò fidentioris audacia, atque ambitione ſectam moliri ſtudet, in reliquos demum cùm cæterorum paſſim hæreticorum, tum ipſius præſertim Pelagij errores incidiſſe. Cùm enim primùm Caluino aſſentiretur de ereptâ per peccatum Adæ voluntatis ad bonum, & malum indifferentiâ, voluntatémque noſtram ab ineluctabili, &, vt loquuntur Caluiniani, *irreſiſtibili* gratiæ vi neceſſitatem pati, háncque vnam cum eodem Caluino gratiam admitteret; In eo tamen receſſit à Caluino, quòd quoddam gratiæ habitualis auxilium, virtutes infuſas, eáſque, quæ ad rerum obiectarum præſentiam ſolent interdum exiſtere, pias motiones, affectionéſque, nonnulláque gratiarum actualium adiumenta, etiam poſt lapſum Adami ineſſe in nobis vltrò concedat.

Quibus porrò inductus rationibus id conceſſerit, non ſatis liquet, nec ſi quærendo vt liqueat, obtineri poſſit, res poſtulet. Conſtat autem, quorſum hæc auxilia gratiæ, à ſuâ planè diuerſa admiſerit, vt ſuam illam magis commendaret, ſine qua quidquid eſt opis, ac præſidij in reliquis, illud non modò vanum eſſe ac inutile, ſed quod graue dictu eſt, omnino pernicioſum, nec proinde plus prodeſſe ad ſalutem, quàm proſit vel acies ingenij peracris, vel indolis bonis moribus temperatæ vis quædam ingenita. Ne verò non loqueretur conſequenter, neceſſariò fuit illi dicendum, omnia ea, quorum vſus à voluntate liberâ, & indifferenti pendet, fuiſſe conceſſa Adamo, ſalutis adiumenta, quorum in ipſa generis noſtri clade ac ruina, quippiam etiamnum in nobis relictum eſt; quod conceſſit homo liberalis naturæ lapſæ non admodum repugnanter; quippe qui iſtæc omnia cenſuerit in Adamo fuiſſe naturalia, quódque ſine illis Adamum creari non potuiſſe exiſtimauerit. Cùm

autem

autem in ſcholis quas frequentauerat aliquando, audiuiſſet, pro certo habendum, nulla Adamo, Angeliſque lapſis, dona naturalia per peccatum periiſſe; ſtatuit quoque hæc gratiæ adiumenta, quæ homini pro naturæ ſuæ conſtitutione debebantur, eidem minimè erepta eſſe; vel ſi quo caſu fuerant erepta, peculiari quodam prouidentiæ quidem diuinæ, ſed naturalis conſilio, eſſe reſtituta; quemadmodum fieri ſolet in iis, quæ à Deo reguntur tanquam naturæ moderatore, ſic enim præclaras animi ingenij dotes, & dat hominibus, & datas pro paterna ſua bonitate tuetur in eorum mentibus, atque conſeruat.

Atque hæc eſt (nî fallor) ſeries, hoc inſtitutum doctrinæ à Ianſenio traditæ; qua quàm manifeſtè omne Chriſti meritum tollat, eiúſque crucem; vt loquar cum Apoſtolo, euacuet, in promptu eſt; cùm omnia illa gratiæ dona, quæ communis Catholicorum conſenſus tribuit cruci, illi auſu planè nefario eripiat.

Nam, vt cætera taceam, manifeſti erroris Tridentini auctoritate reuinci poteſt; cùm ſeſſ. 5. can. 5. doceat *per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti, etiam paruulis*. Vnde planum fit infantes Chriſti meritis peccati orginalis remiſſionem accipere, per gratiam habitualem; nam non video, quæ ſit alia, quæ rectè cogitari poſſit. Idem Concilium ſeſſ. 6. c. 3. in renaſcentia per meritum paſſionis Chriſti, gratiam, qua baptiſati iuſti fiunt, tribui docet, & in Chriſto nos habere redemptionem, & remiſſionem peccatorum. c. 5. & 6. cùm explicat gratiam Chriſti præuenientem, in ea ponit vocationem, illuminationem, inſpirationem, excitantem gratiam, & adiuuantem, qua cor hominis tangitur. ibidem iuſtitiæ diuinæ timorem, deteſtationem odiúmque peccati, eodem in numero recenſet. Cap. verò 7. ait voluntariè ſuſcipi gratiam, & iuſtitiam, quæ ſecundùm menſuram Spiritus ſancti, & propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem recipitur; quæ cùm cauſa ſit formalis, qua vnâ recepta, fit homo iuſtus; neceſſe eſt, vt quandiu iuſtitiæ illius retinens erit, ei inhæreat, etiam otioſo, ac dormienti; proinde infanti, & mente deſtituto, eadem inerit gratia habitualis,

Digitized by Google

quæ cæteras virtutes infuſas, fidem, ſpem, charitatem, ſuo ambitu contineat, quæ quantumuis à Concilio Tridentino deprompta, tamen Ianſenianæ doctrinæ minimè accommodari poſſunt. Sunt enim eiuſmodi, vt iis motus homo poſſit conſentire, vel diſſentire, ſi velit, quod Ianſenio non placet, qui Concilium illud habet propè in omnibus repugnans. Nam can. 2. & 3. negat abſque Chriſti gratia præueniente, Spiritus ſancti inſpiratione, hominem per liberum arbitrium iuſtè viuere, vitam æternam promereri, credere, ſperare, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur; adeo vt non ſolam voluntatis, & actionis ab homine iuſto factæ, gratiam, verùm etiam *poſſibilitatem* boni, Chriſti adiutoriũ eſſe dicat. Can. 8. de gehennæ metu, quo à peccato abſtinetur, mentionem facit. Cap. 28. fidem non viuam, qua homo nihilominus fit Chriſtianus admittit. Quæ omnia Ianſenio aduerſantur. Nam secùs exiſtimat, negátque iſta ad Chriſti gratiam pertinere, cuius gratiæ vim totam, in ſuperanda cupiditatis effrenatæ impotentiâ, ponit, & ſic eam ſtatuit Chriſti gratiam, cuius nullum extat in toto Concilij contextu veſtigium. In quo Cornelij acumen commendatione dignum ſanè quidem non vulgari; qui quod congregati tot viri omni doctrinæ infinitate, ac prudentiâ commendabiles tantâ comitiorum frequentiâ, tantâque & tam diligenti eorum omnium, quæ pertinebant ad gratiam, perueſtigatione aſſequi non potuerunt, vnus Cornelius Ianſenius, vbi Dordracenæ Synodi Caluinianos Doctores conſuluit, fuerit tam feliciter conſecutus.

ARTICVLVS VI.

Hæc Ianſenij doctrina ex Auguſtini auctoritate vel Pelagiana, vel etiam Pelagianâ deterior probatur.

DIFFICILE eſt hominem ſe ſe ita Auguſtino addictum, ita alienum à Pelagio profitentem, ita denique vel contra ipſam Pelagianæ hæreſis ſuſpicionem ab omni parte communitum, criminationis illius reuincere. Verùm

Digitized by Google

tabulas habeo, & teſtimonia, quibus non modò criminis veſtigia, ſed ipſum crimen conſtare poſſit. Nam Pelagio infenſiorem eum Chriſto eſſe oportet, qui peccatorum remiſſionem ad eius gratiam pertinere nolit, quam Chriſto acceptam ferebat, teſte Auguſtino, Pelagius. Sic enim lib. de Natura & gratia c. 18. de illo, habet. *Diuinitus tamen eſſe expianda peccata commiſſa, & pro eis Dominum exorandum eſſe fatetur, propter veniam ſcilicet promerendam; quia id quod factum eſt, facere infectum, multùm ab iſto laudata potentia naturæ, & voluntas hominis, etiam ipſo fatente non poteſt. quare hac neceſſitate reſtat, vt oret ignoſci.* Et libro de gratia & libero arbitrio cap. 13. *Dicunt etiam Pelagiani, gratiam fidei, quæ data eſt per fidem Ieſu Chriſti, quæ neque lex eſt, neque natura, ad hoc tantùm valere, vt peccata præterita dimittantur, non vt futura vitentur, vel repugnantia ſuperentur.* Tantùm autem abeſt, vt Pelagium pro remiſſione illa peccatorum refellat Auguſtinus; quin potiùs putet, quia in illa oratione Dominica petimus, vt peccata dimittantur, ſicut & vt caueantur, vel vitentur.

Immò Pelagio deterior videtur Ianſenius, qui neget gratiam habitualem in Chriſti donis eſſe cenſendam, quâ hæredes Dei, & cohæredes Chriſti efficimur, adeóq; ius in cælum per eam obtinemus. Pelagius verò, ſi ipſum Ianſenium audiamus, gratiam illam profitetur eſſe Chriſtianam. Quod quia dubium eſſe poteſt, ſaltem certum eſt, Iulianum diſcipulum Pelagij, ipſúmque adeo Pelagium, cùm vitam æternam à Chriſti regno diſtinguendam docerent, confeſſos eſſe hominem non poſſe fieri participem regni, abſque gratia Chriſti, cui etiam acceptam referunt illam adoptionem, nec ipſe negat Ianſenius lib. 5. de hær. Pelag. cap. 23. 24. 25. Sanè id à Iuliano conceſſum eſſe, patet ex lib. 2. ad Bonif. cap. 6. vbi de Iuliano, & ſociis qui ad Theſſalonicenſem Epiſcopum ſcripſerunt, ſic loquitur: *Nam ſi infantes negatis attrahere quod in baptiſmo remittatur originale peccatum, tamen regenerationis lauacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei, non negatis, imò etiam prædicatis.* Et de ipſo Pelagio Auguſtinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 18. *Dicunt, paruulos percipere baptiſmum, vt ſpiritualem procreationem non habentes, creentur*

Digitized by Google

in Chriſto, & ipſius regni cœlorum participes fiant eo modo filÿ, & hæredes Dei, cohæredes autē Chriſti. & vt alia prætereàm, Iulianus l. 2. poſteriorū ſect. 116. *diuinam gratiam Chriſti... æqualiter cunctis à ſe imbutis adoptionis, & ſanctificationis, promotioniſq; dona conferre* fatetur. Illi ſunt videlicet, quos tantopere vexas Corneli. & importuniſſimis tuis maledictis oneras immerentes, ſi tecum in eo ipſo, in quo tam grauiter illos habes, comparentur. Nam de Chriſto, ſummáque Chriſti in nos liberalitate, ac beneficentia longè honorificentius atque tu ſentiebant?

Tertio loco poteſt Ianſenius Pelagianæ factionis accuſari in eo, quod boni illius, quod ad ſalutem pertinet, adeóque fidei, & charitatis poſſibilitatem nobis velit eſſe naturalem, neque magis eſſe gratiam, quàm vel ipſam naturam, vel liberum arbitrium, & cæteras dotes nobis à natura inſitas.

Idipſum enim à primariis hæreſis Pelagianæ ducibus traditum accepimus, non tantùm à Maſſilienſibus, qui pro initio fidei, abſque gratia Chriſti, habendo, nihil requirebant aliud, quàm nōnullas naturæ, vt in Adamo creata fuerat, reliquias, de quibus nobis poſteà erit aliqua mentio facienda. Quod porro hæc Pelagianorum doctrina fuerit, ita familiare eſt apud Auguſtinum, & in Scholis ita peruagatum, vt id velle pluribus oſtendere, eſſet hominis parùm intelligentis. Auguſtinus l. 2. Retract. cap. 42. damnatum ait Pelagium, *Quod hominis naturam contra gratiam Dei, qua iuſtificatur impius, qua Chriſtiani ſumus, quanta potuit argumentatione defendit.* Quid verò molitur aliud Ianſenius, qui virtutes fidei & charitatis quibus Chriſtiani iuſtíque ſumus, naturales, & Adami non Chriſti eſſe contendit?

Quartò, cùm gratias actuales, & pleraque auxilia, eáque potiſſimùm quæ ad doctrinam, ſcientiam, & ſapientiam pertinent, &, vt verbo dicam, quidquid vel ad illuſtrandam mentem, vel voluntatem bene afficiendam, comparatum eſt, Chriſto neget tribuendū, nemini non debet videri Pelagianus. Certè, ſi conſulatur Auguſtinus, cum Pelagianis momento damnabitur; ille enim lib. 2. ad Bonif. cap. 8. de gratia Dei per Chriſtum data, hanc orationem facit. *Fortaſſis er-*

Digitized by Google

go ipſi (Pelagiani) eo modo ſaltem ſeruant locum gratiæ, vt ſine illa putent hominem poſſe habere boni, ſed imperfecti cupiditatem. ..... Verùm & hîc gratiam dicunt ſecundùm merita noſtra dari ..... ſi enim ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium .... cogitare aliquid vtique bonum, ait ſcriptura 2.*Cor.cap.* 3. *minus eſt autem cogitare quàm cupere. quo modo ad id quod minus eſt, non ſumus idonei tanquam ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & ad id quod eſt amplius, id eſt ad cupiendum aliquid boni ſine diuino adiutorio idonei ſumus ex libero arbitrio?* & cap. 9. *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quàm ipſa, de qua loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere cœperit ...ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis, vt nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus, quod præcipit nobis.* Itaque parcè adeò cum Chriſto agit Aduerſarius, vt ad illius gratiam & dona, *quamcumq; aut qualemcumq; ſcientiam & ſapientiam, gratias actuales, motus indeliberatos,* quos ipſe vocat deſideria, pertinere nolit; Auguſtinus verò contendit Chriſti gratiæ referendum, ſi vel bonum quid etiam imperfectum cogitemus, vel cupiamus: cùm vel illud quod dulceſcere nobis incipit, quod delectat, quod nos bene afficit, gratiæ eſſe velit. Nec tamen prædicare ceſſabit Iprenſis, ſe eſſe vnum ex omnibus, qui Auguſtini doctrinam vel ignoratam poſtremis iis temporibus, vel certè neglectam, in priſtinum ſplendorem vindicarit. Nec dubito quin ſi res oſtentatione, atque iactantiâ gereretur, vinceret Ianſenius.

At erunt fortaſſe, qui illum etiam in hoc loco tueri ſuſcipiant, dicántque non eam fuiſſe eius mentem. Neque enim ad ea nos ſolo libero arbitrio idoneos eſſe vult, cùm opem virtutum, & gratiarum earum, quæ Adamo erant communes, prætereà requirat. At hæc purgatio vaniſſima eſt. nam pari iure dicam Pelagium nunquam voluiſſe, vt ſolum arbitrium per ſeſe ſine doctrina, diuiníſque inſpirationibus conſentire bono, aut erga illud bene affici poſſet, cuius nullum à Deo ſenſum ſibi inſitum haberet, proindéque cum libero arbitrio alia naturæ dona, virtutéſque Adamo innatas

Digitized by Google

ad opus bonum faciendum deſiderari.

Nec deerunt, opinor, alij nouæ doctrinæ ſtudioſi in primis, qui reſpondeant, eas gratias, quæ Adamo primùm conceſſæ ſunt à Ianſenio, diuinas eſſe minimè negari, ſed tantùm Chriſto vt ſaluatori, non verò vt auctori naturæ, referri debere. neſciunt illi nimirùm, Auguſtinum, quoties diſputat contra Pelagium, de ſolis veræ Chriſtianæque gratiæ donis & adiutoriis mentionem habere, tametſi ſolam Dei gratiam ſolitus ſit appellare.

Quid ſi mentem Auguſtini aliorſum accipias, inquies? cúmque de cupiditate boni apud Deum meritoriâ contingat eo loci facere ſermonem, cuiuſmodi non ſunt repentinæ affectuũ motiones, & non deliberatæ, nónne quod imponitur Ianſenio, poterit damnari falſitatis? At conteſtor primò, id in defenſionẽ Ianſenij dici non poſſe; cùm volitionem omnem liberám eſſe velit, adeóque meritoriam, hoc eſt, pro ea meriti ratione, quam nobis tribuit; deinde cùm affectus illi, quantumuis ſubiti miniméque deliberati, atque virtutes habituales fidei, & charitatis, à quibus manant, quoddam ius afferant ad gloriam, nóſque faciant quodammodò ea dignos: Pelagianum meritò videri debet, gratiam aut gloriam dari iis, quos naturalis dignitas, aut ſi ita placet, diuina benignitas, non meritum Chriſti, dignos faciat.

Eò etiam accedit, quòd ſi abſque Chriſti adiumento affectu ſubito nec deliberato Deum amare poſſum, abſque eo quoque mihi poteſt placere affectus is, & ſupra hunc amorem reflectere me, quod cùm ad indifferentiæ libertatem per ſeſe ſufficiens ſit, erit quoq; ad meriti propriè dicti rationem: quemadmodum fieri ſolet in prauis affectibus. Qui enim vanæ gloriæ affectu motus, in eo immoratur, hunc cùm attendit, amat, ſibíque placet, peccat, noxámque contrahit, quia quæ per ſeſe ſufficiunt principia, vt ſubito motu erga bonum, vel malum bene afficiat, ob intellectus, voluntatíſque attentionem, ſufficiunt vt motus ille liberè ametur. Ex quo patet quàm meritò dictum ſit ab Auguſtino, in *cupiditate boni iam cœptum eſſe meritum.*

Quid eſt autem voluntatem affici bono, vt illi conſentiat, quàm eam agi vt agat? hoc enimuerò gratiæ Chriſti tribuit

Auguſtinus lib. de geſtis Pelag. cap. 3. vbi, quod erat di-ctum à Pelagio, *Omnes voluntate propria regi*, confutans ait plus eſſe agi, quàm regi: *Qui enim agitur, agere aliquid vix ipſe intelligitur, & tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere : quotquot ſpiritu aguntur, hi filij Dei ſunt.* Et lib. de ſpiritu & litt. cap. 3. ſic nos adiuuari vult, vt, habituali charitate per Spiritum ſanctum infuſa, delectationem, & dilectionem iuſtitiæ accipiamus. *Nos,* inquit, *dicimus humanam voluntatem ſic diuinitùs adiuuari ad faciendam iuſtitiam, vt accipiat Spiritum ſanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectióque ſummi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus eſt .... vt, hac ſibi velut arrhâ datâ gratuiti muneris, inardeſcat inhærere creatori, atque inflammetur accedere. Nam neque liberum arbitrium quicquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via, & cùm id quod agendum, & quò nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene viuitur.*

Quæ voces, ſi æquo animo perpendantur, quatuor omninò vitæ bonæ dona, & auxilia gratiæ, inter ſeſe diſtincta præ ſe ferre obſeruabuntur. Primum eſt Spiritus ſanctus, ſiue arrha muneris gratuiti, quod non niſi charitas habitualis infuſa eſſe poteſt, cùm arrham hanc in baptiſmo pueri recipiant. Secundum, doctrina, ſeu ſcientia, qua fit, vt bonum non lateat. Tertium delectatio. Quartum ipſa operatio boni, qua bene viuitur. Vbi porrò in illa donorum à Chriſto acceptorum enumeratione, gratiæ Ianſenianæ commemoratio? vbi vel illius vmbra aut veſtigium?

Poteſt etiam in memoriam reuocari, quod lib. de correp. & gratia cap. 2. ab eodem Auguſt. habetur. *Intelligant,* inquit, *ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt, agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant, & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, vt quando id agunt, ſicut agendum eſt, id eſt cum dilectione, delectationéque iuſtitiæ, ſuauitatem quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant.* Ita fit vt voluntas, antè fructum quàm ferat, & conſentiat bono, à Deo partim luce ſcientiæ, partim delectationis illecebra ac ſuauitate, quæ eſt aliquis voluntatis af-

fectus, ſeu delectatio illa indeliberata, de qua diſputamus, ad bene agendum, præmuniri debeat. Huc etiam pertinere poteſt quod ex lib. 1. ad Simplic. q. 2. habetur, ſed commodiùs paulò pòſt afferetur.

Articvlvs VII.

Ianſenij de timore pœnæ doctrina Semipelagianâ pernicioſior eſt.

DE ipſa Semipelagianorum doctrinâ, & quo primùm tempore, ita ſic appellari cœperint, etſi per ſe quæſtione dignum eſt, non tamen pertinet ad hunc locum. vnum eſt in præſentiâ mihi veſtigandum, in quo Semipelagianorum errorum grauitatem ſuperauerit pernicioſâ doctrinæ ſuæ importunitate Ianſenius. quod, vt in promptu eſt, ſic facili negotio expedietur. Vt enim cætera Catholicus ſit, verámque Chriſti gratiam agnouerit; fœdiùs tamen omnibus Semipelagianis aberrauit à vero, qui ad timorem gehennæ bonum, & vtilem, quippe qui & peccati fuga ſit, & *initium ſapientiæ*, vt loquitur pſaltes, & Spiritus ſancti donum, tum ad fidem informem, alióſque nonnullos bonos actus, nullum Chriſti adiutorium, nec illud quod germanum eſt, nec aliud, quod à ſe fictum, requirat; quod, quantum animo præcipio, nonnullis videri poterit incredibile, ita videlicet abhorrens eſt à recto ſenſu. Verùm ne quid ad hanc cauſam præiudicatum afferatur, ſuſtineatur per me licet aſſenſus, donec ab eius ſcriptis, quæ par eſt conſuli, fides conſtet.

Lib. 5. de gratia Chriſti cap. 13. non 21. vt mendosè legitur in editione Pariſienſi, ſic loquitur. *Dico timorem gehennæ, ſiue pœnæ in ſe conſideratum, ſiue paruum, ſiue magnum, ſiue remiſſum, ſiue intenſum, eſſe vtilem ac bonum.* idem ſuperiùs dixerat, de peccati deteſtatione, quæ inde pullulat cap. 14. *De hoc timore ſanctus Auguſtinus iſta verba Dauidis ac Salomonis dicta intelligit, initium ſapientiæ timor Domini.* cap. 15. eundem ſpiritum timoris & amoris eſſe vult. *Itaque ſpiritum timoris & adoptionis & amoris ſanctus Auguſtinus appellatum*

latum cenſet Spiritum ſanctum, quia vt amorem nunc, ita & timorem olim Iudæis operatus eſt. Quid autem de tam laudato commendatóque timore ſentiat, habeto paucis. *Quamuis fatendum ſit, Deum in cordibus hominum timorem pœnarum futurarum operari : nullo tamen modo arbitrandum eſt, quod eum per illam veram Chriſti gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam, crucifixus eſt, operatur: nam iſta gratia effectum prorſus oppoſitum in voluntate facit.* Quem effectum vult eſſe dilectionem iuſtitiæ. *Vnde vera Chriſti gratia ſpiritalis dilectionis & charitatis eſt gratia, quæ charitas cùm intrauerit, timorem veluti ſeruum eiicit, vt ſuprà declarauimus. Vnde Auguſtinus pœnarum formidinem & iuſtitiæ dilectionem ſemper opponit. operatur igitur Deus pœnarum timorem per aliam longè inferioris notæ gratiam: quæ poſtquam infixa fuerit in animo iudicij diuini, ſempiternæque pœnæ fides, fortaſſis gratiam peculiaris cuiuſdam ſiue internæ, ſiue externæ prouidentiæ & operationis non excedit.*

Laudat in hoc loco malitioſè Vaſquem hominem frugi, qui ſuo errori faueat, quàm immeritò, non attinet me oſtendere, cùm Vaſques hæc omnia Chriſto tribuat, & de Catholica doctrina ab omnibus huius ęui Doctoribus vulgo bene meritus habeatur. At Cornelius noſter illam gratiam eam eſſe negat, quam Chriſtus morte ſua pepererit, infirmis deinceps largiendam. quia nullam nouit Chriſti gratiam, niſi quę idonea ſit, vt noſtras ægritudines ſanet. quapropter, cùm gratiam inferioris notæ eam vocat, aliam prorſus diuerſam à Chriſtiana quacumq; intelligit, qualem Adamo conceſſam, & intra naturæ ipſius fines poſitam, non ſemel ſuprà declarauit. Et quoties, timorem illum gratiam Dei eſſe, dicit, ita ſibi cauet, vt vbique ab appellatione gratiæ Chriſti, aut Chriſtianæ abſtineat; nec aliter Deo ſtatuit eſſe tribuendam, quàm legem ipſam metu pœnę deterrẽtem à peccato, quámque proinde à Chriſti auxiliis ſemper reiicit. Cap. 16. *Timorem gehennæ ait proficiſci ex amore creaturæ, quæ diligitur, & inauditum eſſe in Auguſtini principiis, ad diligendam creaturam, Chriſti gratiam eſſe neceſſariam.* Cap. 17. *Iuſtitiam ex illo timore natam, non aliam eſſe, quàm iuſtitiam ex lege, eſſe iuſtitiam noſtram, hoc eſt, noſtris viribus factam, non diuinitus datam,*

Digitized by Google

quantumuis ipſa lex à Deo data fuerit.

Quàm verò turpiter hallucinetur, cùm ait, timorẽ gehennæ non eſſe ex gratia Chriſti, quòd amori Dei caſto opponatur, exiſtimo Theologis non ignotum, qui docent, timorem eum ferri in Deum, tanquam iuſtiſſimum flagitiorum vindicem, neque proinde ex ſolo illius, qui pœnam timet, amore atque dilectione proficiſci; quæ Ianſenius à Theologis audire poterat, ſi plus conſuetudinis cum illis habuiſſet. Neque timorem illum, amorémque opponi inuicem quiſquam ita putet, vt quidpiam ſit inter vtrumque contrarietatis, ſed eo ferè modo, quo, quæ referuntur inter ſeſe, opponi dicuntur; ſic formæ opponitur diſpoſitio, qua ſubiectum præparatur.

Quis autem rerum Theologicarum non imperitus neſciat diſpoſitiones & formam eiuſdem planè ordinis, ſiue naturalis, ſiue diuini, eſſe debere; ſi præſertim de diſpoſitionibus iis diſputatur, quæ ſubiectum vltimò perficiant? cùm autem iuſtitia, qua iuſti efficimur, & Chriſtiana ſit, & Chriſtum auctorem conſummatorémque habeat, conſequens eſt ad eundem quoque Chriſtum pertinere omnes, quæ viam ad eam præmuniunt, diſpoſitiones, præſertímque gehennæ timorem, ſi voluntatem peccandi excludat, qualis eſt is, de quo ſermonem ſuperiùs induxit Aduerſarius, bonus videlicet, & vtilis, cum deteſtatione & fuga peccati, quem Tridentinum ſeſſ. 14. can. 4. docet eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti mouentis impulſum, cuius vi ac beneficio, amiſſa gratia, per pœnitentiæ ſacramentum, recuperari aſſeritur ſeſſ. 6. c. 14.

Nec aliter ſenſit Auguſtinus, cùm lib. de grat. & lib. arb. c. 18. quod Paulus ait: *Non dedit Deus ſpiritum timoris*, ſic explicat. *In quo ſanè Apoſtoli teſtimonio cauere debemus, ne nos arbitremur, non accepiſſe ſpiritum timoris Dei: quod ſine dubio magnum eſt donum Dei ...... non quo timore Petrus Chriſtum negauit, ſed illius timoris ſpiritum accepimus, de quo dicit ipſe Dominus Chriſtus, eum timete, qui habet poteſtatem, & animam & corpus perdere in gehennam. . : . . .* Et paulò pòſt, *magna bona, ſed dicat vnde? A Deo,* inquit, *patre & Domino Ieſu Chriſto.* Vter fallitur Iprenſis, an Hipponenſis Auguſtinus? cùm iſte à Chriſto hæc magna bona repetat, ille neget ab eo eſſe repetenda.

Digitized by Google

Quid cenſeat ſuper ea re Proſper, iuuat explicare, nec moleſtum erit Aduerſario, audire eum, cuius auctoritate abuti interdum non veretur. Ille contra Collatorem cap. 18. bona, quæ per Adamum perdita, per Chriſtum nobis reſtituta ſunt, pluribus enumerans. *Perdidit*, inquit, *fidem Adamus, nec ipſo ſaltem timore reliquo, vt ab interdictis vel metu careret pœnæ, qui non abſtineret amore iuſtitiæ.* & cap. 29. *Legimus principium ſapientiæ eſſe timorem Domini, & legimus donum Dei eſſe hanc virtutem.* & lib. 2. de vocat. gent. qui vulgo ipſi tribuitur cap. 25. *Scriptum eſt Eccl. 25. Beatus cui donatum eſt habere timorem Dei. Quid enim tam beatificum quàm hic timor, qui genitor eruditórque ſapientiæ eſt? In cuius vtique deuotione deuota eſt & voluntas, quæ auctore gratiæ eodem proficit timore, quo cœpit.* Is igitur timor bonus eſt, quo beatitudo obtinetur, eundémque auctorem habet Chriſtum, atque ipſa, quæ ab eo conſequens eſt, beatitudo.

Atque vt ad propoſitum redeat oratio; ſuum illud naturale initium fidei magis temperabant Semipelagiani, quàm Ianſenius, atque etiam quiddam eo minus poſtulabant. Hos enim Hilarius ad ſanctum Auguſtinum ſcribit tantùm voluiſſe, vt *exterrita & ſupplici voluntate, vnuſquiſque ægrotus velit ſanari.* & deinde: *Si ab homine, etſi non fides integra, ſaltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur, aut periculum demonſtratæ mortis horretur. Nam ſi non poteſt timere quis, vnde terretur, niſi ex voluntate, quæ ſumitur.* (videlicet per donum & adiutorium Chriſti) *non ex eo culpandus, quod nunc non vult.* Quæſtio enim erat de reliquiis naturæ poſt Adami cladem ſuperſtitibus, quibus nos aliquo modo Chriſti gratiam promereri volebant, ſatiſque ſibi futurum putabant, ſi vel mortis horrorem poſſent obtinere. Cùm Aduerſarius non modò timorem, abſque gratia Chriſti, ponat aliquem, ſed eum qui deteſtationem peccati, & fugam ſecum adiunctam habeat; quod Arauſicanæ ſynodo manifeſtè repugnat, quæ, ſine Chriſti adiutorio, negat eſſe virium ſatis in nobis, vt à peccato abſtineamus.

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

Janſenius veram fidem Chriſtianam Chriſto acceptam negat.

DECRETVM eſt à Patribus Trid. in ſeſſ. 6. can. 28. fidem eius, qui per peccatum amiſit charitatem, veræ Chriſtianæque fidei rationem retinere: quod tametſi apud omnes Catholicos vulgo ſit receptiſſimum, venit tamen in mentem Ianſenio, aliter ſtatuere: docet enim iuſtitiam præcepti operis, nec poſſe diligi, nec operis mali iniuſtitiam reiici, aut peccatum quodlibet ſub peccati ratione declinari, niſi charitatis vnius beneficio, neque tamen cuiuſcumque, aut qualem in omni virtute diuina, ac ſupernaturali, inſitam ponit Auguſtinus, ſed eius duntaxat quæ *propriiſſimè*, ſic enim habet, *dicta, præcipuum Dei donum legiſque plenitudo ſit, quæque ſola hominem iuſtum* faciat. ſic ille lib. 1. de ſtat. puræ nat. cap. 5. 6. 10. 12. lib. 5. de gratia Chriſti à cap. 1. ad decimum. Ex quo tanquam fonte ac principio, cum Luthero atque Caluino, ſchola omnis Ianſeniana famoſum illud ac celebre totius doctrinæ excitauit fundamentum: quidquid extra charitatem fit, peccatum verè & propriè dictum eſſe, & improbè factum: vnde concludit fidem quæ ſine charitate eſt, non modò mortuam eſſe, ſed etiam ad Chriſtum nullo modo pertinere.

De fide autem ſpéque diuinâ, quæ nondum ab ipſa charitate animantur, quid ſentiat doctrinæ illius magiſter, patet ex l. 5. de gr. Chr. cap. 4. *Fruſtra omnino, præter charitatem, alias virtutes morales à ſcholaſticis quæri.* Cap. 15. *Nullam eſſe veram religionem, aut cultum Dei, ſed ſimulationem tantùm & laruam eius, niſi Deus ſincerè & caſtè, hoc eſt, gratis, & propter ſeipſum, ex vera charitate diligatur.* Cap. 6. *Voluntatem ex qua credimus Deo, & ſperamus in Deum, non aliam eſſe quàm verum amorem, ſeu charitatem Dei, quia iuſtitia eſt, ſed iuſtitia diligi non poteſt ſine vera & propriè dicta charitate .... Talis amor Dei niſi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Chriſtiana, ſed, vel dæmonum, ex pœnarum timore; vel carnalis, ex mundi amore, quarum neutra eſt fides, ex qua fideles nuncupamur.*

Digitized by Google

Quod quidem eſt eiuſmodi, vt neque Maſſilienſes, neque Semipelagiani id vnquam dicere auſi fuerint.

Quapropter meritò Caluinianus cenſeri debet nouus iſte noſter Iprenſis, qui fidem, ſine charitate, Chriſtianam eſſe negat: deteriórque Semipelagianis habendus & inimicior cruci, qui eam fidem & ſpem Chriſto acceptam non referat, cùm iſti non fidem ipſam, ſed leue aliquod fidei initium ereptum Chriſto, naturæ tribuerent.

Quibus hactenus, quod mihi propoſitum fuerat, nî fallor, declaraui ſatis, multis in doctrinæ Ianſenianæ partibus Pelagiani & Caluiniani erroris ſuſpicionem reſidere; Ipſúmque Ianſenium in pleriſque Semipelagianum, interdúmque ipſis Semipelagianis inimicum Chriſti acerbiorem videri, qui longè plura Chriſti erga nos beneficia, animo planè immemori atque ingrato, Chriſto adimat, ab eóque neget accepta; quàm factum ſit vnquam à Semipelagianis, qui nihilominus ab Eccleſia, ea de cauſa tam malè habiti ſint.

CAPVT XXI.

De gratiæ Chriſtianæ ſufficientis adiutorio.

ARTICVLVS I.

Super inſtitutâ quæſtione nonnulla obſeruanda proponuntur.

CVM tam variè à tam multis ea de re diſputatum ſit, nihílque ab aliquot annis in omnibus academiis plus habuerit iactationis, mihi certum eſt, ea tantùm perſequi dicendo, quæ pro inſtitutæ huius à me diſputationis cauſa ac ratione faciant.

Atque vt ab ipſa vocis vi ac notione, quæ vulgò per poſſibilitatem, aut potentiam, ſeu facultatem boni ad ſalutem

Digitized by Google

efferri ſolet à Doctoribus, rem ordiar, ne quid ſit vel in re, vel in ipſa appellatione, ambiguitatis.

Prima cautio eſſe debet, potentiam cùm apud Philoſophos, tum Theologos bifariam diuidi, cùm altera paſſionem receptionémque formæ alicuius ſignificet, altera verò actionem; ne verò vna eadémque vox, cuius acceptio debet eſſe diuerſa, errori ſit, potentiam paſſiuam, quæ ſubiectum ad formam recipiendam faciat idoneum, capacitatem nominabo; actiuam verò, poſſibilitatem, vim, atque facultatem.

Secunda verò cautio erit, capacitatem, & potentiam paſſiuam eſſe duplicem; altera quæ prior eſt, remota dicitur; altera, quæ poſterior, quæque niſi acceſſerit, nunquam ſubiectum idoneum fiet, in quo forma ſuſcipiatur, proxima. Quæcumque verò capacitatem remotam efficiunt proximam, ea vulgò diſpoſitiones dici ſolent. Idem verò de potentia actiua remota ſtatuendum, quæ niſi aliunde compleatur, nunquam apta erit, quæ agat.

Tertia cautio eſt, capacitatem & potentiam poſſe interdum impediri; omnis autem potentia, quæ impedita ſit, remota cenſetur; quare vt ſubiectum, quod remotè capax eſt formæ recipiendæ, fiat capax proximè, ſæpenumero non tam poſtulat, vt diſpoſitionis alicuius acceſſione præparetur quàm vt eximatur impedimentis. Sic aër, ſi ab omni alienâ qualitate purus extiterit, proximè dicitur capax, idoneúſque, qui lumen accipiat; ſi verò inficiatur nebulis, aut vaporibus inquinetur, erit ille nihilominus capax luminis, ſed remotè, fiet verò proximè capax, ſi opacitatem, qua ſeptus tenetur, deponat, quæ abſque vlla qualitatis externæ acceſſione deponi poteſt.

Cautio quarta eſt, varias multiplicéſque eſſe Chriſti gratias, eáſque inter, quendam quaſi ordinem ſeruari, ſic vt non ſimul vno eodémque tempore, ſed aliæ ex aliis in anima recipiantur. Certum enim eſt fidem, ſpem, charitatem, quibus perfecta hominis iuſtitia conſtituitur, ita diſpenſari, vt charitas non recipiatur, niſi per ſpem, neque ſpes, niſi per fidem. cùm autem nemo credere poſſit inuitus, in ipſa fide duplex qualitas admitti debet, quarum altera in intellectu,

Digitized by Google

altera verò in voluntate recipiatur, quæ poſterior charitatis nomine à S. Auguſtino appellari videtur eruditis. Fides autem, cùm gratiarum Chriſtianarum prima ſit, fundus is eſſe debet, ex quo cæteræ virtutes, ipſáque cum primis iuſtitia excitari debet, vnde fit, vt nemo charitatem habeat, niſi qui fidem & ſpem priùs habuerit. Quin etiam inter ipſos actus quidam ordo deſcribitur à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4. 5. & 6. verùm ne pateat latiùs hæc diſputatio, quàm par ſit, ſermo primùm inſtitui debet de primâ gratiâ Chriſtianâ, quæ in aliqua ſupernaturali dilectione verſatur, quámque vocat Auguſtinus charitatem inchoatam. quemadmodum, quæ à Theologis charitas Theologica dicitur, ab eodem charitas perfecta appellatur, quæ legis diuinæ quædam plenitudo eſt; quia cùm nihil flagitet ita appetenter, quàm vt Deo placeat, dat homini, vt poſſit velle, quidquid, vel à Deo præceptum eſt, vel illi placitum.

Cauere quintò oportet, capacitatem primæ gratiæ Chriſtianæ remotam eſſe ipſam naturam rationalem, adeo vt homo peccati reus, imò & damnatus, quatenus eſt homo, gratiæ Chriſtianæ illius primæ remotè capax dici poſſit: quam in partem accipiendus eſt Auguſtinus, cùm lib. de prædeſtinat. SS. cap. 5. dicit *eſſe naturæ, fidem poſſe habere.* Capacitas porrò illa eam ob rem dicitur remota, quòd natura, ſiue originali, ſiue actuali peccato vitiata impediatur, quominus recipiat gratiam; neque aliter, quàm remiſſo peccato, gratiæ Chriſtianæ perfectæque iuſtitiæ, proximè capax eſſe queat: cùm verò peccatum remitti dicatur eatenus, quatenus à Deo condonatur peccatori, ideo in iuſtificatione impij duplex Chriſti beneficium conferri putatur; alterum, quo condonatur peccatum & remittitur; alterum, quo renouata per voluntariam donorum & gratiæ ſuſceptionem mens peccatoris, iuſta ſanctáque fit, vt fusè explicatur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 7. vbi vtrumque illud beneficium ſic diſtinguitur, vt peccatum Chriſti meritis remittatur primùm, tum homini reatus illius vinculis expedito, gratiæ virtutúmque cæterarum dona conferantur.

Vnde ſextò occurrit notandum, ſanctificationem à Tri-

dentino idcirco dici voluntariam, quòd aliquis debeat in ea voluntatis actus interuenire, ipſéque adeo vel recens ab vtero puer, planéque infans, expérſque rationis, quam recipit in baptiſmo iuſtitiam, recipere volens cenſeatur; quo ſenſu dicitur ab Auguſtino, credere, ac pœnitens eſſe. quod de ipſa peccati remiſſione non eodem modo dicitur, cùm ad hanc intelligendam ſola voluntas Dei, & ſaluatoris Chriſti deſideretur.

Obſeruandum ſeptimò, remiſſionem peccati eſſe aliquem diuinæ bonitatis, & amoris effectum, quo Deus cum peccatore reconcilietur, ſuſceptáſque cum eo inimicitias deponat. cùm enim peccatum ſit id vnum, quod odium Dei conciliet, eúmque ab homine auertat; vt peccatum remitti intelligatur, tolli debet id, quod hominem Deo reddit inimicum; in quo diligenter & accuratè triplex illa, inimici, non amici, & amici ratio diſtinguenda, animaduertendúmque ſolo peccato, gratiam, qua Dei amicitia continetur, impediri.

Nihilominus tamen obſeruandum octauò, inter peccatum & impedimentum gratiæ aliquid poſſe eſſe diſcriminis; nam in homine iam damnato peccatum eſt eiuſmodi, vt, ob damnationis ſtatum, impedimentum illud immutabile atque æternum ſit, illéque remotè ineptus cenſeatur, qui gratiam recipere poſſit, tametſi naturã habeat eam, quæ, ſi per ſe ſe ſpectetur, illi recipiendæ apta ſit. Cùm verò peccatum originis non propriâ pueri, ſed Adami voluntate contractum ſit, idcirco vt remittatur, non requiritur illud idem à puero, quod ab adulto, cuius peccatum perſonale eſt; vnde placitum eſt quibuſdam Theologis, peccatum à voluntate propria profectum eſſe tale, vt niſi liberè à peccatore retractetur, condonari à Deo non poſſit; non ita tamen, vt illa delicti retractatio neceſſariò ſit illa ipſa voluntaria gratiæ donorúmque ſuſceptio; ſed non eſt iſtius negotij, omnia iſtiuſmodi dicendo perſequi velle.

Nonò animaduerſo etiam eſt opus, quod natura humana ab omni peccati labe immunis, qualis fuit in Adamo, proximè idonea ſit, quæ à Deo bono ac liberali, abſque vllo prorſus aut Mediatoris alicuius merito, aut gratiæ, doni-

que

Digitized by Google

que gratuiti beneficio donetur. Quòd ſi primæ gratiæ accipiendæ proximè capax ſit hæc immunis natura per illam capacitatem, quaſi mediam, erit quoque cæterarum ab ea conſequentium capax.

ARTICVLVS II.

Alia præterea obſeruantur.

DECIMO etiam obſeruandum, gratiam Chriſtianam nullo modo eſſe naturam humanam, neque qualitates facultatéſque ad illius vſum & perfectionem comparatas, vt eſt voluntas intellectúſque, cæteræque id genus potentiæ; ſed aliquam qualitatem, quæ ſupra communem naturæ conditionem poſita ſit; eámque ſiue permanentem, vt habitus virtutum; ſiue tranſeuntem, vt potentiarum vitalium actus. Quia verò gratia, non tam in paſſione collocata cenſeri debet, quàm in actione, quippe quæ actuum ſupernaturalium efficiens ſit; cúmque actus ab ea profecti apud Deum alicuius meriti locum obtineant, & gratiæ vberioris, amplioríſque gloriæ digni ſint, locus hîc non importunus eſſe poteſt, inueſtigandi, num gratia ſit alia remota, alia verò proxima?

Obſeruandum vndecimò, amorem fidei, exempli gratiâ, quo volo credere in Deum, eſſe & meæ ſimul voluntatis, & obiecti propoſiti effectum, eo ferè modo, quo viſio, & oculi pariter, & rei obiectæ à Philoſopho proles nuncupatur; neque poteſt concipi amor vllus, niſi eâdem operâ intelligatur amans, & quod amatur; adeo vt ab vtriuſque cauſæ illius complexione, quaſi quædam ſoboles, producatur. vt autem fiat hæc productio, duæ illæ amoris cauſæ ſimul vniantur neceſſe eſt; quæ coniunctio fit per cognitionem rei cuiuſdam obiectæ amabilis bonæ, & amanti oppidò conuenientis. Quia verò amor ille ſupernaturalis eſt; idcirco, ſi ſeorſim ſpectetur voluntas humana, aut per ſe ſe ſola agat, nec proximè nec remotè diuinum illum amorem poteſt producere, ſed tantùm ad ſummum idonea eſt, quæ recipiat gratiam habitualem eam, quæ prima & remota vis

eſt, potentia, facultas, & vt loquitur Auguſtinus; poſſibilitas amoris illius ſupernaturalis. Ea autem qualitate donóque fidei voluntas inſtructa, cenſetur fidelis, quia poteſt velle credere.

Duodecimò obſeruari debet, vt voluntas amorem liberum proximè producere poſſit, præter habitum, pondúſque, quo in obiectum conueniens inclinatur, eam præterea aliquo delectationis ſenſu affici oportere, quo in obiectum illud amabile feratur, quem ſenſum voluntas obiecto accommodata poteſt producere, cum ipſa re obiecta per cognitionem præſente & ſibi coniunctâ; ſenſus autem iſtius ſuauitate excitata, ita demum comparata eſt, vt iam poſſit conſentire propoſito ſibi eidem obiecto. Inde fit, vt ad amorem liberum, qui conſenſus dicitur ab Auguſtino, ſtatuatur præuium duplex adiumentum, alterum cognitionis, & ſcientiæ, alterum delectationis; quod vtrumque virtutem aliquam infuſam à Deo ſupponit, quia non eſt penes hominem, vt vtrumque illud adiumentum ſibi procuret, ſed à Diuinæ liberalitatis beneficentia debet expectari, vt bona illa voluntas, de qua diſputamus, tandem exiſtat. liquet enim nos ſermonem hîc inſtituere de prima grâtia, quæ in primo voluntatis actu libero bonóque, in genere morum, conſtituitur. Quo ſemel poſito voluntas, ad alias deinde gratias recipiendas, ita præparari poteſt, vt ipſa per ſe ſe & per actum illum quidpiam liberè conferat.

In quo Pelagium ſua fefellit opinio, qui exiſtimauit, hominem hac ipſa vna, quam habet, voluntate, vim quoque illam remotam habere, qua poſſit velle credere; ſi modò acceſſerit obiecti cognitio, cum aliquo adiumento doctrinæ; hoc enim præſente, cenſebat voluntatem vi ſua naturali, & inſitâ rei obiectæ amabilitate delectari, adeóque hominem ita comparatum, per ipſas arbitrij ſui vires, poſſe proximè velle credere, & diligere quoduis bonum etiam ſupernaturale ac diuinum: Secus autem ſentiunt Catholici, qui, quandam fieri à Deo in voluntate mutationem, volunt, ita vt de non bonâ, per acceptum donum virtutis, conuertatur ad frugem, bonáque fiat; & ita afficiatur, vt & bono delectari queat, & de facto, ſi adſit, delectetur.

Poſtremò etiam obſeruare erit operæpretium, gratiæ, vt eſt virtus quæcumque infuſa voluntati, effectum eſſe duplicem, quorum alter, íſque prior in delectatione, & quodam ſubitæ ſuauitatis improuiſo motu; poſterior alter conſenſus liber, quemadmodum contingere ſolet in virgultis, in quibus germina primùm, tum fructus informantur.

Exultant in hoc loco, paullò iuueniliùs, Scholæ Ianſenianæ tirones, cùm aiunt, gratiam acceptam ſemper effectum eum, ad quem proximè à Deo deſtinatur producere; At, ne huic eorum commento locus ſit, profiteor me, de fructu gratiæ liberóque conſenſu, hîc mouere quæſtionem, & diſputare, vtrum omnis voluntas acceptâ illâ primâ virtute, & improuiſo illo ſubitæ delectationis ſenſu ſemper liberè conſentiat. Vereor ne Ianſenio grauis moleſtúſque ſim in hac parte, qui ad ſcholæ diſciplinam cuius oſor eſt, & contemptor, hanc controuerſiam reuocem; ſed hæc neceſſariò animaduerſa oportuit.

Re ſuper propoſitâ, quid ſentiat Aduerſarius, iterum hoc loco repetere videtur ſuperuacaneum; Dicam ipſe quid cum omni Theologorum ſchola exiſtimem ſentiendum.

Primò, gratiam ſiue donum habituale fidei, ſcientiam, reuelationem, ſeu obiectæ rei cognitionem, delectationem, ſenſúmque ſuauitatis improuiſum, eſſe in Chriſti Domini donis ac muneribus numerandum, quod aduerſus Ianſenium ſuprà multis declaratum eſt.

Secundò, quodlibet iſtorum donorum eſſe adiutorium per ſe ſe ſuo in genere ſufficiens, adeóque efficax, licèt vt plurimùm non ſit efficiens. Nam, quod à Doctiſſimo Petauio tom. 1. Dogm. Theol. lib. 10. c. 16. & 19. obſeruatum eſt; cauſa ſufficiens & efficax, non tam deſignat cauſam, quæ agit, quàm quæ poteſt agere, & ſignificat magis actum primum ſiue potentiam agendi, quàm actum ſecundum ſiue ipſam actionem; vt videre eſt in igne, qui ſufficiens eſt, & efficax ad calefaciendum, etiam tum, cùm nondum calefacit. Quapropter ſi clarè, vt par eſt, loqui placet, gratia ſufficiens non debet ab efficace diſtingui, ſed ab efficiente; adeo vt gratia, quæ effectiua eſt, aliquando ſit efficiens, aliquando non efficiens, ſed deficiens; quique ita loqui ani-

Digitized by Google

mum ſuum induxerit, multis ſe expediuerit tricis: Nam gratia effectiua in actu primo, eſt remotè ipſa virtus habitualis, quæ per ſe eſt poſſibilitas boni, adeóque ſufficiens voluntati, vt ad rei obiectæ præſentiam eliciat ſenſum, & delectationem ſubitam & improuiſam eiuſdem obiecti.

Celebre eſt dictum illud D. Thomæ 3. p. quæſt. 70. art. 4. vbi retractat, quod dixerat aliquando, gratiam in circumciſione collatam non fuiſſe ſufficientem in omnibus; nimirum ad reprimendam cupiditatis immoderatæ impotentiam, & mandata legis ſeruanda, quod reprehendit, *Quia*, inquit, *minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis, minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.* Quod autẽ dictum eſt ab eo de charitate perfecta, pro omni præcepto Dei ſeruando: idem de dono fidei, pro actu, & præcepto fidei, accipiendum eodem iure eſt, quemlibet enim minimum habitum fidei, ad credendum ſufficere, procul dubio exiſtimat.

Hoc ita conſtituto, omnis quæ nos inter & Ianſenium mouetur controuerſia, eſt de gratia actuali, quam cùm neget aliam eſſe, præter ipſam *volitionem boni liberam* ſeu ſpontaneam, omnem conſequenter facit efficientem.

ARTICVLVS III.

Datur aliqua inſpiratio Chriſtianæ gratiæ ſufficiens, & deficiens.

QVOD titulo continetur, ita eſt intelligendum, vt eiuſmodi gratia per ſe ſe ſufficiens ſit, ſed ob voluntatis ægritudinem ac defectum, ſuum concurſum liberum denegantis, deficientíſque, ipſa non ſit efficiens eum, qui requiritur liberum conſenſum; ſicque ſuo effectu fruſtrata deficiat, & vacua ſit. Adeo vt, cùm ſcientia & delectatio ſint illuminatio, & inſpiratio, quibus voluntas poteſt proximè liberum conſenſum producere, detur quoq; quædam ſcientia non certa, & delectatio non victrix; quemadmodum ſcientia certa & victrix delectatio dicitur ab Auguſtino, cùm ſe coniunctè habent cum conſenſu.

Digitized by Google

Non hîc diſputo an voluntas cùm conſentit, plus opis accipiat à Deo, quàm cùm non conſentit; ſed cùm duplex ſit cauſa conſenſus & amoris liberi, gratia ſcilicet & voluntas, vnde Paulus ait, gratiam ſecum egiſſe, hîc tantùm oſtendo, quod ex parte gratiæ requiritur ad conſenſum, id aliquando eſſe ſufficiens, & ſatis quidem ad conſtituendam in potentia proxima voluntatem, licèt tamen effectus non conſequatur; quia voluntas, quæ ad eum producendum conſpirare cum gratia deberet, ipſa deficit; vnde exiſtit, vt omnis iſte defectus à voluntate ſit, non à Deo, qui per gratiam habitualem ſuggerit ſcientiam, atque delectationem, quidquid opis ad agendum deſideratur.

Hoc, quod dixi, non negat Ianſenius, niſi vt conſequenter cum Caluino loqui poſſit. Nec enim inficiatur, nobis iam dari à Deo ſcientiam aliquam & delectationem non victricem, cùm potiùs eiuſmodi auxiliis *ſine quibus* non poteſt exprimi conſenſus, plenum eſſe orbem, eáque nobis affatim ſuppetere fateatur; ſed negat ea ad Chriſti gratiam vllo modo poſſe pertinere, affirmátque eſſe eiuſmodi, quæ nobis plus detrimenti afferant, quàm gratiæ, atque vtilitatis; eo quòd illam homini lapſo adimant libertatis indifferentiam, cui duntaxat vni poſſunt ſeruire. Quæ cùm pluribus à me ſuprà fuerint refutata; ſatis, opinor, mea de gratia ſufficiente doctrina videtur confirmata.

Verùm vt Ianſenianæ ſcholæ magis hæc veritas perſuaderi poſſit, tria breuiter demonſtrabo; primùm gratiam Chriſti vacuam & deficientem, communi totius Eccleſiæ conſenſu, apud omnes Doctores Catholicos vulgo eſſe receptiſſimam: ſecundò eam à D. Thoma: denique ab Auguſtino fuiſſe admiſſam, & de ea gratia Chriſti apud illum voces eas vſurpatas, quibus Ianſenius gratiam Adami vult eſſe appellatam.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Communis conſenſus de gratia ſufficiente.

ATQVE imprimis apud omnes, diſciplina Catholica bene inſtitutos, nihil peræquè vulgatum eſt, quàm iuſtos poſſe admittere peccatum tam letale, quàm veniale; cùm verò ſe veniali tantùm noxâ inquinant, gratiæ ſanctificantis dona & virtutes etiam retinere eas, quæ ad vitandas illas noxas, & actus edendos, quorum præteritio peccatum eſt, ſufficientes ſint. Quis autem prudens rerum ac conſultus neget, iuſtum interdum ita eſſe animatum, vt boni amabilitate & delectatione affici ſe ſentiat, quod tamen liberè amplecti vt poſſit, certè nolit, adeóque poſſit de ſe profiteri, quod mulier illa perditè amans, ac furioſa: *video meliora, probóque, deteriora ſequor?* Cùm autem pudet eum pœnitétque malefacti, cùm pungitur acribus conſcientiæ ſtimulis, angitúrque doloribus, aliqua boni, cui malum illud eſt oppoſitum, delectatione mouetur.

Neq; hîc enimuerò cauſentur Ianſeniani, eum cupiditatis æſtu atq; impotentiâ abreptum non poſſe ſuſtinere ſe, niſi fateatur pari ratione eum pro ſuo iure apud Deum dicere poſſe: Non ego, ſed tentator peccati mei auctor eſt: feci nolens & inuitus. quæ haud dubiè peccatoris excuſatio eſt, non accuſatio. quod ſi ita ſit, cauſam non habebunt præterea boni omnes, cur ſe accuſent, ſi diuinæ gratiæ parùm ſe audientes exhibuerint, nam hoc profiteri de ſe minimè poſſunt, niſi quod penes ſe viréſque ſuas erat bonum, illud noluerint.

Quapropter ſi euicerit Aduerſarius, quod contendit, ritus is, qui in confitendis peccatis, iam à priſcis Eccleſiæ temporibus repetitus, vſurpatúſque à fidelibus vniuerſis, erit innouandus, texendáque ad inſtituti Ianſeniani morem noua accuſandi ſe formula, &, contra communem vulgatámque conſuetudinem, dicendum: ſenſi motum aliquem delectationis erga Deum, ſed concupiſcentiæ, cuius ego non ſum dominus, vi ita ſum impeditus, vt gratiæ conſentire, Deúmque porrò amare non potuerim. Quod nihil aliud eſt quàm

& excuſare ſe, & Adamum præuaricationis ſuæ auctorem inductorémque accuſare.

At id obiter dictum ſit de communi fidelium conſenſu, qui in rebus iis, quæ ad religionem pertinent, vim debet habere non mediocrem. Sic enim ſtatuunt vniuerſi, ſe gratias à Deo recipere interdum, quas negligentia ſua vacuas, & inanes efficiant: hinc enimuerò tunſiones pectoris, hinc gemitus pœnitentium & lamenta, quibus templa tam ſæpe circumſonant, hinc afflictiones corporis, verberationes, & cæteræ id genus declarationes doloris, quibus qui peccarunt, pœnitentiæ ſuæ vim teſtari conantur.

At quid poteſt eſſe magis manifeſtum, quàm non modò gratiam intellectus, quæ in illuminatione, ſed etiam voluntatis, quæ in affectu & motione poſita eſt, à nonnullis irritam fieri aliquando atque inanem? Nam vt taceam reliqua, num ſacris litteris proditum habemus, perduellem illum ac nefarium Iudam, pœnitentia ductum, exclamaſſe *peccaui tradens ſanguinem iuſtum*. Quæ patrati ſceleris deteſtatio gratiæ interioris motus fuit. Neque enim exiſtimandum eſt Ianſenium id naturæ tribuere velle, niſi malit grauius audire quàm Semipelagiani, qui, pro naturali illo conuerſionis in bonum initio, nihil plus eo poſtulaſſent.

Quid dicam de Pharaone? quem de ſua partim in Iſraëlem duritate, partim in Deum peruicacia dolor cepit tam magnus, vt in has voces eruperit: *Peccaui etiam nunc, Dominus iuſtus, ego, & populus meus impij, orate Dominum.* Exod. 9. Quis porrò neget hanc orationem, ſignum pœnitentiæ eſſe liquidò manifeſtiſſimum, quod animaduerſum eſt à Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 6. vbi ait, peccatores excitatos diuinâ gratiâ, & adiutos diſponi ad iuſtitiam, dum ſe peccatores eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter moti, ad miſericordiam Dei conuertuntur; ſentit ſe reum, ac peccatorem Pharao, immo fatetur, nec ita Deum reformidat, quin ſimul iuſtum prædicet, & hoc diuinæ iuſtitiæ terrore perculſus, dum Moſis & Iſraëlitarum preces ad Deum implorat, haud dubiè venit in aliquam ſpem veniæ à ſingulari Dei miſericordiâ, quam intuetur, obtinendæ.

Id autem perfectum eſt à Pharaone, vel abſque vllo gra-

Digitized by Google

tiæ interioris ſenſu, & per ſolas liberi arbitrij vires, vel per aliquam gratiam, quæ per Chriſtum data non fuerit, vel, quod poſtremum dici poteſt, per veram Chriſti gratiam ad mouendos animi affectus ex natura ſua comparatam. Si primum, præclarè ſecum actum exiſtimabunt Semipelagiani, quibus tam prolixè ac liberaliter concedatur, quod flagitant. ſecundum verò dici non poteſt, quod tam multis ſuprà eſt refutatum. igitur tertium reſtat. Et certè cùm tam ſæpe Pharao animum dicitur obduraſſe, non video, quomodo id ſumi oporteat, niſi quidpiam intelligatur, aduerſus quod obfirmauerit ſeſe & contrà nitendo obdurauerit; quid autem aliud eſſe queat, quàm gratiæ diuinæ inſpiratio, cui repugnabat?

Quò etiam ſpectare videtur illud, quod Actor. 9. habetur, *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Quibus Chriſtus exprobrat Paulo animi obfirmati peruicaciam. Quis enim iſte ſtimulus ſit, niſi gratiæ diuinæ ſenſus quidam, mentē intimam afficiens, adeò vt, non ſine aliquo dolore, Paulus ei reſiſteret? Quod ad Hieronymi mentem eſt accommodatum. Cùm enim hæc verba ex vltimo cap. Eccl. petita explicat, *verba ſapientum vt ſtimuli*, ait *illa in ſimilitudinem ſtimulorum, corrigere delinquentes, & pigros mortalium greſſus aculeo pungente commouere*, id eſt tardis ac errantibus, pœnitentiæ dolores & vulnus infligere: tum ſubiungit, hoc ſtimulo Saulum in via compunctum audiuiſſe, *durum tibi eſt contra ſtimulum calcitrare*. Gratiæ igitur internæ tunc Paulus reſiſtebat, neque proinde omnis gratia Chriſti eſt eiuſmodi, cui, quemadmodum cum Caluinianis loquuntur Ianſeniani, reſiſti non poſſit.

Neque profectò ſatis explicari poteſt, quid Apoſtolus velit, cùm ait eſſe interdum, qui currant, nec tamen id, quò tendunt, comprehendant, niſi velit ſignificare, eos nonnunquam in ipſo curſu deficere.

Multa ſunt ex Tridentino mihi neceſſariò prætereunda, ſi breuis eſſe velim. Non dicam cap. 13. eiuſdem Concilij firmiſſimam ſpem in auxilio Dei ad perſeuerandum neceſſario omnibus præcipi, quod fieri non poſſet, niſi gratiæ diuinæ auxilium omnibus adeſſet. Silebo cap. 16. virtutem iugiter influi bona opera antecedentem, ac proinde internam; neque tamen omnem eum qui antecedentem habet, habere

co-

Digitized by Google

comitantem, nec qui comitantem obtinuit, ſemper obtinere ſubſequentem, quæ perſeuerantiæ ſit donum, quibus probarem ipſius auctoritate Concilij dari aliquam gratiam Chriſti vacuam, ac deficientem, cùm aliqua ſit antecedens quæ deficiat, nec fiat comitans, ita etiam comitans ſit interdum, quæ minimè ſubſequens ſit.

Omittam denique quod 1. Cor. cap. 5. habetur ab Apoſtolo qui gratiam Dei in ſe vacuam non fuiſſe profitetur, quod fruſtra dictum eſſet, niſi gratiā Chriſti vacuam aliquando eſſe poſſe intelligeret; neque ipſe Chriſtianos hortaretur cap. 12 ad Heb. ne quis gratiæ Dei deſit, niſi ſentiret fieri interdum, vt deeſſe poſſint; cum verò de gratia Chriſti, de qua diſputatur, mentionem facere, vel ex eo liquet ſatis euidenter, quòd gratiam quam ipſe à Chriſto receperat, fateatur in ſe vacuam non fuiſſe.

ARTICVLVS V.

D. Thomas gratiam Chriſti ſufficientem admiſit.

ILLVSTRIS eſt locus ille lib. 3. contra gentes cap. 159. vbi ſoluit propoſitum illud dubium, vtrum homini vitio dandum ſit quod ad Deum non conuertatur, fatúrque in hunc modum. *Licèt aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſsit, poteſt tamen ſcipſum impedire, ne eam recipiat. dicitur enim de quibuſdam Iob. 21. Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. & 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini. & cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni, Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare. Vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, vt dicitur 1. ad Timoth. cap. 2. ſed illi ſoli gratia priuantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant; ſicut, ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licèt videre non poſsit, niſi luminis ſole præueniatur.* His accedat quod cap. ſequenti ait, *illos, qui in peccato ſunt, vitare non poſſe per propriam po-*

Digitized by Google

teſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel ponant niſi auxilio gratiæ præueniantur.

In quem locum Ferrarienſis duplex Dei diſtinguit auxilium, quod homini ad conſequendam beatitudinem deſideratur, gratiam nimirum habitualem, & diuinam motionem, quæ ad intimam mentem peruadat, eámque dirigat ad bonum, & ad gratiæ vberioris præparationẽ excitet. de motione verò aſſerit eam in omnibus à Deo fieri, nullus enim eſt qui non ab eo, vt ſe ad bonum & ad gratiam pręparet, moueatur, iuxta illud Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo.* Verùm, quia penes eſt hominem arbitrij libertas, fit non rarò vt oblatam omnibus gratiam accipiant alij, alij verò reiiciant, quia peccando illi obicem ponunt. Ita D. Thom. eiúſque diſcipulus & interpres bene fidus, qui credo, nec Pelagianorum fautores vnquam fuerunt, nec ij, quos ſecum conſentientes habuerunt Theologi.

Neque verò putent Ianſeniani nodum hunc ſoluiſſe, cùm gratiam illam externam tantùm eſſe reſpondent. quippe Ferrarienſis qui diuini Doctoris mentem omniũ feliciſſimè eſſe creditur aſſecutus, intimam illam eſſe pronunciat; nam cùm conſtet per illam moueri hominem, quid quæſo, aliud eſt voluntatem moueri, quàm intimis eam affici ſenſibus, & ſuauiter in bonum interiori conuerſione inclinari? cùm præſertim à S. Doctore ſermo habeatur hîc de auxilio motionis diuinæ, quo homo adiutus poteſt gratiam recipere, ídque non niſi liberè conſentiendo fieri poſſit. Certum autem eſt, eiuſmodi poteſtatem includere motum improuiſum, pióſq; affectus & ſenſum intimum voluntati. Multa ex iſto loco colligi poſſunt aduerſus Ianſenium, quæ cùm vnicuique obuia ſint, prætermitto.

At 1. 2. quæſt. 10. art. 4. diſputans vtrum voluntas *moueatur de neceſſitate à Deo*, id enimuerò negat, quia Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui, inquit, cúmque *voluntas eius ſe indifferenter habeat ad multa, ſic eam Deus mouet vt non ex neceſſitate ad vnum determinet, ſed motus eius contingens non neceſſarius remaneat*, quod S. Doctor vocat, voluntatem moueri liberè.

Tum quodlib. 1. art. 7. diſputans de auxilio diuinæ gratiæ,

Digitized by Google

etiam quoad interiorem motum, & quatenus Deus cor hominis interiùs mouet ad bonum, *ſic*, inquit, *Deus mouet mentem humanam ad bonum, quòd tamen poteſt huic motioni reſiſtere.* Vbi explicat motionem diuinam participari à natura illa rationali creata, cum libertate, non cum neceſſitate.

Neq; etiam patienter exiſtimaui ferendum, quod ab alumnis Scholæ Ianſenianæ, præſertim à iunioribus, cùm preſſiùs vrgentur, reſponderi ſolet, fieri interdum, vt bonæ delectationi per concupiſcentiam, ſiue prauam delectationem obſiſtatur, ita vt velint voluntatem hominis, quaſi mediam inter duas delectationes bonam & prauam expectare, vtrius partis præda futura ſit; atque vt non dicam hoc ſapere neſcio quid Manichæum, & in eo tantùm ab iſtis illos diſcrepare, quòd duas naturas ſtatuerent Manichæi, illi verò duas delectationes, bonam alteram, alteram verò malam, tanquam duos pugiles, de victoriâ in voluntatem referendâ, decertantes. Addo ex S. Doctore nullam eſſe affectionem animi, quouis habitu, atque conſuetudine ita confirmatam, nullos cupiditatis effrænatæ tam impotentes motus, quos voluntas, ſi modò libertatis ſuæ retinens ſit, non poſſit ſtudio atque conſideratione adhibita comprimere, & facere reſiſtendo, vt gratia ſiue delectatio bona, in illa tam difficili pugna, potiores partes habeat.

Docet idem diuinus Doctor quæſt. 24. de veritate art. 1. ad 19. ex affectionibus animi, nullam induci neceſſitatem voluntati, ad electionem faciendam, quia eſt penes animam rationalem, ſubortas illas affectionum immoderatarum motiones extinguere vel fouere; quod etiam proſequitur art. 2. Ad id autem quod dictum habetur ab Aug. 1. retr. c. 15. *cogenti cupiditati voluntatem non poſſe reſiſtere;* reſpondet, cupiditatem cogentem dici propter vim nimiam & vehementiam inclinationis, cui tamen liberum arbitrium poſſe reſiſtere cum difficultate, aſſerit. Et q. 6. de malo ad 24. ait: *Conſuetudo facit neceſſitatem non ſimpliciter, ſed in repentinis præcipuè. Nam ex deliberatione quantumcumque conſuetus poteſt contra conſuetudinem agere.*

Ex quibus ſatis perſpicuum habetur in doctrinâ D. Thomę nullo habitu tam infuſo quàm acquiſito, nullâ delectatio-

Digitized by Google

nis ſiue naturalis ſiue diuinæ ſuauitate tantum pondus imprimi poſſe voluntati, cui, ſi libertatis ſuæ potiatur, adhibitâ deliberationis attentione reſiſtere non poſſit.

Denique S. Doctor non obſcurè gratiam aliquam Chriſti actualem & intimam inefficacem, vt dici ſolet, ſeu non efficientem agnoſcit Rom. 8. lect. 6. Vocationem enim duplicem affert, externam vnam, & alteram interiorem, *quæ nihil aliud eſt, quàm quidam mentis inſtinctus quo cor hominis mouetur à Deo ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei vel virtutis.* hanc verò neceſſariam eſſe probat illo Ioan. 6. celebri dicto, *Nemo poteſt venire ad me niſi pater qui miſit me, traxerit eum..... Et hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, quia huiuſmodi vocationi aſſentiunt.* Quod vltimum non adderet, niſi ſciret eam in aliis aliquando non eſſe efficacem.

Articvlvs VI.

Auguſtinus gratiam ſufficientem non ignorauit.

TAMETSI pugnaciter & obſtinatè contendant Aduerſarij nullam extare apud Auguſtinum gratiæ ſufficientis mentionem, quod vltrò illis concedam, tamen non debent negare ſi in illo ſanctiſſimo Doctore vel tenuiter verſati ſint, voluntatem dici ab eodem ſæpenumero ſufficientem, paruam, inualidam, ſemiplenam, imperfectam; ſic tamen vt bona ſit, gratiámque in ſe ſe receperit: Quòd ſi voluntas bona ita tenuis eſt aliquando, ac parua, vt tamen diuino præcepto non ſatisfaciat, haud dubiè datur gratia apud eum ſufficiens, quia hæc non alia eſt quàm quæ nondum facit, vt voluntas non peccet, vt non deficiat, vt liberè velit, quod Deus iubet, quod facit cum gratiæ conſenſu libero, qui conſenſus eſt plena iſta voluntas, oppoſita imperfectæ, quæque gratia efficiens eſt.

Hoc breuiter obſeruato ad rem venio, vnúmq; & alterum contra Ianſenium ex Auguſt. vincere conabor. Primùm, aliquam de facto Chriſti gratiam vacuam, ſiue, vt aiunt, inefficacem, effici ab ipſo vitio ác defectu humanæ voluntatis, quod negat pertinaciter. Alterum, Auguſtinum reipsâ admittere modò gratiam ſufficientem, qualem habuit Ada-

Digitized by Google

mus, quâ nos, vt ille, pro arbitrij noſtri libertate, vtamur, ſi velimus; neque iſtud placet Ianſenio, qui nullum adiutorium Chriſti admittit, niſi *quo*, non verò *ſine quo non*, vt loquitur ipſe, nec quod, accommodatè ad liberi arbitrij indifferentiam, iuuet voluntatem.

At primum quidem habetur, lib. 1. de peccatorum meritis cap. vltimo, vbi diſputat quonam modo in paruulis per baptiſmum gratiâ, *id agatur, vt euacuetur caro peccati.* addit, *nam ſi poſt baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti peruenire potuerit, ibi habet, cum quâ pugnet, ſcilicet concupiſcentiam, eámque adiuuante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam eius ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit*... addit etiam, *in grandibus manere eandem concupiſcentiam, vel ad vſus licitos & neceſſarios relaxandam, vel continentiâ caſtigandam. Sed quoniam diuino Spiritu, qui multo melius, quàm nos, omnia generis humani nouit, vel præterita, vel præſentia, vel futura, talis vita humana præcognita, atque prædicta eſt, vt non iuſtificetur in conſpectu Dei omnis viuens, fit vt per ignorantiam vel infirmitatem, non exertis aduerſus eam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus.* Patet Auguſtini ſermonem eſſe de baptiſato, qui, præter gratiam in baptiſmo acceptam, habet, vt concupiſcentiam, adiuuante Deo, ſuperet, id eſt, adiutorium medicinale Chriſti, gratiámque actualem, quam ipſe fatetur Ianſenius nobis per Chriſtum dari, ad frænandam cupiditatis vim. Is porro non dicitur planè ſuperare concupiſcentiam, niſi adhibita conditione, ſi non in vacuum gratiam ſuſceperit, ſi reprobari noluerit. Vnde liquet, gratiam in vacuum recipi poſſe, hoc eſt ſuo fruſtrari effectu ex negligentiâ ſuſcipientis. efficiens autem erit, ſi qui eam ſuſcipiat, reprobari nolit; quæ nota eſt apud Ianſenium gratiæ ſufficientis, & *Adamicæ* non abſimilis, quam per liberum arbitrium fieri efficacem concedit.

Deinde ſi contingat aliquando vt victi concupiſcentiâ ad illicita cedamus, *non exertis aduerſus eam totis viribus voluntatis*, procul dubio fit etiam conſequenter, vt gratiam Dei habeamus, qua tota non vtamur: neque enim vires illæ aliæ ſunt, quàm ipſum Chriſti adiuuantis auxilium, quas

cùm totas exeri à nobis dicit, ſignificat eſſe poſitum in nobis, vt eas exeramus.

At lib. de gratia & lib. arbit. cap. 15. loquitur etiam ad rem noſtram magis appoſitè. Nam *per gratiam fieri* (ait) *vt ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, vt poßit implere diuina mandata, quæ voluerit, cùm valdè perfectéque voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt, ſi volueris, conſeruabis mandata; vt homo, qui voluerit & non potuerit, nondum ſe planè velle cognoſcat, & oret vt habeat tantam voluntatem quanta ſufficit ad implenda mandata, ſic quippe adiuuatur, vt faciat quod iubetur: tunc enim vtile eſt velle, cùm poſſumus, & tunc vtile eſt poſſe cùm volumus: nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus, volumus; aut ſi quod poſſumus, nolumus?* Ita videlicet Auguſtinus, à quo multùm diſcrepans eſt Iprenſis ille qui ſibi Auguſtini perſonam tam falsò imponit.

Animaduertendum porrò hîc agi de obſeruatione mandatorum diuinorum, cuius defectu, homo violatæ legis reus tenetur. Quapropter non de ea duntaxat vna loquitur obſeruatione, quæ externa ſit, ſeu de opere à bona perfectâque voluntate diuerſo: exempli gratia de dandâ eleemoſyna, quam ſi non dedero, quòd domi res mihi familiaris anguſta ſit, nec id proinde fieri à me poſſit, quod tamen fieret ſi poſſet, quòd ita ſim animatus vt re vera eam facere plenâ perfectâque voluntate velim, non modò non ſum reus apud Deum, ſed dignus qui recipiam aliquid pro tali voluntate, mercedis; quod admonitos nos oportuit, ne externam effectionem operis boni, vnà cum perfectâ eiuſdem voluntate, confusè haberemus; aliquid enim eſſe debet inter vtrumque diſtinctionis, cùm Deus dicatur operari in nobis velle & perficere bonum, détque gratiam voluntatis, piâ inſpiratâ motione internâ, & gratiam operis, cùm dat operationis occaſionem. Quòd autem Auguſtini mens de priori illa mandatorum obſeruatione accipienda ſit, patet ex eo, quod dicit, ſi volueris, conſeruabis mandata; quod de externa mandatorum exequutione non poteſt dici; neque enim quiſquis vult dare eleemoſynam, ſemper conſequens eſt, vt eam, aut det reipsâ, aut dare poſſit.

Porrò voluntas, quæ erga bonum bene afficitur, eiúſque

Digitized by Google

amabilitate mouetur, *iam cœpit eſſe bona*, habétque aliquod ſecum gratiæ Chriſti adiumentum, quo bona ſit; nulla quippe bonitas illi niſi per gratiam conſtare poteſt, quemadmodum contra Semipelagianos tuentur omnes Catholici. At illa bona voluntas interdum tenuis eſt adeò, vt niſi fiat auctior, par non ſit reſiſtendo, proinde ſuo effectu careat.

Eſt igitur ex Auguſtino aliqua gratia Chriſti non efficax; quæ quidem voluntatem bonam efficit, ſed non eam tamen, quæ Dei mandatum impleat. Quòd verò hæc efficientiæ defectio ab ipſa voluntate manet, manifeſtum eſt, quia voluntas non eſt ſatis magna, vt mandatum amplectatur, quæ cùm facta fuerit perfectior, tunc *valde perfectéque volet*, ait Auguſtinus. Cùm verò per gratiam voluntas bona ſit, mandata conſeruabit ſi voluerit.

Habes igitur Corneli ex Auguſtino, quod tam præfractè negas, gratiam Chriſti dari vt ea vtatur homo, ſi velit; nam quid eſt mandatum ſeruare, niſi gratiâ ad id conceſsâ vti? En tibi gratia, qua fiat bona voluntas, neque tamen eiuſmodi, ex qua præcepti obſeruatio conſequatur.

Eſt ergo quædam gratia, quæ dat voluntati, vt ipſi amor Dei placeat, nec tamen hunc primum affectum gratiæ ſequitur amor liber, niſi cùm voluntas bona *valdè perfectéque voluerit*. adeò vt poſſit eſſe affectus ille diuini amoris, & ſenſus ſine conſenſu. non quòd gratia deſit, ſed quòd voluntas nondum perfectè velit, ſi enim vellet, mandatum dilectionis ſeruaret, & præceptum amorem liberum poneret: ſi verò homo voluerit amare, nec poſſit, intelligat non quidem ſe nullum gratiæ auxilium habere, nec enim iam vult amare niſi per gratiam, ſed agnoſcat nondum ſe plenè velle, & oret ampliſſimum illud adiutorium non *ſine quo non*, ſed *quo* Deum amet, vt ad ingenium Aduerſarij loquar. nam prius illud habet quidem; orétque non iam vt velit, ſed vt planè velit; quibus liquidum videtur, vt apud Auguſtinum eſt duplex voluntas, altera quæ perfectè velit, altera verò quæ tantùm imperfectè; ſic duplicem eſſe gratiam, alteram quæ ſufficiens & imperfectum gratiæ ſit adiumentum; alteram verò, quæ efficiens, ac perfectum.

Id ipſum lib. 8. Confeſſ. explicat pluribus, vbi gratiæ illius ſufficientis, & minùs perfectæ donum expertum ſe teſtatur. Quod enim oratoris illius Romani, Victorini nimirum, imitandi ſtudio incendebatur; quòd ſuſpirabat, quòd de anteactæ vitæ turpitudine dolebat; proculdubio interioris gratiæ motionibus agebatur, ſuſpirabat tamen catenâ conſuetudinis ſuæ prauæ ligatus, vt ipſe de ſe profitetur, ita vt & ipſa, quâ mouebatur, gratia ligata quodammodo, atque impedita videretur, cùm effectus nondum conſequebatur eos, ad quos ipſa deſtinabatur; quàm præclarè autem id explicat eodem loci, *voluntas noua, quæ mihi eſſe cœperat, vt te gratis colerem, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate corroboratam.* Quis autem non videat voluntatem illam nouam quidpiam gratiæ diuinæ præ ſe ferre, quod tamen erat eiuſmodi, vt nondum illius ope bene agere poſſet?

Neque dicas eam gratiam carere ſuo effectu propter inſitæ cupiditatis vim ſe ſe contra efferentem, nam ſaltem quod diſputatur, Auguſtinus tunc aliquam Chriſti gratiam acceperat, quam ipſe cùm ſentiret, non ei tamen conſentiebat; neque tantùm voluntatem bonam ibi prauæ opponit cupiditati, ſed ipſi voluntati perfectæ, imperfectam voluntatem, duóſque amores inuicem contrarios, alterum gratiæ ſufficientis & impeditæ; alterum verò, victricis & impedientis concupiſcentiæ; adeóque erat gratiæ Chriſtianæ delectatio, non victrix illa quidem, ſed victa, impeditáque per deprauatam voluntatem. Illud autem ipſum eſt, de quo potiſſimùm controuerſia agitatur; cùm gratia ſufficiens, ea ſit, quæ quo minus operetur conſenſum, aliunde eſt impedita. Neque id adiumentum gratiæ ſolius intellectus eſſe poteſt, tum quia id voces ipſæ ſatis ſignificant quibus *noua voluntas* continetur, tum quia ita iam erat affectus Auguſtinus, vt, quemadmodum ipſe dicit, *non eſſet ipſi ampliùs incerta perceptio veritatis. Iam enim & ipſa certa erat, & fruſtra* (inquit) *condelectabar legi tuæ, ſecundùm hominem interiorem.* Nam quomodo fruſtra ſit illa delectatio ſecundùm hominem interiorem, ſi ſemper effectum conſequatur? num fortaſſe ſuus Auguſtinum fallebat animus, & quod non ſentiebat, ſentire videbatur? Túne Corneli, hanc iniuriam

ſinas

ſinas fieri Auguſtino illi, cuius defenſorem te profiteris adeò animoſum?

Multa ſunt in eam ſententiam toto capite 8. quæ referri longum eſt, vbi affirmat ſe, quæ placerent, non omnia omnino velle. Et cap. 9. *Imperat,* inquit, *animus vt velit, qui non imperaret, niſi vellet, & non ſit quod imperat.* quod contingere ait, *quia non ex toto vult, non ex toto imperat.* vbi animaduertas, non afferri gratiæ defectum, ſed voluntatis, *quæ non volebat ex toto.* poterat igitur plus eo, quàm volebat, illud autem quod poterat, erat gratiæ, quæ cùm effectum non obtineret, certè *poſſibilitatis* adiutorium quod Cornelio noſtro ab Auguſtini mente ita alienum videbatur, meritò eſt cenſendum; omitto cætera, quæ in capitibus conſequentibus diſſipata eódem pertinent, & per otium legi, colligíque poſſunt.

ARTICVLVS VII.

Ex Auguſtini doctrinâ manifeſtum eſt hominem, ſi velit, vti Chriſti gratiâ.

HOc Angelis & Adamo tantùm tribuendum eſſe, cùm velit Aduerſarius, negat conſequenter id naturæ lapſæ poſſe eſſe conſentaneum. putes eum bellum immortale indixiſſe Auguſtino, cui ſe in omnibus ita contrarium profitetur. Nam quàm ab ea ſententia alienus ſit Auguſtinus, vnicuique intelligere erit promptiſſimum. cùm enim hæc verba Scripturæ interpretatur, *ſi volueritis bona terræ comedetis,* duplicem ſenſum affert, Pelagianum alterum, alterum verò Catholicum, contra quem coniuratus cum Caluino animos tollit Ianſenius. ſic autem habet lib. 4. ad Bonifac. cap. 6. *Item,* inquit, *quod aduerſus Manichæum laudant liberum arbitrium, adhibentes propheticum teſtimonium: ſi volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ comedetis . . . . quid eis hoc prodeſt? quandoquidem non tam contra Manichæos defendunt, quàm contra Catholicos extollunt liberum arbitrium? ſic enim volunt intelligi, quod dictum eſt, ſi volueritis & audieritis me: tanquam in ipſa præcedente voluntate ſit conſequentis*

meritum gratiæ, ac ſic gratia non ſit gratia, quæ non eſt gratuita, cùm redditur debita. ſi autem ſic intelligerent, quod dictum eſt, ſi volueritis, vt ipſam etiam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Domino: tanquam Catholici vterentur hoc teſtimonio, & non ſolùm hæreſim veterem Manichæorum vincerent, ſed nouam Pelagianorum contererent. Talis eſt igitur gratia Chriſti, vt excitatum per eam, motúmque liberum arbitrium amplectatur bonum ad quod illa excitat; non eam ob rem tantùm, quia excitatur, ſed ſi voluerit, adeo vt & non amplecti bonum, non illi conſentire, ſi velit, poſſit. Quare cùm ſic ſtatuat Auguſtinus, ſic cum Catholicis loquatur, Ianſenium, qui ſecùs ſentiat, Catholicè loqui non exiſtimamus.

Deinde verò cùm Ianſenius putet adiutorium *ſine quo non*, per quod *poſſibilitas* bene agendi conſtare poteſt, cuius proinde vſus pendeat à libero hominis arbitrio, quod vult eſſe ſimile luci, & alimentis, quibus homo vtatur, ſi velit, à Chriſto proficiſci non poſſe, háſque tres conditiones gratiæ Adamo conceſſæ contendat eſſe proprias, eóſque Pelagianos dicat, qui talem Chriſti gratiam aſſerant: omnem illam doctrinam tribus his, aliiſque iſtiuſmodi contentam placitis, vno Auguſtini loco labefactare propoſitum eſt. Iſque locus ex lib. de geſtis Pelag. cap. 1. 3. 6. & 10. vbi continetur, eſt repetendus.

Sed priùs hunc locum non profero, quin moneam obſeruandum, nunquam factam ab Auguſtino, duplicis illius adiutorij *ſine quo non*, & *quo*, niſi ſemel & iterum mentionem; primò quidem lib. de corrept. & gratia cap. 11. & 12. ſecundò in illo cap. 1. lib. de geſtis Pelagij. Quod cùm obſeruaſſem ipſe, à doctiſſimo viro Petauio, in breui diſſertatione de adiutorio iſto duplice non ita pridem editâ, comperi eſſe confirmatum. Ne verò locum lib. de corrept. & gratia tractem hîc accuratiùs, quod alibi fortaſſe commodiùs fieri poterit; id vnum moneo, *adiutorium quo*, ibi ſumi ab Auguſtino minùs propriè, non pro cauſa efficiente boni operis, aut perſeuerantiæ, qualis eſt gratia omnis liberum arbitrium antecedens, comitans & ſubſequens, ſed pro ipſa perſeuerantia finali, quæ non niſi in obitu ſupremo ob-

Digitized by Google

tinetur; qualis eſt ipſa beatitudo, quæ beatum non efficienter, ſed formaliter facit eum, in quem cadit. At hîc quæritur de gratiâ, quæ boni operis efficiens cauſa ſit, quæ eſt adiumentum illud, quo homo iuſtè vel agere poteſt, vel interdum agit; quale eſt adiutorium illud *ſine quo non*, ibidem ab Auguſtino allatum.

In libro autem de geſtis Pelag. vtrumque illud adiutorium ſumit pro cauſa efficiente bonæ vitæ, ſiue operis; & ita ſumit, vt *adiutorium quo*, tantùm vtile eſſe velit, adiutorium verò *ſine quo non* velit eſſe omninò neceſſarium, ad id ad quod datur. Eum audiamus. Pelagius, quod in Synodo Palæſtina obiectum ſibi fuerat, *hominem non poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui legis ſcientiam habuerit*, ita expoſuit vt dixerit *hominem adiuuari per legis ſcientiam ad non peccandum.* Quam propoſitionem Auguſtinus exigens ad examen oſtendit, gratiam Chriſti longè aliter iuuare ad non peccandum, quàm iuuet legis ſcientia, quia plerique Chriſtiani legis imperiti, *quos ſimplex fidei pietas, ſpes firmiſſima in Deo, & charitas ſincera commendat, his donis gratiæ Dei præditi mundantur à peccatis per Chriſtum.* Ideóque admonet *adiutoriorum genera eſſe duo. Alia quippe ſunt, ſine quibus illud, ad quod adiuuant, effici non poteſt, ſicut ſine naui nauigat nemo, nemo ſine voce loquitur, nemo ſine pedibus graditur, nemo ſine luce intuetur, & multa eiuſmodi: vnde eſt etiam illud, quod nemo ſine gratia Dei viuit. Alia verò ſunt adiutoria, quibus ſic adiuuamur, vt etiam ſi deſint, poſſit alio modo fieri, propter quod ea requirimus: ſicut illa ſunt quæ commemoraui tribula ad fruges ferendas, pædagogus ad puerum ducendum; & cætera talia.* Huius autem ſecundi generis ſcientiam eſſe docet; gratiam Dei per Chriſtum, prioris.

Ex quo loco, primùm obſeruo, adiutorium ſecundum, non modò non eſſe illud adiutorium *quo* in genere cauſæ formalis, de quo ſermo eſt lib. de corrept. verùm etiam id non eſſe, à quo res neceſſariò conſequi dicatur; quale Theologi aiunt eſſe gratiæ adiutorium voluntatis, & operis, diuerſum ab adiutorio poſſibilitatis, quod ab illis efficax & efficiens appellari ſolet; quam tamen in ſignificationem in neutro loco accipitur ab Auguſtino.

Digitized by Google

Secundum eſt, Auguſtinum vtrumque illud adiutorium hîc intelligere propriè, pro ope vim efficiendi habente, quæ non ſit ipſe voluntatis bonæ actus, ſed tamen quæ voluntatem iuuet vt bene velit. quod præ ſe ferre videntur vel ipſæ voces, *ſine quibus illud, ad quod adiuuant, eſſe non poteſt, & quibus ſic adiuuamur vt ſi deſint, poſſit alio modo fieri.*

Tertium eſt, adiutorium *ſine quo non*, eſſe neceſſarium, alterum vero tantùm vtile.

Quartum, adiutorium *ſine quo non*, eſſe & ſufficiens & efficax, quod non tantùm poſſe, ſed & ipſum fieri dat: nam ab Auguſtino affertur in exemplum, vox, ſine qua nemo loquitur, & pedes, ſine quibus nemo ingreditur; cùm per vocem non modò potens fiat homo qui loquatur, ſed idipſum habeat vt loquatur. Quapropter adiutorium iſtud *ſine quo non*, & *quo*, pro adiutorio gratiæ ſufficientis & efficacis, quemadmodum contendunt Nouatores, ab Auguſtino nullo modo ſumitur, omníſque adeo nouæ illius doctrinæ molitio, quæ tota hoc fundamento nititur, planè ruat neceſſe eſt, cùm neutro in loco ſermo ſit de gratia, de qua diſputatur.

Quintum, gratiam Chriſti dici ab Auguſtino adiutorium non *quo*, ſed *ſine quo non*, & in eo differre à legis ſcientia, quæ eſt duntaxat adiutorium *quo*.

Sextum, idem gratiæ adiutorium à ſancto illo Doctore comparari cum luce, cuius vſus pendet à libero arbitrio, quod negat Aduerſarius. Eâdem autem lucis ſimilitudine pro explicanda gratiæ Chriſtianæ efficientia paſſim alibi vtitur Auguſtinus, vt lib. 2. de pecc. mer. cap. 5. & lib. de geſtis Pelag. cap. 3. in quo eximium quid contra Aduerſarium habetur: Pelagius enim pro reiicienda gratiæ neceſſitate attulerat hoc Eccleſ. dictum cap. 15. *Appoſui tibi aquam & ignem, ad quoduis porrige manum tuam. Ante hominem bonum, & malum, vita, & mors, quod placuit ei, dabitur illi.* Sic autem exponit Auguſtinus: *Manifeſtum eſt, quòd ſi ad ignem manum mittit, & malum ac mors ei placet, id voluntas hominis operatur: ſi autem bonum & vitam diligit, non ſolùm voluntas id agit, ſed diuinitùs adiuuatur: ſufficit enim ſibi oculus ad non videndum, hoc eſt, ad tenebras: ad videndum verò lumine ſuo,*

Digitized by Google

non ſibi ſufficit, niſi extrinſecùs adiutorium clari luminis præbeatur.

Vbi profitetur Auguſtinus primò, quòd hominis voluntas, in bono atque in malo amplectendo peræquè libera ſit, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd ſufficiat per ſeſe ad malum, ad bonum verò, diuinâ ope indigeat. Vt patet in exemplo quod de oculo allatum eſt, cui niſi aliunde lumen adſit, quàm illud, quod habet ſibi inſitum, videre non poterit. Secundò voluntatem hominis diuino gratiæ auxilio adiutam, ait bonum agere, *ſi velit*, id enim ſignificat, *ſi manum mittit, ſi ei placet, ſi diligit.* Id enim diſertè docet cap. 6. Nam quod Pelagius dixerat *poſſe hominem, ſi velit, eſſe ſine peccato, & Dei mandata cuſtodire, hanc enim poſſibilitatem Deus dedit illi, & proprio labore, & Dei gratia, ſeu cum adiutorio Dei & gratiâ.* Probat dictum Catholicè cum Epiſcopis Auguſtinus, modò per gratiam intelligat eam, *quam Apoſtolica doctrina plurimùm commendat,* id eſt Chriſtianam, non verò naturam ipſam aut liberum arbitrium; quod cap. 10. repetit.

Planum igitur manifeſtúmque habemus ab Auguſtino hominem non tantùm per gratiam Chriſti, vt loquitur Aduerſarius, ſed etiam cum gratiâ Chriſti proprio labore mandata Dei cuſtodire, ſi velit, quod tamen cenſurâ ſuâ notandum exiſtimauit Ianſenius, tametſi in eo affirmando repetendóque tam creber multúſq; ſit Auguſtinus, quod adeo expreſsè in Pſ. 63. ſub finem habetur: *Nunquid conſilij corrigendi & mutandæ malæ vitæ in bonam non eſt locus? non eſt tempus? nónne ſi vis hodie fit? nónne ſi vis modò fit.* An verò ſi Ianſenius ita verſatus eſſet in Auguſtino quemadmodum ipſe gloriatur, id quod eſt adeo perſpicuum negare poſſet?

Quod autem Deus vnicuique mortalium, etiam poſt inflictum à peccato originali vulnus, gratiæ adiumentum offerat, quo, ſi velit, vti poſſit, poſſit bene viuere, idem Auguſtinus fusè diſputat lib. 3. de lib. arb. cap. 19. & 20. quod cùm in retractationibus ſuis non correxerit, eſt cauſa, cur credamus, eam fuiſſe illius mentem. ab eo autem loco, qui longior ſit, aliiſque eiuſmodi paſſim, & præcipuè lib. 2. de actis cum Felice, cap. 3. 4. 5. commemorandis, abſtineo.

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

Aduerſarij commenta contra gratiam Chriſti ſufficientem diſſoluuntur.

VT nunquam paratior venit ad pugnam Doctor Iprenſis, quàm cùm diſputauit de gratiâ ſufficienti; ita, opinor, nunquam magis animosè pertinacitérque rem geſſit. Sed quia ſe, nouitatémque ſuam Auguſtini auctoritate, non modò defendit ac tuetur, verùm etiam abutitur nomine tam ſacro, vt nobis paret inſidias, negotiúmque faciat; operam dabo, ne ex hac parte quicquam moliri poſſit quod nos moretur. Et quia mihi res eſt cum homine vaniloquo, mea cautio erit ne quid imponat.

Præcipua capita, quibus aciem argumentorum ſuorum contra nos inſtruit, petuntur, præſertim ex S. Auguſtini lib. de gratia Chriſti cap. 13. ex lib. 2. poſter. contra Iulianum cap.156. lib. de prædeſt. SS. cap. 8. & éx omnibus aliis locis, quibus Deus dicitur in cordibus hominum operari *infallibiliter*, *inuincibiliter*, *inſuperabiliter*, *indeclinabiliter* : ſingula quæque loca ſeorſim affero, tum quid in vnoquoque æſtimari penſitaríque par ſit, exponam. Atque imprimis in toto illo lib. de gratia Chriſti, notandum quid Auguſtino conſilij ſit, quæ ratio, quod propoſitum: nullum credo aliud, niſi, vt tres Pelagij errores dicendo confutet. Quorum primus eſt, quòd ille poſſe accedere ad Chriſtum, poſſe credere, in naturę ipſius viribus collocaret. Alter verò, quòd cùm rationibus Patrum in ſynodo Palæſtinâ congregatorum adductus eſſet, vt præter naturam, & liberum arbitrium gratiam admitteret, variam, multiplicémq; admiſit, ſed quæ non niſi ad doctrinam pertineret. Tertius, quòd cùm tria ſint in bona vita, *poſſe velle*, & agere quod vocat *eſſe*, adeóque ſint tria gratiæ adiumenta; primum, quo datur poſſe, dicitúrque gratia poſſibilitatis. ſecundum, quo velle, éſtque gratia voluntatis. tertium quo tribuitur ipſum agere & exequi bonum, quod voluntas liberè voluit, & amplexa eſt, dicitúrque gratia actionis, & operis: Pelagius cæteris reiectis, vnū tantùm ferat,

quod eſt adiumentum doctrinæ, ſine quo voluntas non poſſit velle: neque enim fieri poteſt, vt quod ignorat bonum, illud amplexetur: at vbi in eius cognitionem beneficio doctrinæ venit, abſque vlla diuinæ opis acceſſione bonum operatur, neque ex eius ſententiâ magis adiuuatur à Deo, qui bonum cognitum vult liberè, quàm qui notum negligit, & repudiat. Ita fermè Pelagius, quod colligitur ex lib. illius de gratia Chriſti, cap. 3. 4. & 5. illius libri, vbi S. Auguſtinus totum Pelagij *dogma*, verbis ab eo ſumptis, *diligenter expreſſum eſſe ait*, nimirum quod *nec voluntatem noſtram nec actionem diuino adiuuari credit auxilio: ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis, atque operis, quam ſolam in his tribus nos affirmat habere ex Deo;* adeò vt *non adiuuet, vt velimus, non adiuuet vt agamus, ſed tantummodo adiuuet vt velle & agere valeamus*.

Secundò notari oportet, quòd, licèt Pelagius errarit aliquando in aſſignando primo illo poſſibilitatis capite; *quam nos in natura & in doctrina iam accepiſſe dicebat* datam à *creatore naturæ, quam proinde habemus etiamſi nolimus*, vt habet c. 3. & 5. quia tamen hunc errorem paulò antè refutauerat Auguſtinus, hoc in libro eum breuiter perſtringit cap. 19. 20. & 21. totúſque eſt in refutandis duobus aliis erroribus, & probat nos egere præter doctrinam, & naturam, adiutorio quo velimus & agamus bonum, quod iam poſſumus. Quod vtrumque adiutorium, cùm ſit ſemper efficiens, & actuoſum, quia per ſecundum fit, vt velimus, quod per primum poteramus, fit per iſtud poſtremum, quod tertium eſt, vt agamus.

Vnde mirum videri non debet, ſi in toto hoc libro, vix meminit alterius adiutorij, quàm actuoſi, & efficacis. Quia verò iſtius auxilij vtriuſque ratio, quódque ſit à primo planè diuerſum, & gratuitò detur, manifeſtiſſimè apparet in adultis prædeſtinatis; idcirco gratiam *ex propoſito*, ſeu diuinæ prædeſtinationis conſilio datam affert, vt probet, non omnes qui poſſunt bene viuere, reipſa benè viuere, cùm ne quidem omnes qui iuſti fiunt, prædeſtinentur, nemo verò adultus ſit prædeſtinatus, qui non habeat gratiam voluntatis & actionis. His ita obſeruatis,

Digitized by Google

De prædeſtinatorum gratia cap. 12. loqui ſe ſignificat his verbis: *Hæc gratia, quâ virtus in infirmitate perficitur, prædeſtinatos, & ſecundùm propoſitum vocatos ad ſummam perfectionem, glorificationémque perducit. Qua gratia agitur non ſolùm, vt facienda nouerimus, verùm etiam vt cognita faciamus, nec ſolùm vt diligenda credamus, verùm etiam vt credita diligamus.* Quamobrem longè probabilius eſt Auguſtinum ibi ſermonem habere tantùm de gratiâ operis, non voluntatis, nec poſſibilitatis, nec conſequenter de quauis gratia Chriſti ſufficiente, vt aiunt, nec de quâuis etiam efficace, ſed de ſolâ, quæ eſt efficiens ipſum opus in prædeſtinatis. Nam qui *diligenda credit*, haud dubiè vult credere, & habet aliquam gratiam bonæ quidem voluntatis efficientem, neque tamen eam conſecutus gratiam, de qua hîc loquitur Auguſtinus, quæ facit non ſolùm vt diligenda credamus, ſed etiam vt credita diligamus.

His etiam animaduerſis, ea demum dicit Auguſtinus, quibus exultant adeò iactanter Ianſeniani, exiſtimántque ſe habere, vnde demonſtrent, nullam niſi efficacem Chriſti gratiam admitti ab Auguſtino. ſic porrò loquitur cap. 13. *Nec gratia* (ſcilicet, quæ ſuperiori capite explicata eſt) *ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere, non ſolùm per eos, qui plantant & rigant extrinſecùs, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita vt non oſtendat tantummodò veritatem,* verùm *etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere?* Quibus ſatis clarum eſt ab Auguſtino contra Pelagium probari gratiam internam, diuerſam à lege & doctrinâ, qualis per homines qui plantant & rigant, poteſt adminiſtrari. Hæc enim externum Dei auxilium eſt, illa verò internum datum ab eo, qui ſolus dare poteſt incrementum. Is enim eſt qui interna conuerſione voluntatem per infuſionem charitatis immutet, quod à doctore & inſtructore fieri minimè poteſt; hanc autem doctrinam interiorem oſtendit in prædeſtinatis reperiri, quibus illa gratia ſecundùm propoſitum datur.

Quamobrem cùm Auguſtinus eo loci de ſola gratiâ prædeſti-

deſtinationis mentionem inducat. parùm conſultus eſt Aduerſarius qui inde colligat, nullam Chriſti gratiam internam eſſe non efficacem. Vt enim perſuaderet hanc eſſe mentem Auguſtini, deberet oſtendere eum, qui hoc loci de gratia tantùm prędeſtinationis agat, omnem omnino gratiam fuiſſe complexũ, quod abhorret plurimùm ab eius inſtituto. ideóne enim nulla gratia Chriſti non efficax cenſeri debet, quod omnis quæ prædeſtinationis eſt, efficiens ſit? ô te mi Corneli, vel infantiſſimum in logicis, qui à propoſitione ſingulari, colligas vniuerſalem! vel in Auguſtino intelligendo parum exercitatum, qui mentem illius in alienum ſenſum tam facilè accipias!

Addit porrò, atque vt *probaret, eos à Deo didiciſſe, ſubiungit, etenim facitis iſtud, tanquam hoc ſit certiſſimum indicium, quod à Deo didiceris, ſi id quod didiceris, feceris.* At neque inde habet, quidquam Ianſenius, quod efficiat. Quis enim neget nos non ab hominibus tantùm, ſed etiam atque adeò etiam multo magis à Deo doceri, ac perdiſcere, quæ incumbant facienda? At etiam ſi quiſquis credit, docetur à Deo, non inde conſequens eſt, eum de facto credere, quiſquis à Deo doceatur.

At his omiſſis, quod ſequitur ferre præ ſe plus difficultatis videtur. *Qui autem non nouit, quid eſt quod fieri debeat, & non facit; nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem, non ſecundùm ſpiritum ſed ſecundùm litteram.* Sed procliuis eſt & expedita reſponſio. Auguſtinum eo loco doctrinam legis, doctrinæ ſpiritus, humanámque diuinæ opponere, non cuilibet tamen, ſed illi quæ prædeſtinationis eſt: nulla enim doctrina legis dat credere & facere, quod fieri debet, at omnis ea doctrina, quæ ſecundùm propoſitum, ſeu prædeſtinationis, dat facere quod debet fieri; cùm autem quædam doctrina ſit à Deo interdum non efficax, ſub ea ratione ſimilis eſt, doctrinæ legis; vtraque autem doctrina, legis ſcilicet & ſpiritus, habet communem rationem doctrinæ, & docet vtraque, quid cuique agendum ſit.

Porrò hîc etiam notandum videtur, non dici ab Auguſtino, qui non facit, eum non doceri à Deo, aut non ei offerri gratiam internam, aut etiam non dari auxilium internum,

Digitized by Google

quod per hominem non efficax reddatur; ſed tantummodo eum, qui ita docetur à Deo, vt non faciat, ſeu qui à Deo accipit auxilium non efficax, eum non doceri ſecundùm gratiam & ſpiritum, ſiue vt paulò pòſt ſubiicit, iſto modo proprio gratiæ & ſpiritus, & diuerſo à modo, quo docetur ſecundùm legem & litteram.

Cùm verò nulla externa gratia faciat credentem, datur ad credendum ea, quæ ſecundùm propoſitum eſt, quæ fidem inſpirat; in quo vnum & alterum doctrinæ genus inter ſe diuerſum apud Auguſtinum licet animaduertere; Eſt autem tertium aliud, ſiue medium inter vtrumque, quod cum doctrina prædeſtinationis id habet commune, quod ſit internum; & cum doctrina legis, quod non faciat credentem. ſicque Auguſtinus medium illud genus, qua parte eſt non efficax, reuocat ad legem; quemadmodum quoties extrema duo medium habent, illud ad vtrumque referri poteſt, & cum eo comparari.

Quod verò eo in loco ſic Auguſtinus ſit accipiendus, ſatis meo iudicio perſpicuum eſt, ex iis quæ antecedunt & conſequuntur ſententiam illam, & cùm de doctrina iſta, & de ea, quæ Dei eſt incrementum dantis agit, ſemper eam ſolam doctrinam prædeſtinationis, & ſecundum propoſitum, ſolet appellare.

Porrò lex ipſa ibidem dicitur eſſe à Deo & Chriſti adiutorium, quod conſequenter triplex eſt; primum legis, illúdque ſemper inefficax; ſecundum prædeſtinationis, quantum in ſe eſt, ſemper efficax; tertium medium, quod quidem gratiæ eſt, proindéque interdum efficax, inefficax autem, vt à libera voluntate, vel recipitur, vel reſpuitur.

Qui ergo nouit, quid fieri debeat, & non facit, non idcirco à Deo non didicit; ſed non didicit ſecundùm gratiam ſpiritus, ſeu vt ipſe paulò pòſt loquitur, non iſto docendi modo, qui eſt proprius gratiæ, ſed modo legis & litteræ proprio, ob defectum voluntatis. Quemadmodum fidelis, qui agit ex modo fidei proprio, agit iuſtè, ita & qui agit pro ratione & modo infidelibus vſitato, agit impiè; & quamuis infidelis nunquam iuſtè agat, fidelis tamen agit interdum iniuſtè, túncque agit modo infidelium non fidelium proprio. Ita bru-

Digitized by Google

tum agit ſemper ſecundùm ſenſum, homo ſecundùm rationem: & licèt homo nonnunquam agat ſecundùm ſenſum, brutum tamen nunquam agit accommodatè ad rationem. Si quis igitur dixerit hominem, qui dedit ſeſe voluptatibus corporis, ad morem ingeniúmque bruti viuere, non hominis, non idcirco negabit, ſi planè hebes non ſit, omnem hominem viuere ſecundùm rationem, quando agit vt homo.

Age verò, mi Corneli, rationem tuam inſtitue, ſi potes, & argumentum illud, quod ita iactas, informa ad ſcholæ normam; nam ſi quid eſt in eo vis, vt eſſe putas, ab ipsâ formâ conſtabit; ex Auguſtini verbis, quibus te ita fundatum prædicas, incumbit tibi conficiendum, nullam gratiam Chriſti eſſe non efficacem, ſanè ſi quid efficere vis, ſic ratio tibi eſt inſtituenda. Nullus diſcens à Deo tantùm ſecundùm legem, non ſecundùm gratiam, habet vllam Chriſti gratiam. Sed qui non facit, quod nouit faciendum, à Deo diſcit tantùm ſecundùm legem, non ſecundùm gratiam; ergo nullam habet Chriſti gratiam. Enimuerò prior propoſitio, quæ manifeſtæ falſitatis argui poteſt, abſque vllo negotio reiiceretur; cùm aliquis licèt non diſcat ſecundùm gratiam, tamen gratiam habere poſſit, qua videlicet non vtatur, proindéque ſit, tanquam ſi nihil præter legis doctrinam haberet.

Idem Auguſtinus Conc. 27. in Pſ. 118. dictum illud Dauidis, *doce me iuſtificationes tuas*, ſic exponit. *Doce me, vt faciam voluntatem tuam: qui enim audiunt, licèt memoria teneant, quod audiunt, nequaquam didiciſſe putandi ſunt, ſi non faciunt: Veritatis namque verbum eſt, omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Qui ergo non facit, id eſt non venit, non didicit.* Si negat Auguſtinus, eum qui non venit, vllo modo diſcere à Deo, ſibi contradicit; nam in cap. illo 13. ait eum ſaltem didiciſſe ſecundùm litteram & legem. Deinde verò qui meminit eorum, quæ audiuit, num is aliquo modo didicit? Quapropter ſic accipiendus Auguſtinus, ne ipſe ſecum pugnare videatur, vt non quouis, ſed aliquo tantùm modo diſcere neget eum, qui non facit, qui modus gratiæ proprius eſt, non communis legi & gratiæ. Et ſanè cùm tam enixè orabat Dauid vt doceretur, iam gratiæ quidpiam in eo erat, neque enim abſque gratia ſic orare poſſet: Quin

Xx ij

Digitized by Google

etiam iam efficienter didicerat, quid, qua ratione Deus erat orandus, qui tam bene orabat. Non igitur ex eo quod nondum faciebat, quod vt faceret, orabat, colligi debet eum nullam habere gratiam, nullóque modo ſecundùm gratiam & ſpiritum doceri.

Sic autem pergit cap. 14. ſanctus ille Doctor. *De iſto docendi modo, etiam Dominus ait: omnis qui audiuit à patre meo & didicit, venit ad me: qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audiuit quidem, & didicit eſſe veniendum, ſed facere non vult, quod didicit: prorſus non rectè dicitur de iſto docendi modo, quo per gratiam docet Deus.* Sic prorſus, vt veritas loquitur, *omnis qui didicit venit, quiſquis non venit profectò non didicit.* Sed eò ſunt iſtæc omnia referenda, quo priùs retulimus, & docuimus ab Auguſtino referri. Cùm enim duplex genus ponat diſciplinæ, alterum quod gratiæ prędeſtinationis proprium eſt; alterum, quod ipſi etiam legi, & cuilibet gratiæ, quod dictum fuit ab eo in loco allato, de priori intelligendum eſt, non de poſteriori, quod neceſſariò fieri debet, ne videatur ipſe ſibi repugnare.

In eam partem ſumendus eſt lib. 2. poſt. contra Iul. pag. 156. *Cum verbis,* inquit, *doctor plantat & rigat, poſſumus dicere, fortè credit auditor, cùm verò dat incrementum Deus, ſine dubio credit, & proficit; ecce quod intereſt, inter legem & promiſſionem, inter litteram & ſpiritum*: loquitur enim de gratia, quæ dat incrementum, éſtque non quælibet inſpiratio, ſed ſola efficax, ſicut cùm promiſſionem opponit legi, intelligit gratiam prædeſtinationis, qua filij promiſſionis fiunt.

Lib. de prædeſtin. Sanct. cap. 8. *Quid eſt, omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me, niſi nullus eſt qui audiat & diſcat à patre, & non veniat ad me? ſi enim omnis qui audiuit à patre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audiuit à patre nec didicit; nam ſi audiuiſſet & didiciſſet, veniret* (ſubdit) *valde remotam eſſe à ſenſibus carnis hanc ſcholam, & nimium ſecretam, qua occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Et poſtea, *cùm Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam audiunt atque diſcunt, qui autem non credunt, foris audiunt, intus non*

Digitized by Google

audiunt neque diſcunt, hoc eſt, illis datur, vt credant, illis non datur. quid dici poteſt explicatius ? neque tamen id eſt eiuſmodi, vnde nullam gratiam Chriſti eſſe non efficacem, colligi poſſit. Ibi enim agit etiam Auguſtinus de gratia prædeſtinationis, de quâ ſic loquitur, *ſic quippe facit filios promiſſionis & vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* quas voces ſi aliorſum putet accipiendas Aduerſarius, quam de prædeſtinatis, magnopere delirauerit, cùm ibidem ſe de illis mentionem habere ſignificet.

Deinde toties iungit iſta duo, audire & diſcere, quoties agit de gratia efficace, qua tollitur duritia cordis. Verùm quàm multi ſunt vt plurimùm, qui audiāt Deum intra ſe loquentem, nec tamen diſcant, hoc eſt minimè credant; & eorum qui Euangelium audiunt, pleroſque reperias, qui ad tempus ex illius auditione bene afficiantur, pióſque motus concipiant, ſed non efficaces, qui licèt effectum ſuum non obtineant, nihilominus gratiæ Chriſti veram propriámque rationem habent in ſe ſe; vt enim afficiant voluntatem, non tamen in intimam mentem ita peruadunt, vt omnino penetrent, & hominem ex toto animo nolentem efficiant; vt ipſe loquitur in locis ſuprà memoratis Auguſtinus.

Hæc allata ab Aduerſariis contra gratiam ſufficientem Auguſtini teſtimonia par erat expendere diligentiùs, vt quaſi examinatis vtrimque rationum ponderibus, magis liqueat, quam in partem momentum inclinet; ſic fiet, vt, & qui nobis aduerſantur, non omnem gratiam Chriſti efficacem eſſe præterea contendant; & ſi qui ſint partium noſtrarum, qui vel difficulter id intelligant, vel etiam quâdam adducti quaſi ſpecie rationum, nullam ex Auguſtino gratiam ſufficientem, niſi ad orandum fateantur, illi, quia cauſæ communis intereſt, ne diuellamur ab inuicem, noſtrum in ſenſum reduci ſe ſinant; nam difficultates, quibus deterriti ſunt, vt idem atque nos dicerent, non erant iſtiuſmodi, vt, ſi mens Auguſtini diligentiùs exploretur, de illis magno ſit opere laborandum.

Quod ſi ad eundem libri de gratia Chriſti locum, animum magis etiam aduertere placuerit; manifeſtiſſima procul

Digitized by Google

dubio gratiæ ſufficientis indicia poterunt deprehendi. Nam cap. 14. poſt verba ſuperiùs allata, ſic pergit Auguſtinus: *Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis.* Ex quo loquendi modo quis continuò non intelligat, Auguſtinum aliud nihil velle, quàm qui acceptâ gratiâ credit, ita per liberum arbitrium credere, vt poſſit non credere, ita conſentire, vt, ſi velit, diſſentire poſſit, quod negat Ianſenius. Quòd ſi id contingat, gratiam Adami propriam eſſe pugnabit: ſic eſt hominis huius ingenium, quæ non poſſit tueri, Chriſto tollere; tum ad extremum addit Auguſtinus: *Non eſt autem conſequens, vt qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit, atque fecerit.*

Dictum opinor ſatis apertè; an tu præterea ſpiſſo ſis adeo, teretíque ingenio Corneli, qui non intelligas, collige ſi potes diſſipatam mentem tuam, & verborum Auguſtini ſenſum aduerte. Nam ſi non conſequens eſt, vt omnis qui credere poteſt, credat; nec quiſquam ſine Chriſti adiutorio credere poſſit, certè datur aliqua gratia Chriſti, quæ *poſſibilitatis* ſit, proindéque ſufficiens. Deinde ſi non conſequens eſt, vt qui poteſt credere, credat, niſi voluerit, cùm credit: idcirco credit, quia vult, & qui poteſt credere, ſi vult credit; hoc autem locum habuiſſe in Adamo, concedit Aduerſarius; in nobis habere, enimuerò negat. quid fiet de homine ita obſtinato? Audiat Auguſtinum. *Sed omnis, qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire; ſed venit, vbi iam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.* Non omnis qui audit à Patre diſcit, nec credit, quia penes eſt liberum arbitrium, vt & audiens nolit intelligere, & ſentiens, non conſentire. vbi triplex gratiæ adiumentum diſtinguit Auguſtinus, primum eſt *poſſibilitatis*, ſecundum voluntatis, tertium actionis. Eſt autem cauſa cur diſtinguat, cùm aliquando; & voluntatis affectus, ſine actionis effectu; & ſine voluntatis affectu, reperiatur *poſſibilitatis* profectus, qui procul dubio eſt aliqua Chriſti gratia, eáque ſufficiens, de qua hîc præſertim quæſtio eſt. Quamuis autem Auguſtinus in eodem lib. cum Pelagio ſumat *poſſibilitatem* pro ipſa facultate naturali, quæ idonea eſt, in qua bonum recipi poſſit, & vt ipſe loquitur cap. 20. *capax ſit radicis bonæ*, nun-

quam tamen *poſsibilitatis* profectum, niſi pro eadem iam diuino gratiæ auxilio adiuta ſumit; húncque profectum ab effectu diſcernit. Cùm cap. 25. *non ait, Spiritus Patris veſtri eſt, qui nobis dat, vel dedit poſſe bene loqui; ſed ait, qui loquitur in nobis: non ſignificans poſsibilitatis profectum, ſed exprimens cooperationis effectum.*

ARTICVLVS IX.

Vtrum omnis gratia Chriſti agat neceſſariò.

ALTERVM caput eſt obiectionum, quas Aduerſarius gratiæ ſufficienti opponit. Atque ne in re tam graui videar quidquam negligere, diligenter exponam, diuerſum illum modum, quo gratia efficax mouet voluntatem, ab eo quo ſufficiens illam mouere ſoleat, ſic tamen vt à quæſtione inter PP. Dominicanos & Ieſuitas toties agitatâ de prædeterminatione abſtineam. Idque imprimis fatebor, Deum nunquam fruſtrari fine, quem ſibi propoſuit; quos ſaluari poſſe vult, eos ſaluari poſſe; quos vult conſentire gratiæ, eos reuerâ conſentire; quod nemo omnium negauerit. At nego videri neceſſarium; vt quos Deus vult poſſe conſentire, & reipsâ habere gratiam internam, qua poſſint, illos omnes reuerâ ſemper conſentire; tametſi qui non conſentiunt, ſuo prorſus, non gratiæ, defectu non conſentiant; quod ſinit interdum iuſtò iudicio Deus, vt locum virtuti ac merito relinquat aliquem.

Quapropter non hîc diſputatur, vtrum omnis Dei voluntas ſuum ſemper ſibi propoſitum finem conſequatur, nam qui dubitet opinor eſſe neminem. *Omnia enim, quæcumque voluit, fecit*, vt dictum à Propheta: ſed quæritur vtrum, quæ Dei voluntas efficaciter vult, & facit, vt per gratiæ internæ ſenſum, delectationem, & affectum, poſſim conſentire, eadem neceſſariò velit, & faciat, vt conſentiam. Et vtrum, quæ voluntas Dei eſt illius ſenſus efficiens, & (vt aiunt) efficax, eadem ſit reſpectu conſenſus non efficiens, ſed deficiens, non quidem per ſe ſe, ſed per eum, qui gratiæ deſit; quia licèt Deus faciat in me, ſine me liberè agente, delectationis illius ſenſum, non tamen facit conſenſum niſi me-

Digitized by Google

cum, & qui operans facit ſenſum, non facit conſenſum, niſi cooperans.

Certè ita ſentiunt cum Auguſtino, & Angelico Doctore omnes eruditiores Theologi; docéntque voluntatem Dei, qua vocat ad gloriam, vúltque ſaluos homines vniuerſos, per ſe ſe eſſe efficacem, quatenùs vult efficaciter, ſaltem vt ſaluari poſſint: verùm quia non ſatis procliue eſt explicatu, quomodo gratiæ ſuæ adiumento alios iuuet efficaciter, alios verò tantùm ſufficienter; pauca, quæ lucem huic difficultati afferant, partim de eius in regendis cauſis ſecundis prouidentia, partim etiam de voluntate, qua quid antecedenter velit, quid conſequenter, videntur explicanda.

Vetus eſt, & iam pridem iactata in Scholis quæſtio, quî fieri poſſit, vt ſcientia Dei, quæ res futuras ita anteuertit, vt per eam certò præuideantur, cum ipſis rebus, quæ vt plurimum contingentes ſunt, præſertim cùm à libera hominis pendent voluntate, conciliari poſſit. non dicam, quidquid verè & eruditè in hanc partem diſputari ſolet à Theologis. neque enim id huius eſt otij. vnum erit duntaxat, quod admoneam, quoties certò Deus dicitur gratia agere aliquem, vt agat, id ad ſcientiã Dei eſſe referendum, neque aliam ob cauſam gratiam dici certam, & infallibilem, quàm quia & ipſa & illius effectus eâ ſciantur à Deo cognitione, in quam falſitas aut dubitatio cadere minimè poſſit. Ita fit, vt quæ colligitur inde neceſſitas, non obſit, quominùs res ipſa, quæ certò futura ſcitur, contingens ſit. Deus enim (vt ſcitè animaduerſum eſt ab Auguſtino libro 3. de lib. arbit. ſub initium, vbi quæſtionem hanc more ſuo tractat, infallibiliter ſciebat, quid eſſet *facturus voluntate non neceſſitate;* ſciebat, qualis erat gratia Angelorum & Adæ; ſciebat certò Angelos bonos perſeueraturos, cùm tamen eorum gratia eſſet iſtiuſmodi, vt ea potuerint non vti, quemadmodum ipſe Ianſenius profitetur; cui, vt quæ obiicit de gratiæ Chriſti neceſſitate, & infallibilitate petitâ, abſque negotio refellas, eidem, quæ de Adami, & Angelorum gratia cum certitudine diuinæ ſcientiæ coniuncta reſpondere cogitur, potes opponere.

At ne quid in ea parte peccetur, ne quid dicatur alie-

num.

num, conſulatur Auguſtinus loco citato cap. 2. & 3. & D. Thomas 1. p. quæſt. 19. art. 7. & 8. vbi explicatur, quomodo Dei voluntas efficax & immutabilis, certiſſimáque eius ſcientia, nullam rebus iis, quæ contingentes ſunt, inferat vim aut neceſſitatem, *ob cauſas* nimirum *creatas contingentes, & defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniunt.* Vbi duplex rerum ſtatuitur neceſſitas, abſoluta, & conditionalis; quæ ex prouiſione Dei & ſcientia petitur, conditionalis eſt, adeo vt *ex hoc ipſo quod nihil diuinæ voluntati reſiſtit, ſequatur quod non ſolùm fiant ea, quæ vult Deus fieri; ſed quòd fiant contingenter vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult.* Quod qui attenderit facilè deprehendet vanitatem rationum, quibus aduerſarij ex gratiæ diuinæ vi inſuperabili, & ſcientiæ certitudine, & quod voluntati illius reſiſti non poteſt, inferunt gratiam eam eſſe talem, vt ei conceſſæ homo non poſſit non conſentire.

Scio Ianſenium torſiſſe ſe plurimùm lib. 2. de gratia Chriſti cap. 25. vt multa Auguſtini dicta congereret, quibus Deum operari infallibiliter per gratiam perſuaderet; ſed quia parùm egit in eo conſideratè, nec attendit ſatis, quid agat in nobis gratia; ideo non videtur audiendus: nam cùm triplex ſit gratiæ effectus, poſſe, velle, agere, qui triplici Dei dono reſpondeat; malè colligit eſſe nullum, ſi tertius qui operis eſt, defuerit. Deinde ſi teſtimonia, quæ pro cauſa ſua affert ex Auguſtino conferantur in ſe ſe, nihil iis contineri obſeruabitur, niſi *agi te, ſi bene ageris, & bene agere, ſi à bono agaris*, & ſimilia. Sed nunquam ita loquitur, vt neget vllum prorſus vnquam agi, niſi & agat; nî fortè de aliqua peculiari gratia loquitur, & quæ aliter agat atque lex & doctrina, vt ſuperiùs oſtenſum eſt.

Addo etiam, quædam ibi Aduerſarium afferre teſtimonia, quibus Auguſtinus æquè de malis ac bonis oſtendit hominem non poſſe reſiſtere operanti Deo, huius voluntatem, & ſcientiam, tam certò finem ſibi propoſitum attingere, vt fruſtrari nunquam poſſit; quæ Ianſenius dicere nunquam animum induceret, ſi quorſum ſpectent, conſideraret; iis enim poſſet conficere cum Caluino, Deum mali, ipſiúſque adeò peccati, eſſe auctorem.

Digitized by Google

ARTICVLVS X.

Vtrum omnis gratia Chriſti voluntatem iuuet inſuperabiliter, & quomodo?

QVIA contigit aliquando Auguſtino, vt gratiæ Chriſti vim tribueret *efficaciſſimam, potentiſſimam, indeclinabilem, inſuperabilem, inuictiſſimam,* ex hoc capite contendit Aduerſarius, nullam Chriſti gratiam eſſe non efficacem, ſeu deficientem, ſícque Deum operari in nobis, vt nullo modo ei reſiſtere poſſimus. Hinc illa gratiæ efficientia, quæ vim eam voluntati inferat, vt nullam ei libertatis ſeu indifferentiæ copiam relinquat, ita videlicet rationem ſuam inſtituit Aduerſarius.

Verùm quàm parùm cautè hanc ſuam rationem inſtituat, conſtat inter omnes, primò, quia licèt gratia efficaciſſima dicatur, non tamen inde confici debet, nullam eſſe omninò, quæ talis non ſit, cùm præſertim apud Auguſtinum gratia Chriſti, tam varia, multipléxque ſit, cúmque ſæpenumerò de peculiari illa atque eximia gratia, quæ prædeſtinatorum propria eſt, vel de ea ſola quæ datur ad perſeuerandum agat, vt agit in libro de corrept. & gratia cap. 10. 11. 12. 13. 14. Vnde factum, vt illi vim inuictiſſimam aſſignaret.

Sed quia non ſatis cautus eſt vtplurimùm philoſophus Doctor noſter, neque in iis quæ pertinent ad Scholæ diſciplinam, cuius profitetur ſe ſemper fuiſſe negligentem, ſatis verſatus; fit ſæpè, vt rationes ſuas malè putet, & pro ſingulari colligat interdum vniuerſale, quemadmodum in præſenti negotio factum eſſe ab eo manifeſtum eſt: nam haud ſcio an legerit vnquam apud Auguſtinum, omnem prorſus Chriſti gratiam eſſe efficientiſſimam. Deinde, etſi hoc illi detur, quod pro ſummâ cauſæ noſtræ bonitate, liberaliter dari poteſt, licèt inquam omnis Chriſti gratia dicatur efficaciſſima, non propterea ſequitur, eam non poſſe per hominis voluntatem deficientem reddi non efficacem. Nam eſto per ſe ſe ſit efficaciſſima, tamen quia non eſt

efficiens conſenſum niſi mecum, ſi deſim gratiæ, eam vacuam efficere poſſum & inanem; Quis neget ignem illum Babylonicum, cuius meminit Scriptura, per ſe ſe fuiſſe ad vrendum efficaciſſimum? an propterea flammis abſumpti, qui miſſi fuerant in fornacem, pueri Hebræi?

At quid etiam pluribus opus eſt, vt tantâ in luce veritas videatur? ſuprà memoratus D. Thomas 3. p. quæſt. 62. artic. 6. & quæſt. 70. artic. 4. ait & quidem non obſcurè, *minimam gratiam poſſe reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale; quia minima charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.* an idcirco quis colligere meritò queat cum Iouiniano, nullum charitate præditum peccare mortaliter? minimè verò. Nam in 3. diſtinct. 31. qu. 1. art. 3. quærens, num quælibet charitas poſſit reſiſtere cuilibet tentationi, reſpondet, per quamlibet etiam paruam charitatem nos poſſe vincere tentationem quantumuis magnam, ita vt per liberum arbitrium à ſeruitute peccati liberatum ei non conſentiamus. *Cùm Deus* (inquit) *pugnanti auxilium ſemper adminiſtret.*

Num vocatio diuina dicitur ab Auguſtino potentiſſima? an idcirco nulla eſt, quæ non efficax ſit? certè nunquam huius erit amentiæ Ianſenius, qui hoc dicere ſuſtineat, poſtquam ab ipſo Chriſto dictum eſt, *vocaui & renuiſtis.* neque tamen minus potens eſt Deus, cùm vocat; quàm cùm per gratiam internam mouet, & excitat; Et vel illud vnum ſatis eſſe poteſt, quo omnia quæ iacit in nos Ianſenius tela, ex efficientia gratiæ Chriſti, Dei omnipotentiâ, infallibilitate & voluntate petita, quorum magnam copiam congerit lib. 2. de gratia Chriſti cap. 24. abſque vllo negotio declinari poſſint.

At perſæpe inquit, & præſertim lib. 4. de gratia Chriſti cap. 6. gratia Chriſti dicitur *inuincibiliter, inſuperabiliter, indeclinabiliter* voluntatem mouere. hinc *delectatio victrix, & inuicta* dici ſolet. Si vnquam mala mens iſtius hominis ſtupórque animi apparuit, hoc certè in loco eminet; nam ita ſtatuit de gratia, eiúſque delectatione, vt eam comparet cum voluntate; adeo vt vtramque quaſi duos pugiles inuicem committat, velítque gratiam ita cum voluntate agere.

Digitized by Google

eámque ſic mouere, vt vis gratiæ impreſſa voluntati ſit illi inuincibilis; pudebat illum vti voce Caluinianâ *irreſiſtibilis*, licèt idem velit; nec adiumento gratiæ motum & excitatum liberum arbitrium, ſeu voluntas poſſit non cedere, non conſentire, non vinci, non ſuperari, quantumuis reſiſtere cenſeatur; cùm tamen in omnibus locis quæ Ianſenius affert in hanc ſententiam ex Auguſtino, ipſe Auguſtinus gratiam & voluntatem hominis cum tentationibus, concupiſcentiis, ærumnis, & impedimentis ipſius gratiæ comparet, eáſque ſimul iunctas iſtis velit eſſe ſuperiores; quod quàm ſit à Ianſenianâ doctrinâ diuerſum, qui non videat, is haud dubiè cæcus fuerit. Nam ſi thoracem crudo ære aptum, & loricam calibe duratam quis indutus, perfodi gladio, aut ſclopeto penetrari non poſſit; an idcirco ille thoracem deponere nequeat, & ſi eum depoſuerit, ſpoliatus armis propterea non poterit vulnerari? quos faceret de ſe riſus, qui rem cum animo ſuo ita putaret? ita fermè negotium in re propoſita geri videtur. ita me Deus gratia ſua communit, & iuuat, vt ei nî deſim, omnem cupiditatis effrænatæ motum vincam, ſi ea vti velim. at an ita ſum ſemper animatus, vt velim? an gratia ipſa me ſic iuuat, vt ei deeſſe non poſſim? magna eſt, mî crede, Corneli, veritatis vis, quam quantumuis opprimere contendas, ſemper emergit; neque poteſt niſi ab obſtinatis diſſimulari.

Præclarè illud Ioannis dictum Epiſt. 1. cap. 3. poteſt etiam quidpiam lucis in rem noſtram afferre. *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Vt ego noui te Corneli, nî coniector vanus ſum, video quid ex hoc loco colligeres, ſi ſemper ad amuſſim dogmatis tui rem gereres, omnem nimirùm iuſtum peccare non poſſe, quia qui natus eſt ex Deo (vt eſt iuſtus) peccare non poteſt, hoc olim ſomniatum à Iouiniano accepimus, ſed ab omnibus Catholicis, ipſóque cum primis Diuo Thoma, planè reiectum.

Digitized by Google

ARTICVLVS XI.

Aliud S. Auguſtini teſtimonium exponitur.

AT locum affert lib. 4. de gratia Chriſti cap. 6. pro ſua inuicta gratiâ Doctor noſter ex Aug. in epiſt. ad Galat. minimè nobis prætermittendum, mirum enim quantum roboris in eo ponat, quàm eum deprædicet! *Teſtimonium*, inquit, *aureis characteribus ſcribendum*, *quo Auguſtini mentem pleniſſimè capiamus*, magnam facit expectationem tam prolixa commẽdatio: audiamus. Locus is petitus ex interpretatione iſtorum verborum Apoſtoli, *fructus ſpiritus eſt charitas. aduerſus huiuſmodi non eſt lex.* Sic Auguſtinus. *Vt intelligamus illos ſub lege poſitos, in quibus iſta non regnant, nam in quibus hæc regnant* (ſcilicet fructus ſpiritus) *ipſi lege legitimâ vtuntur, quia non eſt illis lex ad coërcendum poſita. maior enim & præpollentior delectatio eorum iuſtitia eſt ...... Regnant ergo ſpiritales iſti fructus in homine, in quo peccata non regnant, regnant autem iſta bona, ſi tantùm delectant, vt ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſenſionem ruat: vt v.g. occurrit forma ſpecioſa fœminæ, & mouet ad delectationem fornicationis: ſi.. ſi plus delectat pulchritudo illa intima & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc viuimus, & ſecundùm hanc operamur, vt non regnante in nobis peccato ad obediendum deſideriis eius, ſed regnante iuſtitia per charitatem, cum magna delectatione faciamus, quidquid in ea Deo placere cognoſcimus. Quod autem de caſtitate & de fornicatione dixi, hoc de cæteris intelligi volui.*

Non video quid erat cauſæ, cur ita hunc locum pro parte ſua commendaret Aduerſarius. Nam ſi quid ſit in eo, quod illi fauere queat, illud eſt, opinor, quod dicitur neceſſe eſſe, vt operemur ſecundùm id quod nos ampliùs delectat. At quis hoc neget? Nam quod ſemel animo conſtitutum habuimus, quódque poſt factam cum ſeriâ deliberatione electionem magis placitum eſt, ſi quod volumus, facimus, neceſſe eſt poſita illa electione, vt quod magis placet, faciamus; in quo, ſi qua ſit neceſſitas, ea non in electionem, quæ maximè

libera fuit, ſed in externam operationem reiici debet. Quod Ianſenius, quia non erat admodùm difficile, potuit obſeruare, ſed in eo paſſus eſt ſe decipi, quòd maiorem illam delectationem cum motibus etiam repentinis ſenſibúſque iis confundat, quos Auguſtinus deſideria carnis nuncupat, de quibus monet Apoſtolus, ne deſideria carnis perficiamus. Quo dicto ſignificat ſatis penes nos eſſe, poſitúmque in libertate noſtra, eiuſmodi motus cùm exurgunt, vel reprimere vel perficere.

Cæterum licèt neceſſe ſit nos operari, & viuere ſecundùm bonum, vel malum deſiderium quod nos magis delectat; non tamen neceſſarium eſt, vt alterutrum plus delectet, niſi velimus. Neque enim exiſtimandum eſt, duobus exortis deſideriis, carnis altero, altero ſpiritus, & pugnantibus inter ſe ſe, voluntatem otioſam, & deſidem expectare vtrum vincat, vt victoris partes ſequatur; ſed eam ita gerere ſe, vt alterutri ipſa per ſe momentum addat, & in eam partem dedat ſeſe, in quam plus inclinet, ſicque alterum vincat. nam ſub te erit appetitus peccati; & tu dominaberis illius, ait Deus Caino, odij ac inuidentiæ acribus ſtimulis peruſto, & nefariam cædem molienti.

Quapropter non ea mens eſt Auguſtini, vt ſolám gratiam, ſed eam iunctam cum voluntate regnare ac dominari aſſerat. *Maior*, inquit, *& præpollentior delectatio non gratiæ ſolius, ſed hominum ſpiritualium iuſtitia eſt.* Iuſtitiam autem non eſſe, niſi cùm voluntas, gratiæ ope excitata, ei liberè conſentit, nemo eſt, qui non norit. *Regnant autem iſta bona, ſi tantùm delectant, vt ipſa teneant animum, ne in peccati conſenſionem ruat.* An verò, cùm primùm exiſtunt eiuſmodi deſideria, abſque conſenſione voluntatis regnent? Imò verò, namq; vt regnent, ponit hanc conditionem Auguſtinus, *ſi tantum delectant*, neque verò delectant, niſi per ipſam victoriam, quæ teneat animum, ne peccato, quod pugnat aduerſus illa bona, conſentiat. Quantumuis igitur exiſtant peccati in nobis manentis deſideria, non propterea regnant, ac dominantur. Neque peccat in illis homo, niſi ipſe quadam inductione animi velit & conſentiat, ita vt adiutus gratia poſſit non conſentire. Nam ſuper hæc verba, *hæc inuicem aduerſantur, vt non ea quæ vultis*

Digitized by Google

faciatis: ſic habet Auguſtinus: *Putant hic homines, liberum voluntatis arbitrium negare Apoſtolum nos habere, nec intelligunt, hoc eis dictum, ſi gratiam fidei ſuſceptam tenere nolunt, per quam ſolam poſſunt ſpiritu ambulare, & concupiſcentias carnis non perficere. ſi ergo nolunt eam tenere, non poterunt ea quæ volunt facere.*

Quid preſsè magis enucleatéque in Aduerſarium dici poſſit? vult iſte cupiditatem carnis, & charitatem ita committi in ſeſe, vt alterutra victrix trahat in ſuas partes, rapiátque voluntatem modo quodam ineluctabili, atque inſuperabili, ita vt hæc non poſſit reſiſtere. Adami gratia, inquit, iuuat, & concupiſcentiam ſi voluntas velit ſuperat, quod de gratia Chriſtiana profiteri, videtur eſſe Pelagianum. contendítque proinde arbitrium noſtrum, eam ob rem dici liberum, quòd voluntas vi nulla cogitur extrinſecùs, ſed volens libénſque gratiæ vel concupiſcentiæ vi atque inclinationi cedit; non quidem inuita, quia maximè vult, ſed ita vt neceſſitas illam eò ferat, nec poſſit non cedere. At Auguſtinus quod, aduerſante etiam carne ac ſpiritu, homines dicuntur non facere ea, quæ volunt, ſic monet eſſe intelligendum, ſi *gratiam fidei ſuſceptam tenere nolunt*, alioqui fatetur non futurum in nobis liberum arbitrium. Quid autem eſt ſi *nolunt gratiam ſuſceptam tenere*, niſi eos illam tenere, quia volunt, & poſſe tenere, aut non tenere ſi volunt. *Si,* inquit, *nolunt gratiam tenere, non poterunt ea quæ volunt facere; volunt enim operari opera iuſtitiæ, quæ ſunt in lege,* id eſt placet, & id deſiderant, at non efficaciter, licèt gratiæ motu excitati, *ſed vincuntur concupiſcentia carnis, quam ſequendo deſerunt gratiam* fidei; ſic vt poſſint non obſequi concupiſcentiæ, ſi gratiam tenere voluerint. Nec priùs gratiâ fidei deſerantur, quàm illam vt ſe dedant cupiditati, deſerant, quod poſſunt non facere, ſi gratia vti velint.

Illa ſunt quæ poterant obſeruari in illo tam celebri teſtimonio, quod velut aliquod Delphicum oraculum aureis deſcribendum characteribus nobis tanta verborum oſtentatione commendauerat Ianſenius.

Neque videtur prætereundum inſigne illud, quod affert ex lib. de correp. & gratia, in quo ſuprà quàm dici poteſt ſibi

placet, doctrinæ totius Ianſenianæ fatale Palladium putes, adeò. ſibi nouus iſte grex omnis eo fidenter exultat & gloriatur. ſic habet cap. 5. *Deum poſſe quem velit ad dolorem ſalubrem pœnitentiæ occultiſſima & potentiſſima medicinæ ſua poteſtate perducere, & etiam nullo homine corripiente corrigere.* Sed quid inde conficiat aliud Iprenſis, quàm vt oſtendat Auguſtinum vim gratiæ internæ cum externa hominis correptione comparare? Quis te alter confidentior eſt homo, Corneli? qui tam impotenter fiduciam tuam in re ita tenui oſtentas? ſed audi eundem magiſtrum tuum, noſtrúmque Auguſtinum qui cap. 8. inducit Chriſtum pro Petro orantem. quomodo autem? attende, & finge te, ſi potes, ad illius mentem & doctrinam. *Quando rogauit* Chriſtus, inquit, *ne fides eius*, Petri nimirum, *deficeret, quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem? ... Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam; ſed gratia potiùs libertatem, & vt perſeueret delectabilem perpetuitatem & inſuperabilem fortitudinem.* Vides non gratiam dici voluntati eſſe inſuperabilem, ſed illam fieri gratia inuictiſſimam, à qua vim accipiat, quæ frangi difficultatibus, aut motibus tentationum effrænatis ſuperari non poſſit.

Quid habes præterea in quo confidere queas? vbi labefactatum eſt tuum illud munitiſſimum prẹſidium? hoc fortaſſe, quod prompſiſti ex lib. 2. poſt. contra Iul. c. 217. *Gratia donat vt delectatio peccati iuſtitiæ delectatione vincatur.* Sed facit hoc loco Ianſenius, quod facere ſolent milites deſperati, quibus cùm arma erepta ſunt, ſe tuentur omnibus iis, ac defendunt, quæ furori ſuo ac deſperationi ſe obiiciunt; nam patet ex antè dictis quàm nihil faueat Aduerſario, illud dictum Auguſtini, cùm in ipſa delectatione iuſtitiæ voluntatis conſenſus intelligatur.

Quàm verò parùm conſideratè petitum hunc ex lib. 2. de peccat. mer. c. 17. locum pro ſe afferat, nihil eſt cur dicendo perſequar; cùm res ipſa per ſe manifeſta ſit, velim etiam atque etiam veritatis ſtudioſi & amantes animaduertant. *Cum voluntate humanâ*, inquit, *gratiâ adiuuante diuinâ, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillimè, ac vera-*

veraciſſimè, reſpondere, quia homines nolunt, ſed ſi ex me quæritur, quare nolint, imus in longum. Abſtinuit Auguſtinus ab curioſiori difficultatis illius perueſtigatione. Modeſtè factum exiſtimauit fortaſſe, tutius futurum rem non attingere. At vbi hæret Auguſtinus, fertur audacter Ianſenius plenus fiduciâ ſui, quæſtionémque, à qua, præ rei difficultate nimiâ, ſibi temperandum exiſtimauerat antiquus ille Eccleſiæ Doctor, nouus homo noſter non dubitat momento decernere, non quia nolunt, inquit, cùm poſſint; ſed quia vi concupiſcentiæ abſtracti idcirco nolunt, quia non poſſunt, nec poſſunt, quia in pœnam peccati originalis deſeruntur à Deo, nullámque gratiam poſſibilitatis habent, ſi enim poſſent, vellent non peccare. Ita rem decîdit arbiter rerum iſtarum recentiſſimus, cùm Auguſtinus putet etiam gratia adiuuante poſſe homines non peccare cùm volunt, alioqui non quæreret cur cùm poſſunt nolunt.

Addit verò Auguſtinus ignorantiam & cupiditatem vitia eſſe quæ voluntatem, ne moueatur ad opus bonum faciendum, vel ab opere malo abſtinendum, impediant, *& nolle homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat. Tantò enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quàm bonum ſit nouimus, eóque delectamur ardentius.... Vt autem innoteſcat, quod latebat, & ſuaue fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adiuuat voluntates.* En meminit gratiæ diuinæ. At vbi quæſo vis illa inſuperabilis voluntati? & vt loquuntur Caluiniani *irreſiſtibilis*? ſanè quidem quòd illa delectatio quæ voluntatem perfundit, eam non adigat, nec modo quodam ineluctabili ſubactam teneat, ex eo colligi poteſt, quòd non ſecùs de delectatione mentionem faciat, quàm de ſcientia, quę, ipſo teſte Aduerſario, voluntatem ita iuuat, vt nullam ei inducat neceſſitatem.

Quæri autem hîc meritò poteſt, cur Ianſenius non addiderit quę conſequuntur verba. Nam poſteaquàm dixit illud gratiæ eſſe, quæ hominum adiuuat voluntates, ſubiicit, *qua vt non adiuuentur in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, ſiue ſint damnandi ſiue erudiendi,* addit cauſam in ipſis eſſe ſuperbiam, ne fortè quis cum Ianſenio dicat eſſe peccatum originis. Eadem repetit in Enchir. cap. 8. Auguſtinus, & contra

Digitized by Google

duo ignorantiæ, & infirmitatis mala nos quidem pugnare oportere, ſed vinci, *niſi diuinitus adiuuemur, vt non ſolùm videamus, quid faciendum ſit; ſed etiam accedente ſanitate, delectatio iuſtitiæ vincat in nobis.* Quid autem vincat? nam cauſam obtinuit Aduerſarius, ſi voluntatem vincat. *Earum rerum delectationes*, addit Auguſtinus, *quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo ſcientes videntéſque peccamus.* Ita videlicet delectatione iuſtitiæ praua delectatio, non verò voluntas ſuperatur.

Articvlvs XII.

Vtrum Deus ita gratia ſua voluntatem noſtram agat, inclinet, & trahat, vt hæc ei non poſſit reſiſtere.

Tertia eſt machina, quam adhibet Aduerſarius, vt omnem voluntatis ad bonum gratia Chriſti adiutæ indifferentiam tollat. Idque imprimis vrget ex eo, quod Deus ſæpenumero dicitur in nobis operari ipſum velle, & perficere. Deinde quòd ipſa voluntas non modò dici, aut regi à Deo, ſed etiam agi vulgò, prætereà inclinari, poſtremò trahi perhibeatur. Verùm quid afferat ab Auguſtino Aduerſarius, vt hanc ſuam doctrinam ſtabiliat, expendamus. Nam vel iurato Ianſenio non crediderim. niſi illius vel fidem vel intelligentiam in Auguſtino proferendo priùs habuerim exploratam.

Fateor equidem, nihil frequentius haberi in Auguſtino pro aſſerendâ gratiæ voluntatis, & actionis contra Pelagium neceſſitate, quàm Deum in nobis operari velle ipſum, & perficere pro bona voluntate. Verùm id ait fieri, cùm bona voluntas præparatur à Domino, nihílque planè boni habemus, quod ab eo non acceperimus. Quod, opinor, in ipſis Angelis, & Adamo locum habuiſſe Ianſenius non negauerit. Ita autem in Pſ. 118. Auguſtinus: *ipſum velle Deus operatur in omnibus bonis: præparatur enim voluntas à Domino.* In retract. cap. 10. lib. 1. quod olim dixerat, *præcepta Dei implere omnes homines, ſi velint, verum,* inquit, *eſt omninò omnes homines hoc poſſe, ſi velint, ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm au-*

getur munere charitatis, vt poßint: Quod & in ipſis Angelis, & Adamo factum eſſe vult cap. 13. *in grandibus voluntatem ſanari, & præparari à Domino, quod ſit ſpiritu fidei, & voluntatis.* cap. autem 26. ponit *eam præparationem in miſericordia Dei præuenienie.* Epiſt. 107. coniungit iſta duo. *A Domino greſſus hominis dirigitur, & præparatur voluntas à Domino, & Deus eſt qui operatur in nobis velle, vt commendet veram Dei gratiam, quæ non datur ſecundùm merita, ſed dat merita ipſa cùm datur, quia* bonam hominis voluntatem *præuenit, nec eam cuiuſquam inuenit in corde, ſed facit.* Id verò in ipſis Angelis, compertum quis ignoret? pleraque ſunt alia eiuſmodi, quæ omitto, & ſic diſputo contra Ianſenium. Deus ita nos occupat gratiâ ſuâ, vt voluntatem ipſam præparet, atque in ea non modò poſſe bonum, ſed agere pro bona ſua voluntate operetur, quod verè dictum ab Auguſtino, & à Ianſenio præclarè obſeruatũ, non nego; Id porrò cùm in ipſis quoque Angelis perfectum ſit, cùm tamen iſti gratiæ reſiſtere potuerint; colligendum eſt, eam quam Deus operatur in nobis gratiam non eſſe eiuſmodi, cui reſiſtere non poſſimus, etiam cùm facit, vt non reſiſtamus. Hoc tamen contendebat Aduerſarius inſcitè.

Alterum verò quod opponit, ex eo promptum eſt, quod Deus apud Auguſtinum voluntatem trahere dicitur ad ſe, non tantùm ducere, adeò vt vis illa neceſſitatem ei imprimat inuincibilem. nihil hîc dicit, quod à Caluino non dictum ſit. De Auguſtino videamus. Ille lib. 1. ad Bonif. cap. 19. quod *Pelagiani in bono opere ſic putant adiuuari hominem gratia Dei, vt in excitanda eius ad bonum opus voluntate nihil eam credant operari.* Sic confutat. *Quia Chriſtus dixit, nemo poteſt venire ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: non enim ait duxerit, vt iſtic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur ſi iam volebat? & tamen nemo venit, niſi iam velit. Trahitur ergo miris modis ab illo, qui nouit intùs in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.* Si nemò venit ad Chriſtum ſeu credit, niſi traxerit eum pater. nec niſi velit, pertractus credit, ſi velit, quod ipſo teſte Aduerſario gratiæ Adamo datæ, & liberi arbitrij indifferentiam retinentis vera eſt & germana nota, adeò vt qui ex nolente volens credere

Digitized by Google

ſit, cùm à Deo trahitur, ita trahatur, vt credat quia vult & poſſit non credere, cùm credit ſi velit. Dixerat paulò antè cap. 3. idem eſſe trahi à patre, atque id quod dicitur datum à patre. *Ille quippe trahitur ad Chriſtum, cui datur vt credat in Chriſtum,* ídque ait fieri, *cùm datur poteſtas.* In quo hactenùs nihil video neceſſitatis, ſed quantum colligere licet ex Auguſtino, gratia poſſibilitatis, & adiutorium *ſine quo non*, eſt aliqua attractio, quod docet lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8.

At quid pluribus opus eſt? Videamus apud Auguſtinum quid ſit trahi à patre. explicat enim ex inſtituto dictum illud Ioan. cap. 6. tract. 26. *Noli*, inquit, *te cogitare inuitum trahi: trahitur animus & amore; parum eſt voluntate ire, etiam voluntate traheris... porrò ſi poëtæ dicere ſolent, trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, ſed voluptas, non obligatio, ſed delectatio, ... vide quia tractus eſt, & à patre tractus eſt*, (Petrus cui reuelauit Pater Chriſtum eſſe filium Dei) *iſta reuelatio ipſa eſt attractio ...... ſi iſta quæ inter delitias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus trahunt, quoniam verum eſt, trahit ſua quemq; voluptas, non trahit reuelatus Chriſtus à Patre?* Ex quibus intelligat aliquando Ianſenius, quod pridem factum oportuerat, attractionem eſſe ſine neceſſitate, ſolam reuelationem delectationémque, qua placet veritas, beatitudo, iuſtitia, eſſe attractionem; neque tamen, vt ipſe profitetur, vel reuelatio, vel ſimplex delectâtio, animum ita mouet, vt ei indifferentiam tollat. Quapropter parùm prudens videtur Ianſenius, cum ſuo Caluino, qui nolit voluntatis indifferentiam cum illâ gratiæ diuinæ attractione, retineri poſſe.

Opponit prætereа illud, quo dicitur Deus cor noſtrum inclinare, nec ducere modò, aut regere, ſed prorſus agere, ita vt agat intus in corde, quidquid in eo fit. & illud ex cap. 14. de correp. & gratia, cùm diſcipulis identidem inſinûat, *intus egit, corda tenuit*, &c.

At ô ſingularem hominis vel ſtuporem, vel malitiam. eodem enim loco Caluinus abutitur, vt nefariam illam, horrendámque blaſphemiam ſtabiliat, qua Deum peccati auctorem facit, eúmque non modò pati flagitia, & permittere, ſed etiam, quo quid dirius excogitari poteſt, omninò

velle, & procurare. Verùm conſtat inter omnes in Auguſtini doctrina bene inſtitutos, omnibus iis locis eum æquè de mala & indifferenti, atque de bona hominum voluntate diſputare. At quia viſum eſt Ianſenio in eo ipſo fucum fieri poſſe, iiſdem vtitur teſtimoniis, vt ſuam illam gratiæ Chriſti vim ineluctabilem, cui voluntas reſiſtendo par non ſit, conſtituat; ſed palam facienda fraus eius omnis, & quia dubię vir eſt fidei, teſtimonia quæ pro cauſa ſua affert, explorari par eſt. Cap. illo 14. vt Auguſtinus probet; quod Deo volenti ſaluum facere, *nullum hominis reſiſtit arbitrium.* Sic rationem ſuam inſtruit; ita *enim velle & nolle in volentis & nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. de his enim qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe quæ vult.* Manifeſtum eſt ibi mentionem eſſe de flagitioſis hominibus, qui faciunt quæ Deus fieri minimè velit, quæque ille vetet, ita eum facere quæ vult, vt ei nullum reſiſtat hominis arbitrium.

Deinde poſtquam non omnes ſaluos fieri, & ſi Deus velit omnes ſaluos fieri, obiecit. ſubinde reſpondet, *Non eſſe dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & in terra, omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam illa, quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minùs faciat, ipſe quod vult, quandoquidem, etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit, niſi fortè (vt ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Saüli regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraëlitarum ſubdere ſe memorato viro, ſiue non ſubdere, quod vtique in eorum erat poſitum voluntate, vt etiam Deo valerent reſiſtere.* Poſitum erat (inquit) in poteſtate Iſraëlitarum, & voluntate, Saüli ſubdere ſe, vel non ſubdere, en, opinor, indifferentis arbitrij nota, nihilominùs ita ſe illi ſubdiderunt, vt poſſent ſe non ſubdere, neque tamen poterant Deo reſiſtere. *Qui hæc non fecit niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum, omnipotentiſſimam poteſtatem.* Illa eſt ſcilicet vulgaris Ianſenianæ Scholæ cantilena, hoc ſolemne dictum, voluntatem gratiæ Chriſti ita conſentire, vt diſſentire non poſſit, neceſſariò ferri in bonum. Deus enim per ſuam poteſtatem, & gratiam omnipotentem cui liberum arbitrium reſiſtere non poteſt,

Digitized by Google

quoquò dederit impetum, voluntatem inclinat. Verùm licèt Deus Hebræorum animos ſuâ inuictâ poteſtate inclinarit, vt ſe Saüli ſubderent, tamen ſe ſubdebant liberè, ſic vt poſſent non ſubdere ſe, etiam cùm ſe ſubdebant.

Idem ſtatuendum de iis, qui Dauidem ſecuti ſunt, ac potiſſimùm de Amaſæi principe, qui *non potuit aduerſari voluntati Dei, qui in eius corde operatus eſt per ſpiritum ſuum*; neque tamen credo dubitauerit quiſquam, Dauidem omnibus libentiſſimis regem fuiſſe conſtitutum. *Quis non videat? quis hoc neget? & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit, operatur.... & quomodo eos adduxit? nunquid corporalibus vllis vinculis alligauit? intus egit, corda tenuit, eóſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit.* Quod autem id non dicat de ſola Chriſti gratia, patet ex iis quæ proximè ſubiicit. *Si ergo cùm voluerit reges in terra Deus conſtituere, magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas, quis alius facit vt ſalubris ſit correptio, & fiat correpti correctio, vt cæleſti conſtituatur in regno?* gratia quidem Chriſti non datur, niſi ad regnum cæleſte conſtituendum; at per eam Deum iſtud præſtare conficit Auguſtinus, quia in conſtituendo regno terreno Deus abſque eadem gratiâ illa omnia præſtitit.

Quapropter cùm, vt habetur lib. de Prædeſtin. SS. cap. 20. contenderent Maſſilienſes quod in eo loco allatum fuerat ab Auguſtino in exemplum non violatæ à Deo per gratiæ motus internos libertatis, cauſæ non eſſe accommodatum, quòd ad regnum æternum conſtituendum non id pertineret, profert alia Auguſtinus quæ de gratia, déque regno Dei ſint accipienda, additque abſurdum eſſe, *ſi credimus ad conſtituenda regna terrena, hominum voluntates operari Deum, & ad capeſſendum regnum cælorum homines operari voluntates ſuas*. quæ videbatur eſſe declinatio Maſſilienſium. At liquet ex his, ſuperiùs dicta æquè de mala mediáque (ſi quæ tamen ſit vt eſſe aiunt nonnulli) ac de bona voluntate ab Auguſtino vſurpari. Quod clariùs etiam docet lib. de gratia & lib. arbit. cap. 20. *Scriptura diuina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas in actus bonos, & in æternam di-*

rigit vitam, verùm etiam quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas, ſicut ipſe iudicat Deus occultiſſimo quidem iudicio, ſed ſine vllâ dubitatione iuſtiſſimo. quod pluribus Scripturæ teſtimoniis confirmat, vt cùm Iſraël verſus in fugam ab hoſtibus, Ioſue cap. 7. *Quid eſt, non poterant ſubſiſtere? Quare non ſubſiſtebant per liberum arbitrium, ſed per timorem turbatâ voluntate fugiebant, niſi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem conuertit iratus?* Tum addit de Semei Dauidem maledictis inceſſente, *eius voluntatem proprio vitio ſuo malam, in hoc peccatum iudicio ſuo inclinauit.* Et capite viceſimo primo: *Agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quidquid vult; agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omninò iniuſtè aliquid velle non nouit.* Demum poſt allatam teſtimoniorum magnam vim, *Manifeſtatur,* inquit, *operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordiâ, ſiue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique ſuo, aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto.* Poſtremò de vi & mirabili gratiæ efficientia, ſic ſermonem concludit: *Si autem potens eſt ſiue per Angelos vel bonos, vel malos, ſiue quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum... quid mirum eſt, ſi per Spiritum ſanctum operatur in cordibus electorum ſuorum bona, qui operatus eſt, vt ipſa corda eſſent ex malis bona?* Vnde liquidò conſtat, nihil fuiſſe cauſæ Aduerſario, cur gratiæ vim inuictam ex his locis Auguſtini quæ attulit, ita commendaret; cùm quidquid in hanc partem ab Auguſtino dictum ſit, ad malam voluntatem, quæ abſque gratia fit, ex æquo pertineat. Vnum autem mihi Aduerſarius hîc admonendus eſt, cùm dat ſe locus, vt obiter animaduertat diſtingui ab Auguſtino duplicem effectum gratiæ; alterum, quo voluntas ex mala bona fit; alterum, motum ipſum voluntatis, cuius ipſa conuerſio in bonum effectio ſit, adeóque totam Chriſti gratiam non in ſola volitione collocatam eſſe.

At verò in lib. I. ad Bonif. poſtquam cap. 19. miris mo-

dis voluntatem trahi declarauit, cap. 20. id probat iiſdem teſtimoniis, quibus illis in locis vſus eſt, ac præſertim exemplo Aſſueri, quem Deus Heſteri placabilem ac benignum reddiderat, *Occultiſſima*, inquit, *& efficaciſſima poteſtate conuertit. ſecundùm illud Deus eſt, qui operatur in nobis velle.* ac demum ita concludit: *Nunquid homines Dei, qui hæc ſcripſerunt, imò ipſe Spiritus Dei quo auctore per eos iſta conſcripta ſunt, oppugnauit liberum hominis arbitrium; Abſit ſed omnipotenti in omnibus & iudicium iuſtiſſimum & auxilium Dei miſericordiſſimum commendauit.*

Quibus omnibus perſuaſum habetur quàm iniquus ſit cum Caluino Ianſenius, qui totis faucibus clamet, atque vociferetur Deum trahere gratiâ ſuâ hominum mentes, inclinare, agere potentiſſima & efficaciſſima ſua poteſtate; vt probet vim gratiæ inſuperabilem, cui voluntas ita conſentiat, vt non conſentire non poſſit. Quod tamen ſic tenet cum Caluino, nam non iam poteſt obſcurè ferri, quid inter vtrumque ſit diſcriminis, vt ille per diuinam gratiam liberum hominis arbitrium tolli velit, quia nullum ſine indifferentia ſinit eſſe. Is verò non tollat omnino, ſed verbo tenùs relinquat; cùm omni ſpoliatum indifferentiâ in ipſa voluntate, quæ ſuæ ſpontis ſit, conſtituat. Quam hominis inſulſitatem, quæſo, quis patiens adeò moderatúſque ſit, vt ferat? ſi enim eodem in loco haberi debeat voluntas, & libera voluntas, nihílque ſit inter vtramque differentiæ, quemadmodum diſputat; operam perdidit Auguſtinus, qui in tuendâ libertate arbitrij, & cum illa vi efficaciſſima qua Deus dicitur inclinare voluntatem, conciliandâ tantopere tam fruſtra deſudauerit. Quid enim magis ineptum ſit, quàm dubitare, an Deus cùm motum voluntatis operatur, ſeruet nihilominus liberum arbitrium, ſi nullus voluntatis motus eſſe poſſit quin liber ſit; perinde enim eſſet, ac ſi quis quæreret, vtrum Deus cùm hominem conſtituit, rationem, quâ conſtituitur, deſtruat.

Verùm cùm magis inſinuauerit ſe ſe in doctrinam Caluini Ianſenius, paullò magis quàm par eſſet, in tantam pernicioſa hac conſuetudine deuenit fiduciam ſui, vt vel ipſo Caluino plus interdum audere non dubitauerit. cùm enim Caluinus

uinus non in re familiari ac domeſtica, humaníſque actionibus, cuiuſmodi ſunt contrahere cum altero, in fundo ſuo facere ſementem, putare arbores, ambulare, ſed tantùm in iis quæ pertinerent ad mores, libertatem arbitrij apertè ſuſtulerit; plus eo facit Ianſenius, qui in iis quoque quæ vitæ, vel priuatæ ſunt vel publicæ, nihílque ad mores attinent, locum habere velit, quod de libertate arbitrij docet. Quod cùm conſtituit, non video ſatis quomodo poſſit excuſari, quin Deum auctorem mali, quemadmodum facit Caluinus, inductorémque faciat; ſi porro pergat dicere, quoties Deus operatur voluntatem, cor trahere, inclinare quò velit, ſicque vi ſua potentiſſima mentem animúmque afficere, vt nullo modo Deo ſic agenti mouentíque voluntas hominis reſiſtere poſſit.

LIBERTATIS ET GRATIÆ CHRISTIANÆ DEFENSIO.

LIBER SECVNDVS.

De veterum Semipelagianorum, circa gratiæ Chriſtianæ neceſsitatem, erroribus.

PRÆFATIO.

CVM *rectam ſanámque Catholicorum Theologorum doctrinam, in hæreſis Semipelagianæ ſuſpicionem, tanto clamoris & iactantiæ apparatu vocant Ianſeniani, pro more inſtituto cæterorum hæreticorum faciunt; qui aucupes imitati, à tutioribus locis aues eas, quibus inſidias moliuntur, vano & inani ſtrepitu deterrere ſolent, vt illas demum ſuos in laqueos inducant. Initæ cum Semipelagianis conſuetudinis factioniſque, Molinæ ſectatores accuſant, eóſque hac ſuſpicione grauari volunt; Quàm iniuſtè ex eo liquet, quod ipſis Semipelagianis fictos errores imponunt, qui cum rectâ*

Digitized by Google

doctrina cognationem habent; vt ex ſectæ iſtius propinquitate vel mentitâ, inuidiam & odium in Catholicos deriuent.

Ita videlicet factum olim audiuimus à Neſtorianis, qui Catholicos, idolorum cultores appellabant, quòd cùm Chriſtum adorarent, cultum, qui Deo debetur vni, rei creatæ exhiberent. Ita proditum de Arrianis, qui Sabellianorum erroribus: ita de Pelagianis, qui deliriis Manichæorum orthodoxos inſimulabant.

Non mihi propoſitum eſt hoc loco defenſionem inſtituere bene longam, pro eorum causâ, qui Molinæ partes amplexi ſunt; cuius nomen, quidquid dicant omnes ij, qui ſe rebus nouandis duces præbuere, nullâ video apud Doctores Catholicos inuidiâ laborare. Certè ſi quid in eius doctrinâ reſidere ſuſpicionis poſt tam diligentem, quæ facta eſt in eam, toto quinquennio, in Luſitania primùm, tum in Hiſpania, poſtremò Romæ, animaduerſionem, fuiſſet compertum, illud (opinor) à Sede Catholicâ declaratum eſſet; quod non modò non factum eſt, ſed Sedis ipſius auctoritate conſtitutum, eam tutò retineri poſſe.

Verùm prætermiſſis, quæ ad iuſtiſſimam doctrinæ illius defenſionem poſſent afferri bene multis, hanc vnam in altero iſto libro operam dabo, vt, qui veri fuerint Semipelagianorum errores, qui falsò illis impoſiti, intelligatur; ſic perficiam, vt nominis hac ætate odioſi turpis nota, & detur iis quibus conuenit, & ab iis, ad quos non pertinet, remoueatur.

Digitized by Google

CAPVT I.

Quæſtionis, quæ nobis eſt cum Ianſenio, ſtatus exponitur.

PLACET imprimis, ne feratur extra fines ſuos diſputationis inſtitutæ propoſitum, certos illi definire terminos, quibus contineatur. Prætermiſſis itaque, qui ad rem nihil attineant, Maſſilienſium, aut Semipelagianorum erroribus aliis, hoc quæram vnum. Quid de neceſſitate gratiæ Chriſtianæ, ſeu per Chriſtum datæ hominibus pro ſalutis adeptione, ab illis traditum, conſtitutúmque ſit.

Conſtat inter omnes cùm partium noſtrarum, tum aduerſariarum, Theologos, atque Doctores, in eo præſertim à Semipelagianis eſſe erratum, quòd affirmarent abſque vllo gratiæ Chriſti adiumento, ad ſalutis qualecumque initium ſufficere homini naturæ humanæ vim poſt Adæ ruinam relictam, videlicet rationem, qua ille bonum ſecernat à malo, & ad vtrumque liberum & indifferens arbitrium per ſeſe eſſe ſatis, ſi modò legis adiumentum, & doctrinæ, ad naturæ vires accederet. Neque aliam, opinor, ob cauſam Maſſilienſes dicti ſunt Semipelagiani, quàm quòd in eo circa neceſſitatem gratiæ dogmate partim conſentirent cum Pelagianis, partim etiam diſſentirent. Non enim eò venerant impietatis, vt cum Pelagio, & Cæleſtio naturæ vires per ſe ad omnia præcepta diuina ritè obeunda ſufficere contenderent, negaréntque veram Chriſti gratiam deſiderari, niſi vt quæ bona facere poſſet homo, faceret minùs difficulter ac impeditè.

Neque hîc diſputabo, quo primùm tempore id appellationis is error ſortitus ſit; id vnum obſeruabo, antequam prodirent Maſſilienſes, Iulianum, cæteróſque Pelagij ſectatores in admittenda gratiæ Chriſti neceſſitate longè Magiſtro fuiſſe liberaliores, vt patet ex libris Auguſtini ad Bo-

niſacium. Qui verò Maſſilienſes habebantur, & Semipelagiani, profitebantur cum Catholicis gratiam Chriſti eſſe ad omne prorſus bonum iuſtitiæ Chriſtianæ neceſſariam, excepto ſolo fidei, & iuſtificationis initio, quod ab homine proficiſci volebant, vt eſſet aliquid vnde gratia Dei determinaretur, ne videlicet, quod ab eis ita iactabatur; Deus perſonarum acceptor eſſe videatur.

Porrò Ianſenius, necnon inter eius Diſcipulos, academiæ Pariſienſis Profeſſor quidam Theologus, duas ſtatuunt Semipelagianorum claſſes, in quarum alterâ ponunt eos de quibus ſuprà dictum; in alterâ verò quoſdam mitiores, qui doctrinæ erant paullò temperatioris; aiúntque ab mitioribus iis, homini ad iuſtitiæ qualecumque initium requiri quidpiam gratiæ, illius olim Adamo innocenti conceſſæ, vt erat vel ipſa illuſtratio intellectus, vel voluntatis inſpiratio, in quibus veram Chriſti gratiam eſſe aſſerunt Doctores Catholici, negant aduerſarij. In eo verò duntaxat vno eorum errorem illi collocant, quòd præter illa dona quæ primæ hominis integritatis erant propria, nullum aliud gratię Chriſtianæ, hoc eſt Ianſenianæ, adiumentum poſtularent. Quorſum verò ſpectet noua hæc in duas ſectas Semipelagianorum partitio, de qua mirum apud antiquos ſilentium, quis non ſentiat? cùm præſertim tam recens ſcholæ Ianſenianæ ſit inuentum; quæ ideò molitur, vt in Semipelagianæ hæreſis ſuſpicionem vocet illos omnes Doctores, ac Theologos, qui gratiæ vel ſufficientis, vel congruæ, vel etiam ita efficacis, vt eius vſus à libero pendeat hominis arbitrio, auxilium, aliúdque cuiuſuis generis ſit, præter Ianſenianum, diuinæ opis & gratię Chriſtianæ adiumentum putant eſſe admittendum. Quis credat id cuiquam in mentem venire potuiſſe, nouam & inauditam hactenus Semipelagianorum ſectam cudere, vt gratiæ ſufficientis defenſores Semipelagiani habeantur? O Doctores mortalium acutiſſimos! ô ſubtilitatem ingenij mirificam! Quid eſt quæſo tricari, ſi iſtud non eſt?

Verùm ne Ianſenium falsò criminari videar, aut hominem animi gratiâ ludificari, ipſas illius voces proferam, ſi priùs monuero cum ita duplex illud Semipelagianorum genus l. 1.

Digitized by Google

de hæreſi Pelag. c. 2. diſtinguere, vt Caſſianum & Fauſtum Regienſem recenſeat inter rigidiores, Vitalem verò quem refellit Auguſtinus epiſt. 107. & ipſum Auguſtinum cùm nondum eſſet Epiſcopus, in mollioribus, minúſque à rectâ fide diuerſis cenſeat eſſe numerandum. Illud autem quoddam naturæ, & gratiæ quaſi temperamentum, gratiam nimirùm *poſsibilitatis* multos non minùs nunc, quàm olim imprudentes atque incautos, lib. 6. de hæreſ. Pelag. cap. vltimo deludere docet. Sic autem diſputat ea de re lib. 8. de hæreſ. Pelag. cap. 6. *In hoc propriè Maſsilienſium error ſitus eſt, quòd aliquid primariæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam ſi voluiſſet, poterat perſeueranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellet; neuter tamen abſque interioris gratiæ adiutorio, cuius vſus, vel abuſus relictus eſſet in vniuſcuiuſque arbitrio, & poteſtate.* Et poſtea: *Quandocumque Maſsilienſes naturalem illam libertatem, & poſsibilitatem ex Adami integritate reliquam prædicant, & ei ſaltem fidem tribuunt, nunquam eos illam Adami gratiam excludere.* Cap. 7. vult Gennadium Semipelagianum eſſe in eo quod ait, *illud ſaltem homini manſiſſe reliquum, vt poſtquam vocante Deo cor eius per inſpirationem gratiæ tactum eſt, pœniteat, electio pœnitendi, vel non pœnitendi non per gratiam libertati, ſeu voluntati detur, vt Auguſtinus, & Catholica fides docet, ſed ipſa libertas voluntatis pœnitentiam, quamuis non ſine iſta gratia, vt viſum fuerit, eligat, aut non eligat.* Et cap. 8. *Internam illam gratiam, ſine qua creatura rationalis nihil prorſus boni poteſt, etiam ad credendum, petendum, & quærendum admiſerunt .... In hoc ergo propriè Maſsilienſium ... error ſitus fuit, quod Angelorum ſanctorum, & ſtantis hominis adiutorium, in quo intelligendo, & admittendo nulla penitùs ipſis difficultas fuit, etiam lapſis hominibus hactenus ſufficere voluerint, vt quia non penitùs eſſet deprauata, vel extincta natura cum illo eodem auxilio perdurante, quo anteà in Adamo cuncta poterant, poſſent etiam nunc lapſi, fracti, & ægri ſaltem credere, & à ſua infirmitate velle ſanari: nec opus eſſe, vt per illam aliam gratiam ægrotis propriam, quam Chriſtus attulit, ipſa credendi voluntas donaretur, ſeu, vt etiam dicunt, donaretur vt velit, reiectis ab illo dono pariter reis. Talem enim gratiam vo-*

lunt, non ad initium bonæ voluntatis, ſeu ad credendum, ſed tantùm ad operandum eſſe neceſſariam, quia aliquid integritatis in natura remanſerit, propter quam cum illo Adami, & Angelorum adiutorio, ſi vellet, crederet, non autem ſi vellet, poſſet operari.

Quod autem de initio fidei ſenſerunt Maſſilienſes, id eoſdem de perſeuerantia in fide, non autem de operibus, aut de perſeuerantia in illis ſenſiſſe, Ianſenius ibidem cap. 14. docet, & lib. 9. de Grat. Chr. cap. 11. & eos eamobrem præſertim ab Eccleſia damnatos lib. 2. de Gr. Ch. cap. 12. *quia Maſſilienſes cum gratiæ præſentis adiutorio putabant hominem per naturales primæ integritatis reliquias poſſe credere, poſſe orare, ac deſiderare Deum, tanquam gratiæ medicinalis deſtructores, & liberi arbitrij præſumptores merita cenſuræ ſeueritate damnati ſunt.*

CAPVT II.

Commentum illud de duplici genere & errore Semipelagianorum reiicitur.

LICET hoc fuerit ſemper Pelagianis iuxtà, ac Semipelagianis familiare, vt in erroribus ſuis tuendis pro varia temporum, ac aduerſariorum, cum quibus res illis erat, ratione, varij, parúmque conſtantes fuerint, illúdque primarium ſuum dogma, quod in iuſtitiæ Chriſtianæ initio ponebant, multis modis temperarint; certum eſt tamen, eos ſolis naturæ, & liberi arbitrij viribus, bonum id, quod *initiale* vocabant, ita tribuiſſe, vt admiſſo ſolo legis & ſcientiæ adiumento; cum Pelagianis gratiæ internæ motionem deſiderari planè negarent.

Quòd autem ita ſe res habeat, ſic palàm fieri poteſt. Conſtituendæ illius inter duplex Semipelagianorum genus partitionis, locum dedit, opinor, Ianſenio, eiúſque diſcipulis Epiſtola quam dedit ad Auguſtinum Proſper bene longam. Verùm duos illos Maſſilienſium ordines, quo-

rum meminit, longè aliter deſcribit, ac ſuſpicatur Ianſenius: cùm doceat in vniuerſum, omnium eorum *definitionem, ac droſeſſionem eſſe, omnem quidem hominem Adam peccante, peccaſſe, & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari;* in qua parte ſentiebant cum Catholicis, neque vllo modo cum Pelagianis: tum addit eoſdem, de quorumdam prædeſtinatione ſic ſtatuiſſe, vt ſanguinis Chriſti pretium ad homines pertineat vniuerſos, adeo vt, quibuſcumque ad fidem, & baptiſmum accedere libuerit, illi ſalutem conſequi poſſint; eóſque Deum deſtinaſſe ad gloriam, quos credituros, futuróſque præuiderit conſtantes *in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam iuuanda ſit.*

Ex quo perſpicuum eſt, eos omnes negaſſe gratuitam prædeſtinationem, quæ ſumat initium à propoſito, & beneplacito Dei alios præ aliis ſeligentis, voluiſſéqueeam, fidei, ac iugis, voluntariæque eorum pietatis, ac perſeuerantiæ anticipata cognitione, & ſcientiâ eſſe fundatam; quod ita conſtituebant, vt fidem non gratiæ, ſed naturæ donum per gratiam deinceps iuuandum, definirent.

Poſtquam autem commune illud Semipelagianorum de prædeſtinatione placitum Proſper expoſuit Auguſtino; aliquod inter eos ponit diſcrimen; ſicque de durioribus primùm ſtatuit. *Quidam verò in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt cùm ad confitendam Chriſti gratiam, quæ omnia praueniat merita humana, cogantur, ne ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vniuſcuiuſque hominis pertinere, in qua eum nihil merentem, quia nec exiſtentem liberi arbitrij, & rationalem gratia creatoris inſtituat, vt per diſcretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius, poſſit ſuam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur peruenire, per naturalem ſcilicet facultatem, petendo, quærendo, pulſando, vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ bene vſus ad iſtam ſaluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire.*

Quapropter in eo tantùm à Pelagianis iſti diſſidebant, quod à peccato originali maculam hominum mentibus inuri

inuri faterentur, adeóque gratiam baptiſmi ad ſalutem omninò neceſſariam eſſe exiſtimarent; in cæteris verò conueniebant, ſentiebántque hominem vi ſibi à natura inditâ non modò cupere, petere, & quærere gratiam per ſacrum fontem accipiendam, verùm etiam per ſe eſſe idoneum ac ſufficientem, qui ſingula quæque Dei mandata ritè obire poſſet; nullámque admittebant gratiam gratis datam aliam, quàm ipſam creationem, quâ nihil meritus à Deo mortalis homo informetur, liberóque donatus arbitrio veniat in lucem. *Quo quantùm quiſque ad malum, tantùm habeat facultatis ad bonum, paríque momento animus ſe vel ad vitia, vel ad virtutem moueat, quem bona appetentem, gratia Dei foueat, mala ſectantem damnatio iuſta ſuſcipiat.* Ita Proſper eorum referens errores, & Auguſtino proponens.

Paullo molliùs rem definiebant Semipelagiani remiſſiores, qui initium gratiæ in libero arbitrio ponebant quidem; ſed illud vel ad credendum tantùm, vel certè ad ſalutem optandam, nullo autem modo vel ad bene agendum, (nam fidem ab operibus bonis diſtinguebant) vel ad mandata Dei ſeruanda, valere exiſtimabant; cùm Chriſti gratiam ad bene agendum requirerent, ſed ita prorſus, *vt vita æterna omnibus, quantùm ad Deum parata, quantùm autem ad libertatem arbitrij ab iis apprehenderetur, qui Deo ſpontè crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Hoc vno errore notatos cùm à Proſpero, tum ab Hilario Semipelagianos compertum habemus. Neque profectò eſt vero ſimile clariſſimos illos Doctores, qui doctrinam eorum ſuſceperant examinandam, quicquam quod dignum eſſet reprehenſione, ac cenſurâ diſſimulare voluiſſe; quod cùm per ſeſe manifeſtum ſit, patet conſequenter fundamentum illud aduerſariorum, de Semipelagianis, veram Chriſti gratiam, ad initium iuſtitiæ Chriſtianæ admittentibus, planè eſſe nullum.

CAPVT III.

Quas boni reliquias in homine per peccatum vitiato, ſupereſſe voluerint Semipelagiani.

ALTERVM eſt, quod torquent in nos aduerſarij telum, imbelle nimirum & ſine ictu. Semipelagiani, inquiunt, aliquas eorum, quæ acceperat Adamus, donorum reliquias, & quoſdam quaſi virtutum ſatus, ex quibus boni illi actus ante acceptam Chriſti gratiam producti exiſterent, ſupereſſe poſt ruinam, in homine contendebant. Quas porrò fuiſſe reliquias illas exiſtimauerint, non eſt difficile admodum coniicere, cùm ipſi declarent ſatis eas in ipſis virtutibus infuſis, aliíſque gratiæ donis à libero arbitrio, & ratione planè diuerſis, eſſe conſtitutas. Certum enim eſt, in iis, quæ ad innocentiæ ſtatum pertineant, à Semipelagianis minimè eſſe peccatum; quippe qui cum Catholicis ſentiebant, Adamum ſine ope diuinæ gratiæ in Deum, per ſolas rationis, & liberi arbitrij vires, credere minimè potuiſſe. At non erant ita inconſiderati, vt Adamum poſt lapſum voluerint poſſe id boni velle, abſque vllo auxilio, quod pollens viribus, ac ſanus non poterat, niſi per gratiam. vnde factum, vt eaſdem virtutes, & eadem gratiæ diuinæ auxilia in nobis abſque meritis Chriſti eſſe voluerint. Ita Ianſeniani.

At Ianſenium, vnà cum illo Theologo, qui celari ſe vult, fefellit, ſuprà quàm dici poteſt, ſua opinio, quando Semipelagianis iſtis putat olim veniſſe in mentem dicere, Adamum florentem, ac beatum, alio quàm naturali, hoc eſt, rationis, & liberi arbitrij dono, modò doctrinæ adiumentum accederet, indiguiſſe ad credendum, aut perſeuerandum in fide; adeóque colligat eos non alias quàm rationis, & liberi arbitrij reliquias, in homine vitiato admiſiſſe.

Quam fœdam adeò vtriuſque hallucinationem vt de-

monſtrem, rem coniecturis non agam, vt in dubiis fieri ſolet, ſed apertiſſima proferam eorumdem Semipelagianorum teſtimonia, quibus ſuam nobis, ſuper propoſitâ controuerſiâ, mentem, non obſcurè ſignificarunt. Ipſe cum primis Caſſianus apud Proſperum, cap. 8. aliàs 4. contra Collat. ſic habet. *Vt autem euidentiùs clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum eſt, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia.* Nulla hîc niſi naturalis boni mentio, quod bonum non alio, quàm creationis beneficio collatum homini eſſe ait. At ne qua in huius boni appellatione lateat ambiguitas, cap. 17. al. 9. idipſum ſic explicat. *Nec enim Deus talem hominem feciſſe credendus eſt, qui nec velit vnquam, nec poſſit bonum. Alioqui nec liberum ei permiſit arbitrium, ſi ei tantummodò malum & velle, & poſſe; bonum verò nec velle, nec poſſe conceſſit. Et quomodo ſtabit illa Domini poſt præuaricationem primi hominis lata ſententia: Ecce Adam factus eſt ſicut vnus ex nobis, ſciens bonum, & malum? non enim talis fuiſſe antè putandus eſt, qui boni prorſus eſſet ignarus. Alioquin velut quoddam irrationale, atque inſenſatum animal, eum fatendum eſt fuiſſe formatum: quod ſatis abſurdum, & à Catholica fide omnimodè alienum eſt: Quinimmo ſecundùm ſententiam ſapientiſſimi Salomonis, fecit Deus hominem rectum, id eſt, vt tantùm boni ſcientiâ iugiter frueretur. ..... concepit ergo Adam poſt præuaricationem quam non habuerat ſcientiam mali, boni verò, quam acceperat, ſcientiam non amiſit.* Ex quibus intelligas Caſſianum duo tantùm dona naturalia admittere, alterum ſine quo alioquin liberum arbitrium homini nullum eſſet, alterum ſcientiam boni. Ille nimirum cùm ferè in eadem cauſa verſaretur, atque ipſi Pelagiani, ſaltem in iis, qui liberi ſunt arbitrij, nullum ferre poterat liberum arbitrium, niſi in quod bonum peræque ac malum caderet. Hæc autem duo, poſt fatalem lapſi generis caſum, ſuperare in nobis voluit, & ad vtrumque, ſcientiam mali acceſſiſſe, quæ tamen eiuſmodi ſit, vt non impediat quominùs idem liberum arbitrium velle bonum aliquod, & poſſe retineat.

Eodem etiam loci idem ſubiungit, *non amiſiſſe genus humanum poſt præuaricationem Adæ ſcientiam boni;* Et quo ſen-

Digitized by Google

ſu accipiat illud *ex nobis*, ipſe ſic exponit. *Denique vt poſſibilitatem boni eis ineſſe deſignaret, increpans Phariſæos dixit, quid autem ex vobis ipſis* (inquit Chriſtus) *etiam non iudicatis quod bonum eſt? quod vtique non eis dixiſſet, niſi eos iudicio naturali, quod æquum eſt, ſciſſet poſſe diſcernere.* Quod Proſper eum confutans ſic accepit. *Iam,* inquit, *non ſolùm voluntatem boni, ſed & poſſibilitatem libero aſcribit arbitrio. Tanquam ideò ab eis exigatur intelligentia, ideò iuſtitia repoſcatur, quia poſſint hæc ſine Dei donis, de naturæ proferre bonis.* Non igitur alia Dei dona, quàm liberum arbitrium, & ſcientiam boni, à Caſſiano conceſſa nobis, Proſper intelligit. Et quod idem addit Caſſianus, *Vnde cauendum nobis eſt, ne ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil, niſi id quod malum atque peruerſum eſt, humanæ aſcribamus naturæ:* ſic refutat Proſper, & cum Caſſiano ſic agit, quaſi omnem Dei gratiam excludat cum Pelagio. *Quid*, inquit, *euidentius, quid expreſſius ſecundùm Pelagij Cæleſtiíque commentum ab vllo diſcipulo potuit definiri? ..... illi dicunt gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, & iidem dicunt gratiam Dei non ad ſingulos actus dari. Hic intra vnam ſententiam blaſphemiam vtramque concluſit.* Quamobrem ſi ipſo teſte aduerſario Pelagius excluſo omni alio Dei beneficio, ſolis liberi arbitrij viribus, doctrinæ beneficio nos bonum velle, & poſſe dixit: aut idem voluit omninò Caſſianus, aut Proſper falsò eum Pelagiani erroris accuſauit.

Idem autem Proſper allatis Caſſiani verbis ſic colligit: *Vult ergo eſſe multa propria hominum merita, quæ non ſint gratiæ largitate collata, quibus ad augendas naturales diuitias, quædam deſurſum munera debeantur.* Planum eſt igitur coniectori vtrique noſtro ſuam defuiſſe rationem; qui carpi Caſſianum à Proſpero putarint tam falsò; quòd Ianſenianam illam Chriſti gratiam ſolam, & illud tam famoſum *adiutorium quo* neceſſarium eſſe negauerit; alia quippe ſunt bene multa, quorum Caſſianus meritò reprehenditur; vt patet ex tabulis teſtimoniiſque Proſperi, quibus eius præſertim capitis notatur, quòd agnouerit naturales quaſdam boni diuitias, quibus gratia Chriſti minimè contineatur. Neque profectò aliqua deſurſum munera, his naturæ facultatibus, ac diuitiis

augendis debita accedere diceret, ſi iam data conceſsáque exiſtimaret. Reprehendit illum etiam *volentem probare, quòd religioſa cogitationes, ſanctáque conſilia nullâ Dei inſpiratione concepta de naturali poſſunt prodire ſapientiâ.* Quòd ſi Caſſianus nullum ei munus diuinum, nullam inſpirationem, nullam gratiam poſtulauit; vbi eſt illa gratia intima, & infuſa voluntati? vbi repentini motus? vbi Adæ datum auxilium ſufficiens? quod Ianſenius & Theologus eius ſectator, adeò conſtanter à Semipelagianis, ad ſalutis initium neceſſarium, fuiſſe aſſertum volunt? At enim aiunt: Cap. 27. al. 13. aſſerit Caſſianus, *ineſſe omni animæ naturaliter virtutum ſemina beneficio creatoris inſerta.* Neque id ego à Caſſiano dictum inficior, ſed contendo, per hæc virtutum ſemina, ipſum lumen rationis à natura innatum, ab eo intelligi, & ne vana putetur interpretatio mea, id ab eius dictis conſtare poterit, hæc enim addit id vt probet: *Adiacere homini in quamlibet partem arbitrij libertatem ... Et idcircò manet in homine liberum ſemper arbitrium, quod gratiam Dei poſſit vel negligere, vel amare.* Quod dictum Proſper cap. 30. al. 13. referens ſic ait: *Oſtendere voluit inter boni & mali contrarias ſuaſiones, ita omnem hominem naturali iudicio, & propriæ diſcretioni eſſe commiſſum, vt ei non plus à Deo præſidij, quàm à Diabolo ſit periculi.* Naturale igitur iudicium, ipſáque boni & mali diſcretio, ac ſcientia naturales illas Semipelagianorum diuitias componunt, & ſemina virtutum, quas illi in nobis ad fidem, & initium ſalutis ſufficere voluerunt.

Denique cap. 40. al. 20. S. Proſper ſententiam ſeu errorem Caſſiani ita nobis clarè deſcribit. *His itaque definitionibus hoc docetur, hoc ſcribitur, hoc editis diſputationibus prædicatur: quod Adam peccante, anima eius læſa non fuerit, ſanúmque in eo manſerit, vnde peccauit.* Quod quonam modo Caſſianus intellexerit, ſic Proſper explicat. *Si quidem ſcientiam boni, quam acceperat, non amiſerit, nec potuerint poſteri eius id perdere, cuius damnum nec ille pertulerit. Ineſſe autem omni animæ naturaliter virtutum ſemina beneficio creatoris inſerta, vt poſſit, qui voluerit, iudicio naturali Dei gratiam præuenire, & adiutorium eius, quo faciliùs ad perfectionem perueniat, promereri, quia nullius ſit laudis, ac meriti, qui donatis bonis, non*

Digitized by Google

proprijs adornatur. Cauendum quoque eſſe, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referantur, quaſi per ſe nihil boni poſſit agere ipſa humana natura: cùm tanta ſit virium eius integritas, vt contra ipſum diabolum ſæuitiámque eius vſque ad extremà ſupplicia, ſine auxilio Dei valeat dimicare. Hanc autem poſſibilitatem in omnibus eſſe hominibus naturalem, ſed non omnes ingeneratis ſibi velle vti virtutibus: tantam autem circa vniuerſos homines bonitatem eſſe creatoris, vt alij ab eo, quia ſponte veniant, ſuſcipiantur laudati: alij quia reſiſtunt, attrahantur inuiti: atque ideò volentium ſuſceptor, nolentium verò ſaluator ſit. Et cùm pars Eccleſia ex gratia, pars autem ex libero iuſtificetur arbitrio, glorioſiores ſint, quos natura prouexerit, quàm quos gratia liberarit: quia ad omne opus bonum tam libera ſit voluntas in Adæ poſteris, quàm in Adam fuit ante peccatum.

Quibus verbis ſumma totius Semipelagianæ hæreſis capita, prompta ab ipſo factionis illius primario auctore Caſſiano, breuiter in hunc locum conferre volui, vt liceat aduerſario, in illo errorum contextu recognoſcere, quod affirmat, in eo tantùm erraſſe Semipelagianos, quòd veram Dei gratiam, humanæ naturæ, in Adamo conceſſam, relictámque poſteris, ad dandum primum fidei initium, cùm profiterentur, *adiutorium illud quo* Ianſenianum neceſſarium ad ſalutis initium negarent. id enim vbi gentium reperiat vel in Caſſiano, vel cæteris huius ſectæ fautoribus, planè non apparet. Sic videt interdum Ianſenius, quod videre putat, vt contingere ſolet ſomniculoſis, ac dormientibus; quæ hallucinatio non tam grauis eſt in Theologo illo nouæ doctrinæ Profeſſore. Nam bonâ fide credidit Ianſenio id dicenti, factum paullò candidè magis ac ſimpliciter, nam credere non debebat vel iurato.

Ex omnibus enim, qui hactenùs rem habuerunt cum Semipelagianis conſtantiſſimum habetur, homines eos non aliud gratiæ auxilium ad initium fidei admiſiſſe, quàm quod in ipſâ naturâ humanâ, naturali iudicio, libero arbitrio, & ſcientia boni volebant eſſe ſitum; deinde in his bonis virtutum ſemina inſita à naturâ, *poſſibilitatémque* boni naturalem omnibus hominibus communem poſuiſſe; Tertiò, eoſdem gratiam Dei omnem, & auxilium gratiæ quoduis ab illis

Digitized by Google

diſtinctum pro fidei & ſalutis initio excluſiſſe. Quartò cùm naturam humanam per ſe boni aliquid poſſe, & habere merita propria dixerunt; intellexiſſe id à bonis propriis, non à Deo largitore gratiæ, ſed à natura profectis habere.

At video quid etiamnùm habeat vel Ianſenius, vel Theologus (nam cùm vterque in eadem cauſa ſit, mihi res erit cum vtroque, ſi fuerit cum alterutro) quod opponat. Cùm enim tam in nobis, quàm in Adamo nondum lapſo, liberam ad bonum voluntatem eſſe dicant Semipelagiani: nunquam profectò in hac Adæ integritate, & voluntatis ad bonum libertate defuiſſe gratiam, & auxilium diuinum arbitrati ſunt. Neque enim erroris iſtius vnquam, à Patribus iis, quos habuerunt aduerſarios, accuſatos fuiſſe proditum eſt.

Intelligo præcipuum opinionis Ianſenianæ illud eſſe fundamentum, quod ad ſummum nihil habet præter coniecturam, eámque leuem admodum, in qua quidpiam ſimile vero eſſe videtur; ſed non dico quàm temerè creditur, cùm probabili tantùm coniectione res penditur. Eò accedit quòd veriſimilitudini locus hîc eſſe non poteſt, cùm aliunde manifeſtum habeatur Semipelagianos, ſolam naturæ vim ad aliquod bonum tantùm valere, fuiſſe arbitratos, quod & ſuperiùs à me oſtenſum eſt, & etiam deinceps oſtendendum.

CAPVT IV.

Semipelagiani cum Pelagianis de ſalutis initio conſentiebant.

QVAMVIS nulla ſit apud antiquos, quibus præſertim res fuit cum vtriſque, ea de re controuerſia; tamen quia mihi negotium eſt cum obſtinatis, quod auctoritate non poſſem fortaſſe ab iis impetrare, ratione conabor obtinere, idque vno & altero, ni fallor, euidentiſſimo argumento vincam. Quorum primum ſic habet. Semipelagiani om-

nes, ipſique adeo remiſſiores, & à ſana doctrina minùs alieni, quod ſpectat ad initium ſalutis, aut fidei, cum Pelagianis in eo conſpirarunt, quòd eaſdem naturæ vires exiſtimarent ad illud initium valere, quas iſti ad alia opera bona ſufficere contendebant. Cùm autem, ipſis non repugnantibus aduerſariis, Pelagiani ſolam naturam humanam, intellectu, ratione, & libero inſtructam arbitrio, abſque vllo alio gratiæ internæ adiumento, ſolius legis, & doctrinæ externorúmque aliorum eiuſmodi auxiliorum acceſſione adiutam, ad opera bona rite obeunda ſufficere affirmarent; conſequens eſt, Semipelagianos cum Pelagianis circa initium fidei idem omnino ſenſiſſe.

Verùm quia de ſolâ primâ propoſitione poteſt eſſe diſceptatio, eam probo teſtimoniis Auguſtini, contra Vitalem Carthaginenſem, Proſperi contra Maſſilienſes, & præſertim contra Caſſianum, Pauli Diaconi, & Ioannis Maxentij, contra Fauſtum Regienſem ea de re diſputantium.

Sic Auguſtinus agit contra Vitalem Semipelagianum ordinis illius manſuetioris epiſt. 107. qui aiebat, *vt rectè credamus in Deum, & Euangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis, id eſt, ex propriâ voluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe.* quam Semipelagianorum opinionem refutans Auguſtinus ſic ait: *Hæc eſt illa Pelagianorum malè diffamata, meritóque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Epiſcoporum iudicio damnata ſententia, quâ dicunt gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrinâ, & vſque adeò frater erimus graues corde, vt de gratia Dei, immo aduerſus gratiam Dei, eam Pelagianam ſententiam teneamus?* Id ipſum de Maſſilienſibus lib. de don. perſeuer. cap. 21. pronunciat.

Proſper in epiſt. ad Auguſtinum, errorem *Maſſilienſium ſpiritum Pelagianæ impietatis, & Pelagianæ prauitatis reliquias* appellat. Contra Collat. cap. 9. & 10. definitionem eorum, *qui dicunt ad bonarum voluntatum initia liberũ arbitrium ſine ope gratiæ ſufficere*, quæ eſt Caſſiani, quam quidem ab Eccleſia expugnatam in Pelagio, & Pelagianam quidem, ſed tamen caſtigatiorem eſſe ait. Quamobrem contra Maſſilienſes affert

aucto-

Digitized by Google

auctoritatem ſummorum Pontificum, & Conciliorum, à quibus Pelagius damnatus eſt, quod certè non faceret, niſi quod ad ſalutis, & fidei, ſeu bonæ voluntatis initium attinet, Pelagianos eſſe Maſſilienſes probè ſciret. Et cap. 24. hanc Caſſiani ſententiam exponit: *Cauendum nobis eſt, ne ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil, niſi id, quod malum atque peruerſum eſt, humanæ aſcribamus naturæ.* Quam modeſtiorum Semipelagianorum ſententiam, tanquam capitalem, & totius erroris illius primariam Proſper carpit acerbiùs: *Quid euidentius,* inquit, *quid expreſſius ſecundùm Pelagij, Cæleſtiíque commentum, ab vllo diſcipulo potuit definiri?* quod pluribus perſequitur. Et cap. 38. *Si quod à Caſſiano inuentum eſt temperamentum, admittitur,* (ait) *poſſe fieri, vt recipiamus, quod Pelagiani tenent, & Pelagiani recipiant, quod tenemus. Sed hoc modo non tam illi Catholici, quàm nos erimus, quod abſit, Pelagiani.*

Ioan. Maxentius in reſponſione ad epiſt. Hormiſdæ eâdem operâ referens, & confutans errores Fauſti Regienſis; aſſerit *eum iuxta profana commenta Pelagij* ſentire. tùm paullopòſt: *Non ergo receditur ab ea ſententiâ, quam Pelagius ipſo in Epiſcopali iudicio Palæſtino ... damnare compulſus eſt.* Paulus Diaconus de incarn. & grat. c. 8. *Anathematizamus Pelagium, & Cæleſtium, ſimul etiam Iulianum Edanenſem, & qui illis ſimilia ſapiunt, præcipuè libros Fauſti Galliarum Epiſcopi.*

Quibus omnibus oppidò perſpicuum eſt, Semipelagianos omnes, ipſóſque leniores, qualis fuit Vitalis, in eâdem omnino cum Pelagianis, circa initium iuſtitiæ, fuiſſe opinione.

Digitized by Google

CAPVT V.

Omnes Semipelagiani ſolas naturæ vires, & legis adiutorium, excluſâ omni aliâ Dei gratiâ, ad initium iuſtitiæ, ſufficere docuerunt.

Altera ratio eſt inſtitutæ in Semipelagianos decertationis, quæ ſpectat eò, vt probet omnem factionem illam, ſolas liberi arbitrij vires ad piæ voluntatis, fideíque initium per ſe ſufficientes eſſe, tueri ſolitam. Cùm autem eiuſmodi ſit, quod niſi vel ab eorum dictis, vel à teſtimoniis Patrum, quos habuerunt aduerſarios, euinci non poſſit; ab vtroque illo capite, rationes ducam eas, quæ ad id oſtendendum idoneæ eſſe poſſint.

Ac primò quidem hæc habemus ab Auguſtino, Epiſt. 107. de Vitali illo inter magis factioſos gregis iſtius non poſtremo, quem tamen modeſtiorem fuiſſe fatetur Iprenſis. *Quomodo dicis quod te audio dicere, vt certè credamus in Deum, & Euangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis, id eſt, ex propria voluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe?* Iam nemo erit, opinor, qui de Vitalis mente, & ſententia dubitet, poſtquam tam explicatè ab Auguſtino propoſita eſt; monſtratúmque tam clarè, negare eum, fidem à nobis, propriáque profectam voluntate, diuinæ gratiæ eſſe donum, ipſúmque Deum eam in nobis operari.

Nec verò de illo auxilio *quo* vllam video fieri ab Auguſtino commemorationem, cùm recenſet ea, quæ in Vitali reprehenſione digna iudicabat; quod tamen non fuiſſet omittendum, ſi tantùm eſſet in eo auxilio momenti, quantùm ponit Ianſenius. deinde ſi præter naturam, ille gratiam ſufficientem agnouit, quemadmodum contendit alter; abſurdus fuit, quàm qui maximè, qui gratiam illam Dei do-

Digitized by Google

num fuiſſe negauerit, quod planè videtur repugnare Auguſtino, qui hæc eodem in loco ſubiicit. *Deſiderium regenerationis, & quod fideles in eo eſſe cœperunt, perſeuerant, voluit non eſſe diuinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia voluntatis* ... tum deinde ... *Per hoc tantùm putas à Domino greſſus hominis dirigi ad eligendam viam Dei, quia ſine doctrinâ Dei, non ei poteſt innoteſcere veritas, cui propria voluntate conſentiat: cui ſi conſentit, inquis, quod in eius libero arbitrio conſtitutum eſt, rectè vtique dicuntur ab illo dirigi greſſus eius, vt viam eius velit, cuius doctrinam ſuaſione præcedente, ſubſequente conſenſione ſectatur, quod libertate naturali, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit; pro eo quod fecerit, præmium vel ſupplicium recepturus*

Certè ſi quidquam eſſet in Ianſenio lenitatis illius, quæ eſſe deberet, ageret mitiùs cum Vitali mitiori, vt ipſe fatetur, Semipelagiano, neque eum ſuſpicionibus opprimeret, vt facit. Nam, quidquid dicat, non errauit in eo, quod dixerit, hominem credere ſi vult, ſi non vult, non credere; eſt enim ſanæ doctrinæ id maximè conſentaneum. Sed falſus eſt in eo, quod voluntate naturali, ſola præcedente ſuaſione, id faciat. Quod à nemine eorum, quos tu cum tuis, rumoribus grauas ita iniquis, Moliniſtarum, mi Corneli, comperio eſſe dictum, ſed in eo conſentiunt vniuerſi, vt ad eligendam viam Dei, gratiæ habitualis donum, aut aliquid non abſimile, cum inſpirationis, voluntatem motione internâ afficientis, auxilio omnino deſiderari, conſtanter affirment. *Eſtque hæc alta, & ſecreta vocatio, infidelium corda ad fidem conuertens, & conuerſis proficientem perſeuerantiam donans gratiæ largitas, qua Deus voluntates præparat, atque operatur, ſic eorum agens ſenſum, vt legi, atque doctrinæ accommodent aſſenſum:* quemadmodum eò loci loquitur Auguſtinus. ſenſus enim iſte, quem Deus agit, & quo voluntas hominis agitur, pius eſt animi motus, iſque non deliberatus, ex quo conſenſus liber exiſtit.

Sed redeo ad Vitalem, de quo, cæteríſque eiuſmodi mitioris diſciplinæ Semipelagianis, ſic Auguſtinus. *Corrigantur, qui putant gratiam Dei, eſſe naturam liberi arbitrij cum qua naſcimur, aut gratiam Dei eſſe doctrinam, quamuis vti-*

Digitized by Google

lem, quæ per linguas, & litteras prædicatur. quod quandoquidem nemo partium noſtrarum dicit, ſed pro ſe quique omnes, qui conſpirant nobiſcum, admittunt gratiam, quâ in Chriſto renouemur; non intelligo ſatis, quid cauſæ ſit Ianſenio, cur tot turbas ciere, tot clamores tollere pergat, vt nos à recta, quam inſiſtimus, viâ deducat.

Cui porrò de remiſſiorum illorum Semipelagianorum errore iſto, potiùs credamus quàm Auguſtino, qui & eôdem offenderit aliquando, & ab ea offenſione reuocare ſe, alióſque ſtuduerit? Is autem lib. de præd. SS. c. 3. *Errabam* (inquit) *putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis ... neque fidem putabam Dei gratia præueniri .... niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato nobis Euangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis, ex nobis eſſe arbitrabar.* Patet quid ſignificari velit Auguſtinus, per has voces *per noſtrum proprium, quod à nobis in nobis eſt*, quámque gratiam præuenientem intelligat, nimirum ſolum *præconium veritatis*, non verò infuſum habitum, non deſideria, pióſque motus repentinos, non dona Dei, quæ nos in gratiâ Dei præueniente, & adiuuante eſſe profitemur.

Neque ipſe Auguſtinus negabat, credere in nobis eſſe poſitum, cùm ibidem aſſerat credere, & operari bonum *noſtrum eſſe propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum à Deo, per ſpiritum fidei, & charitatis. vtrumque ergo Dei eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & vtrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.* & cap. 5. *credere, vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis voluntas præparatur à Domino.* per illum videlicet ſpiritum fidei, non per Ianſenianum illud *adiutorium quo*: cuius, ſi ſolum illud, & vnicum Chriſti gratia eſt, Auguſtinum in duobus illis poſtremis libris de prædeſtinat. SS. & de dono perſeuer. crebrò admodum meminiſſe, nihílque in ore frequentius habuiſſe oportuerat, vt non modò primarios, & capitales Pelagianæ hæreſis errores, ſed ipſas etiam vel tenuiſſimas fibras funditùs extirparet. At vbi facta vel ſemel illius auxilij obiter commemoratio? vbi vox illa vnquam his in locis pronunciata? Et poſtea huius erit frontis Cornelius, qui hanc eſſe Au-

guſtini mentem & ſententiam turpiter nobis imponat?

Quoties verò Proſper Collatoris errorem refert, refert autem perſæpe, aſſerit eum ſentire, piæ voluntatis initium fieri abſque vlla omnino gratiâ Dei, ſi doctrinam, & liberum arbitrium exceperis. Cap. 6. *Si cuiuſquam hominis ſine Dei illuminatione eſſet credenda conuerſio, aut vllo modo ſe voluntas hominis ad Deum ſine Deo poſſet extendere.* Cap. 7. in Caſſiani ſententia docet *dicendos alios eſſe, quos Dei gratia ſaluet, alios quos lex, & natura iuſtificet.* Cap. 8. *Laudabiles motus, appetitúſque virtutum remota gratia Dei, nudæ libertati aſcribis arbitrij . . . vt poſſint etiamſi non à Deo inſpirentur, incipere.* Quibus non modò ſola Chriſti gratia, verùm etiam omnis quæ à Deo ſit plane reiicitur. Cap. 9. *Initia bonæ voluntatis non adiuto diuinitus homini* Caſſianus *aſcribere* dicitur, & exiſtimare, *ad ea liberum arbitrium ſibi ſine ope gratiæ poſſe ſufficere.* Cap. 13. *bonum conuerſionis humanæ tantummodo voluntatis eſſe in quibuſdam*, & *horum mentibus Deum nihil ſuæ virtutis admouere.* Cap. 15. *religioſas cogitationes, & ſancta conſilia nulla Dei inſpiratione concepta de naturali poſſe prodire ſapientia, ex ſolo arbitrio, & non ex inſpiratione Dei naſci.* Quòd autem Caſſianus omnium mentibus ſemina virtutum beneficio creatoris indita vult naturaliter ineſſe, Proſper cap. 28. ita intelligit, vt id ſine vllo opere gratiæ fuiſſe Caſſianus voluerit. Ita fermè Maxentius errorem Fauſti exponit in reſp. 1. ad epiſt. Hormiſdæ.

Sed ſuus etiam locus Fauſto detur. Is lib. 2. de lib. arb. cap. 6. *Abel* (inquit) *diuinis placere conſpectibus per inſitum à Deo generaliter bonum, id eſt, per propriæ meruit voluntatis affectum* . . . . . tum vocat *legem viſceribus inſcriptam, fidem inſpiratam . . . vides bonum credulitatis non nouellum eſſe priuilegium, ſed vetuſtum, & inter ipſa mundi coaleſcentis exordia mentem hominis ſicut intellectu, atque ratione, ita etiam fide, à ſummo auctore dotatam? Itaque iam tum dedit animæ notitiam ſuam, quando committere ei dignatus eſt imaginem ſuam.* Quæ ſi legere apud Ianſenium doctorem ſuum nouo iſti Theologo contigiſſet, quibus, Deus immortalis! inceſſiſſet lætitiis? quàm intemperanter exultaſſet, ſi in Gennadio vel inſpirationem nominante, ita triumphauit?

At quis non videat Fauſtum id omne ſine vllo diuinæ opis adiumento naturæ humanæ addito *in propriæ voluntatis affectu, & dono imaginis diuinæ* poſuiſſe, vt habet ipſe cap. 7. *Id rationi magis congruit, vt in homine cui in ipſa ſimilitudine à Deo res traditur non naturæ, imago hoc potiùs nuncupetur, quod à priore & ſuperiore ſuſcipitur.* Quamobrem vt ſimilitudinem gratiæ, non naturæ, ita imaginem naturæ, non gratiæ Fauſtus tribuit. *Imago ergo Dei dicitur, quia ei indulgenter, ac dignanter inſeruit veritas iuſtitiam, ratio ſapientiam, perennitas æternitatem : de imagine Dei eſt, quod intelligit, quod rectum ſapit, quod inter bonum, & malum iudicio examinante diſcriminat.* Addit etiam erudientem naturæ legem primam Dei gratiam vocari debere, & quidquid ad imaginem diuinam ſpectare dixerat, naturæ non gratiæ tribuit. Poſtremò cap. 9. bonum illud fidei in voluntatis libertate ſitum eſſe ait his verbis : *Magna eſt vis animi in vtramque partem, dum & ſuper honeſtatem fundatur, & ſuper inhoneſtate confunditur .... Inter hæc ſi requiras, vbi ſit libertas arbitrij poſita, vbi ſit voluntas hominis conſtituta, & vbi niſi in intellectu, in ratione, atque ſapientia. Quæ cùm ita ſint, priùs neceſſe habebis negare ſapientiam, auferre rationem, vt adimere valeas liberam voluntatem ..... liberatio ad donum gratiæ, & ad propoſitum conſentientis pertinet vitæ : libertas verò arbitrij non eſt res accedentis munificentiæ, ſed naturæ, iſta eſt originis, & generis, illa eſt muneris, & virtutis.*

Quid plura? conſpirant in vnum Semipelagiani omnes, neque aliud donum Dei commune, quàm vim rationis, libertatem arbitrij, & legis adiumentum admittunt; quod vel ad ipſos manſuetiores intelligo etiam pertinere. nam cùm duplex eorum genus ſtatuatur à Ianſenio, in illo mitiori, quis præter Caſſianum, Fauſtum, Gennadium, Vitalem cenſeri poſſit, planè video eſſe neminem. quos etiam conſtat ex antè dictis in eâdem fuiſſe opinione.

Ex quibus confici debet Cornelium Iprenſem, cùm Semipelagianos eo præſertim notet errore, vocétque in hæreſis criminationem, quòd gratiam ſufficientem qualis iactatur id temporis in ſcholis, admiſerint, vel ignorantem feciſſe, quod turpe eſt doctori; vel malitioſa calumniandi

improbitate adductum, vt doctrinam ſanam admodùm, & apud omnes bonos receptiſſimam inuidiâ grauaret, quod in Epiſcopo ita graue eſt, vt planè videatur eſſe flagitioſum.

CAPVT VI.

Quæ pro cauſa ſua Janſenius affert teſtimonia, examinantur.

QVAM futile, nugatoriúmque ſit, quidquid in hanc partem afferri poteſt ab Aduerſario, vt cauſam ſuam tueatur, vel ipſa, quæ hactenus à me, ſuper ea re, diſputata ſunt, præiudicij loco poſſunt eſſe: tamen cùm præiudicatæ opinioni parùm tribui debeat, vbi rationis poteſt eſſe copia; placet agi ratione.

Primum, quo ſe ille defendit, teſtimonium, petitum eſt ab Aug. ex cap. 48. lib. de natura & gratia. At quàm parùm cautus eſt, qui quod contra ſe potiùs ſit, pro ſe afferat. Vt enim taceam ibi ſermonem haberi, non de Semipelagianis, ſed de Pelagio, qui in Adamo ſolius naturæ rationem habuit, quod ipſe non negat Ianſenius: eo in loco Auguſtinus, quod Pelagius dixerat, *quòd non peccare noſtrum ſit*, eum ſic reprehendit, quaſi de *integrâ & ſana hominis naturâ loqueretur, quam modò non habemus .... nec ſic rectè diceret. nam & ibi eſſet adiutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adiuti videant, ſe præbere volentibus.* Vbi Auguſtinus in Adamo gratiam habitualem, quæ ſanitas ipſa erat, & præterea illuminationem, ſeu actuale Dei auxilium agnoſcit. In nobis autem requirit adiumentum medicinæ ſaluatoris, quo videlicet ſanitas eſt reparata, ipſáque natura, quæ nondum à graui cupiditatis, & ignorantiæ morbo planè conualuit, hac quaſi curatione reficitur, confirmatúrque. Quemadmodum oculo cæco ſanitas reſtitui debet, vt videat, qui ſi debilis infirmúſque ſit, præter lumen cuius indigens eſt, aliquid etiam curationis requirit,

quo firmetur, ſuámque deinde aciem & figat acutiùs, & acriùs intendat. quæ tria in Chriſti gratiam cadere debent.

Ex illa porrò Auguſtini ſententiâ, planè non video quomodò hæc Ianſenij & illius diſcipuli Doctoris Theologi conſecutio duci queat: *Igitur Semipelagiani gratiæ auxilium intimum voluntati ad credendum, & ad perſeuerandum in fide neceſſarium Adæ innocenti eſſe voluerunt.* Fateor equidem ita viſum eſſe Auguſtino. Verùm quòd ei placitum ita ſit, an continuò conſequens eſſe debet, idem Pelagio vel ipſis Semipelagianis ita viſum fuiſſe? non hîc dicam, quod res ipſa fert, indignum eſſe Profeſſore ac Doctore publico ita concludere; ipſe viderit, quàm loquatur parùm conſequenter, ne vel ab auditoribus, diſcipulíſque ſuis rideatur. Certè mirum videri debet, eum qui ſcholam frequentet, in inſtituenda ratione ſuâ tenuiter adeò eſſe verſatum.

Eódem pertinet quod Cornelius Iprenſis affert ex cap. 43. eiuſdem lib. de nat. & grat. vbi ad hæc Pelagij verba: *Quòd Deus tam bonus, quàm iuſtus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere ſufficeret, ſed ſi voluiſſet.* hæc Auguſtinus addit: *Quis enim eum neſcit ſanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iuſtè viuendum poteſtate liberâ conſtitutum?* Si Doctor Cornelius, in iis quæ legit, pendendis, conſiderandíſque, paullò magis animum ſuum attenderet, nunquam veniret illi in mentem conficere, aſſertum eſſe ab Auguſtino: *Naturam integram naturali ſua poteſtate credere potuiſſe ſi vellet.* Neque enim eo loco meminit Auguſtinus poteſtatis naturalis, in qua voce poſſet aliquid ſubeſſe ambiguitatis, neque dixit Adamum ſolo libero arbitrio potuiſſe credere; ſed præter illud, facit mentionem poteſtatis cuiuſdam liberæ, quâ poterat Adamus vitam bene inſtituere, ſi vellet. Ea verò poteſtas haberi minimè poteſt ſine gratiâ habituali, quæ eſt ipſa boni *poſſibilitas.* Neque quicquam aliud ſibi vult eo loci laudatus ab Aduerſario Auguſtinus, qui docet de natura, cùm primùm in florentiſſimo illo integritatis, ac innocentiæ ſtatu condita eſt, vtcumque acceptari poſſe dictum iſtud Pelagij, *ipſam non peccandi poſſibilitatem, in ea & ab ea inſeparabilem eſſe.*

At

Digitized by Google

At quid hæc ad inſtitutam quæſtionem de Semipelagianis, qui nondum prodierant, cùm hæc ab Auguſtino ſcribebantur? Quod autem ex cap. 11. & 12. lib. de correpт. & grat. affertur à Ianſenio de adiutorio *ſine quo non*, & *quo*, poſtea conſiderabitur.

In hoc certè erratum eſſe liquet ab omnibus quicumque porrò extitefunt Pelagianis, quòd nos vnà cum Adamo ſola vi naturæ, liberóque arbitrio inſitâ, omni gratiæ ope nudos credere, & in fide perſeuerare poſſe cenſuerint. vtrumque enim iſtud tam de nobis, iacentibus videlicet, quàm de Adamo valenti, & erecto Synodus Arauſicana ſecunda cenſurâ ſuâ notauit, damnauítque, cùm can. 19. ex epiſt. 106. Auguſt. petito, aſſerit, *naturam humanam, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuuante ſeruaturam fuiſſe, vnde quam ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* Ex quibus euidens eſt non eſſe cauſam aduerſariis, cur quod probare deberent, falsò ſtatuant, quas Semipelagiani reliquias Adami donorum ad credendum, & in fide perſeuerandum ſufficere voluerunt, eas & virtutes ſupernaturales, & quæ gratiam ſufficientem noſtram conſtituunt dona, & auxilia, non verò ſolum liberum arbitrium, & ſcientiam boni fuiſſe, quod poſtquam reliquas vtriuſque Aduerſarij noſtri rationes refutauero, fuſiùs etiam ſuſcipio demonſtrandum.

CAPVT VII.

Aliæ Aduerſariorum rationes diſſoluuntur.

TERTIO loco ſic diſputat cum Ianſenio duce, magiſtróque ſuo Theologus. Quod Semipelagiani docebant hominem naturaliter credere, & in fide perſeuerare poſſe; illud ab Aug. lib. de dono perſeuerantiæ cap. 7. compertum habetur, de ſtatu hominis ſani, non iacentis, atque ægri:

quod verum eſſe non poteſt, niſi in ægro, & ſano eadem gratia ponatur. non quæro quàm probè diſputet, rationémque ineat Theologus: Id vnum dico, quod præſentis eſt quæſtionis, non hîc diſceptari, quid de homine ſano, & ægro ſenſerit Auguſtinus, ſed quid de Semipelagianis in vniuerſum ſtatuendum ſit. Fateor autem, eos ita animo fuiſſe comparatos, vt ſi vitiatum, corruptúmque hominem ſuis viribus credere poſſe dixerint, eos idem de homine ſano dixiſſe. Verùm contendo, eoſdem cenſuiſſe Adamum ſanum ſine vlla diuinæ gratiæ ope, per ſui arbitrij vires credere potuiſſe, atque in eo erraſſe; neque ex illo Auguſtini teſtimonio contrarium haberi poſſe. Ibi enim nullo modo commemorat quid de Adamo exiſtimauerint Semipelagiani; ſed cùm triplex in nobis bonorum genus conſideret, initium, perſeuerantiam finalem, & quæ ſunt inter vtrumque media: initium boni, & perſeuerantiam illam in homine ægro non niſi ad Dei gratiam pertinere ait, cùm perſeuerantia hæc in primi hominis, cùm ſanus erat, poteſtate fuerit. *Qui* (ſic enim habet) *non infertur in tentationem non diſcedit à Deo. non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc ſunt, fuerat in homine antequam caderet: poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere vt homo non recedat ab eo.* At ea de re quæſtio paullò pòſt nobis erit inſtituenda.

Porrò Auguſtinus agit ibi de perſeuerantiâ non ſolùm in fide, verùm etiam in bonis operibus, & in receptâ à Deo iuſtitiâ; Theologus verò fatetur à Semipelagianis ſuis in hac parte non eſſe offenſum, ſed tantùm in *poſſibilitate* fidei, & perſeuerantiâ in fide, de quâ ſolâ ſermonem non facit Auguſtinus. Quamobrem vna eſt, & altera Theologi hallucinatio, & quòd adhibet locum, quo ſuam doctrinam probet, qui ſolam in fide perſeuerantiam non ſpectat; & quòd Semipelagianos circa perſeuerantiæ finalis poſſibilitatem minimè erraſſe putet: adeóque falſos errores tribuat Pelagianis, veros vel diſſimulet, vt poſtea dicam, vel ignoret.

Verùm vt ſe dederant initia non poterat Theologus,

quin ad eundem ſcopulum, ad quem tam fœdè offenderat, iterum impingeret, cum quo Ianſenius illo cap. 6. lib. 8. de hæreſi Pelag. laudat Proſperum quòd reſp. 8. ad Gallos & cap. 42. de ingr. affirmet Semipelagianos idem prorſus de nobis atque de Adamo ſenſiſſe, quantum ſpectat ad initium fidei. Cùm igitur illi gratiam noſtram ſufficientem ad illud initium Adamo totam conceſſerint, eandem quoque nobis tribuerunt : falſitatis autem & erroris arguendus vterque, qui putet Semipelagianos Adamo pro initio fidei gratiam neceſſariam cenſuiſſe, quemadmodum & antea dictum eſt à me, & deinceps etiam dicendum. Nec quidquam eſt apud Proſperum, vnde contrarium colligi queat.

Nam in illa reſp. ad cap. 8. Gall. poſtquam ſine gratia Dei, per Chriſtum nos veræ, ſanctæque pietatis nihil habere, nihil cogitare, dicere, agere poſſe dixit. Hæc relata à Ianſenio addit: *Neque hæc dona, ita ex Deo eſſe opinemur, vt quia ipſe naturæ noſtræ auctor eſt, per conditionem iam hæc contuliſſe videatur; Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, ſed omnes eam in illo amiſimus, in quo omnes peccauimus.* Quid agat Theologus, ſi cum eo ſic loquare: Cùm nihil effici, concludíque ritè poſſit, niſi ratione, quæſo te, ni moleſtum ſit, contende ſi potes, vires ingenij, vt nos ratio tua perſuadeat. Neque enim video quid in eo conſecutionis ſit. Proſper negat nos ſine gratiâ Chriſti poſſe, quod Adamus gratiæ dono, ſibi primùm conceſſo potuit. ergo Semipelagiani non exiſtimarunt Adamum idem per ſolas vires arbitrij ſui potuiſſe. Ridicula ſanè concluſio, quam de grege nouitiorum, tyro logicus rideat. Deinde verò Doctor attendat, nolle ſe ſuos remiſſiores Semipelagianos erraſſe circa perſeuerantiam in operibus bonis, ſed tantùm circa eam quæ pertinet ad fidem: Proſperum verò agere in vniuerſum de gratiâ non tantùm ad cogitandum, aut dicendum, verùm etiam ad agendum, id quod veræ, ſanctæque pietatis eſt. Neque aliud in carmine de ingratis cap. 42. habetur, quàm quòd ſi vigor ille datus Adamo ſuperaret in nobis, abſque diuina Chriſti ope iuſtitiam conſequi poſſemus. de quo nulla nunc eſt inter nos controuerſia.

Proferunt quinto loco Aduerſarij Auguſtinum, qui errorem ſuum pluribus explicans lib. de præd. SS. cap. 3. non ait ſe circa Adami gratiam erraſſe, vnde efficiunt illum eandem quoque gratiam ſufficientem in illâ poſſibilitate fidei Semipelagianâ & ſuâ, cùm errabat, admiſiſſe: At contrarium omnino habetur ex Auguſtino. Illo enim Pauli teſtimonio: *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris?* fatetur ſe hoc Apoſtoli dicto, cùm ſecùs ſentiret, planè eſſe conuictum. *Putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & piè, & iuſtè viuamus in hoc ſæculo. Neque enim,* inquit, *fidem putabam Dei gratiâ præueniri, vt per illam nobis daretur quod poſceremus vtiliter, niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis. vt autem prædicato nobis Euangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar.*

Errabat igitur Auguſtinus, vt ipſe ſummâ cum animi demiſſione de ſe profitetur; errabántque cum eo Maſſilienſes ij, contra quos ſcribebat: hos quippe cap. 4. in erroris ſui ſocietatem veniſſe ait. Non tamen, quòd, vt ille Ianſenianus Theologus perſuadere contendit, admiſsâ totâ illâ noſtrâ ſufficiente gratiâ, ſolum *adiutorium quo* ad fidem non requireret, ſed quòd fidem, quâ in Deum credimus, *eſſe donum Dei* non exiſtimaret, ſed arbitraretur gratiâ *Dei nos non aliter præueniri*, quàm reuelationis, & doctrinæ auxilio: *quod credimus, id eſſe noſtrum, nobis proprium, & ex nobis; quia id non accepimus à Deo.* quo Auguſtini teſtimonio totum illud de hæreſi Semipelagianâ, Ianſenianæ ſcholæ commentum funditùs labefactatur, maximè cùm in retractationibus ſuis, lib. 1. cap. 23. dictum illud *quod credimus noſtrum eſt,* ita corrigat, vt fateatur ſe hoc non dicturum, *ſi iam ſciſſet etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri.* Cùm igitur errabat, negabat *fidem Dei donum eſſe, inter munera Dei reperiri,* nóſque *eius gratiâ internâ præueniri, ſed ſolo veritatis præconio,* túncque cœpiſſe catholicè ſentire, cùm nouit, & credere & operari *eſſe quidem noſtrum propter arbitrium voluntatis, & vtrumque datum eſſe, per ſpiritum fidei, & charitatis, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur,* hócque dono voluntatem

noſtram præparari. Quis autem neſcit ſpiritum hunc fidei & charitatis non eſſe illud Ianſenianum *adiutorium quo*, ſed ipſam gratiam habitualem, quæ ipſis quoque pueris infantibus in baptiſmo detur?

Quapropter ſi ſuos errores fusè explicans eo in loco Aug. nullo modo meminit eorum, quæ dicuntur à Ianſenio, vt Moliniſtas ſuos in ſuſpicionem Semipelagianæ hæreſis vocet; ſi conſtat ipſum Auguſtinum cùm Catholicam ſententiam exponit, eadem dicere, quæ dicat Molina, eiúſque fautores: nulla profectò cauſa eſſe debet, quin Ianſenius noui illius mitigatorum Semipelagianorum ordinis vanus artifex, catholicæque doctrinæ calumniator malitioſus meritò iudicetur.

CAPVT VIII.

Poſtrema Aduerſarij ratio refellitur.

AD extremum Theologus cum duce magiſtróque ſuo Ianſenio cap. 8. l. 8. de hæreſ. Pelag. opponit, Auguſtinum, cùm etiamnum in Semipelagianorum errore verſaretur, librúmque de beata vita ſcriberet, ad fidem Dei gratiam illam ſufficientem agnouiſſe; vnde conficit gratiam eam eſſe Semipelagianam. At detur id vltrò Theologo, quod dicendo conficere tentabat, Auguſtinum ante Epiſcopatum, quæ ad gratiam, & liberum arbitrium pertineant, non modò minùs intellexiſſe, verùm etiam in illis errore lapſum eſſe; cùm tamen affectâ iam ætate retractationum libros ſcripſerit, eo potiſſimùm conſilio, vt ſi quæ Pelagianis fauere viderentur, aut caſtigaret, aut explicatè magis exponeret, quis niſi doctiſſimo illi, diuinóque viro iniquiſſimus, dubitet ea omnia ab eo probata eſſe, ac recepta, quorum in libris retractationum nullam mentionem fecerit. Atque vt cætera miſſa faciam, qui librum illum de beata vita, quem obiectant Aduerſarij, recognoſcens, damnat, quòd *fortunam illic ſæpe nominarit*, ſi quam earum, quas re-

fert Theologus, ſententiam Semipelagianam ſenſiſſet, certè probabile non videtur, de eâ ſuis in animaduerſionibus, mentionem nullam facere voluiſſe, cùm tantopere Pelagianorum intereſſet, vt id ſilentio premeretur.

Sed aliud eſt etiam, vnde Theologi vel mala fides, vel animi malè oſcitantis incredibilis negligentia argui poſſit: Nam quid nobis opponit Auguſtinum, quem conſtat neque de ſolâ fide Chriſtianâ, de qua omnis noſtra concertatio eſt, nec de gratiâ ſufficiente, quæ mentem intimè afficiat, in eo loco ſermonem habere? Sed cùm beatam vitam in ſapientiâ perfectâ, primæque veritatis, quæ Deus eſt, cognitione eſſe poſitam, fusè probauiſſet, hæc addit: *& quiſquis ad ſummum bonum per veritatem venerit, eum beatum eſſe, hoc eſt animis Deum habere, id eſt, Deo frui; cætera enim, quamuis à Deo habeantur, non habent Deum.* Vbi patet loqui Auguſtinum, vel de quâuis cognitione Dei, quæ etiam à Philoſophis ſine fide Chriſtianâ haberi poteſt, vel de ſolâ ſapientiâ perfectâ, quæ haud dubiè non eſt ſola fides illa Semipelagianorum, initialis, & imperfecta boni cupiditas, de quâ tamen ſolâ ij diſputabant. Sed quæcumque porrò illa ſapientia ſit, auxilium, cuius beneficio, ad eam nos diuinitùs adiuuari aſſerit verbis à Ianſenio allatis Auguſtinus, non aliud quidem, quàm doctrinæ, & illuminationis, ſed non intimæ voluntatis ab eo commemoratum fuiſſe videtur. ſic enim loquitur, *Admonitio autem quædam quæ nobiſcum agit, vt Deum recordemur, vt eum quæramus, vt eum pulſo omni faſtidio ſitiamus, de ipſo ad nos fonte veritatis emanat: hoc interioribus luminibus noſtris iubar, ſol ille ſecretus infundit.* Quid enimuerò admonitio illa, quid iubar, quid illud quod de veritatis fonte emanat, ſignificet aliud quàm lumen diuinum mentibus noſtris illuſtrandis infuſum? Vbi autem gratia illa intima voluntati? Vbi charitas per Spiritum ſanctum diffuſa, quæ voluntatem ipſam fidelem facit, corrigit, & ſecretâ quâdam ſuauitate afficit, quam nos gratiæ ſufficientis præcipuum adiumentum eſſe volumus? Fateor ibidem ab Auguſtino ſubiici ad beatam illam vitam *nos feſtinanter poſſe perduci ſola fide, alacri ſpe, flagrante charitate.* Sed hoc ipſum eſt, quod Auguſtinum ab erroris illius Semipelagiani ſuſpicione

liberat, cùm nec tum cùm in Pelagianos diſputauit, quicquam amplius gratiæ & auxilij diuini attulerit.

CAPVT IX.

Quid cenſendum de Gennadio.

POSTQVAM ſatis multa de Auguſtino commentus eſt vterque Doctor noſter, tranſit ad Gennadium, contendítque eum quòd cap. 21. de Dog. Eccleſ. cum Caſſ. coll. 3. c. 4. & 12. & collat. 13. ad fidei initium gratiam illam ſufficientem admittat, eſſe Semipelagianum.

Haberem hîc multa, quibus tam futilis argumenti vanitatem oſtenderem, ſed iis omnibus omiſſis; etiam atque etiam velim Theologus is paullò quàm par ſit credulus, vel ex hoc vno Ianſenij facto diſcat aliquando, quàm temerè, & inconſideratè ei fidem habeat. Neque enim mihi perſuadere poſſum, eum de exiſtimatione ſua tam parùm eſſe ſollicitum, vt ſi Gennadij teſtimonium, apud alium, quàm Ianſenium, à quo ſicut & cætera ſua argumenta nimis bona fide deſumpſit, legiſſet, non continuò damnaſſet eum, quem magiſtrum tam inconſultè complexus eſt.

Atque hîc appello quicumque porrò ſunt de illo grege, qui eum tam mirificè colunt ac venerantur, eóſque etiam atque etiam oro, reputent ſecum, quid de eo homine ſuſpicari par ſit, cuius mala fides in teſtimoniis auctorum recitandis omnium credulitati tam fraudulenter imponat.

Quæritur an Semipelagiani, cùm dixerunt hominem lapſum ſine gratiâ Chriſti poſſe credere, aut ſaltem cupere ſalutem, non excluſerint dona gratiæ, quibus Adamus reipsâ credere potuit, & in quibus nos gratiæ ſufficientis auxilium conſtituimus, nimirùm habitum aliquem infuſum, illuſtrationes animi ſupernaturales, pios, repentinóſque voluntatis motus, quibus erga Deum reuelantem bene afficiamur. Hæc enim eſt ea præſertim gratia actualis, quæ mouet voluntatem. Aduerſarius autem, quod hactenus fue-

Digitized by Google

rat apud Theologos inauditum, aſſerit totum hoc gratiæ ſufficientis beneficium à Semipelagianis ad fidem neceſſarium deſiderari, & nihilominùs hæreticos eſſe declaratos, quòd ſuam illam, de qua ſuprà diſputatum, gratiam Chriſti, ad credendum neceſſariam negarint; ille autem vt præter liberi arbitrij vires naturales, & auxilium doctrinæ ad credendum, & ſalutis initium gratiam illam ſufficientem, quam *poſſibilitatis* appellat, à Semipelagianis admiſſam probet, hoc affert Gennadij teſtimonium. *Libertati arbitrij ſui commiſſus eſt ſtatim in prima conditione Adamus, vt ſola vigilantia mentis annitente, etiam in præcepti custodia perſeuraret, ſi vellet in eo, quod creatus fuerat, permanere. Poſtquàm verò ſeductione ſerpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrij, non tamen electionem, ne non eſſet ſuum, quod euitaret (al. emendaret) nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluiſſet. Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, id eſt, rationalis voluntas, ſed admonente priùs Deo, & inuitante (al. incitante) ad ſalutem, vt vel eligat, & ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione ſalutis. Vt autem conſequatur, quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit, Dei eſſe liberè confitemur. Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus, vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt: vt adipiſcamur, quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris: vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſollicitudinis noſtræ eſt, & cæleſtis pariter adiutorij: vt labamur poteſtatis noſtræ & ignauiæ.*

In hac oratione Gennadij, vnica vox *inſpirationis* gratiam internam voluntati, & ſuauitatis illius, in qua eam cum Patribus actualem ſtatuimus, per Spiritum ſanctum infuſæ, ſenſum & affectum præſefert. Verùm vt Gennadij patrocinium ſuſcipere non videar, vel teſtimonij ipſius defenſionem, quia hoc cauſæ præſentis ratio non poſtulat; multa ſunt, ni fallor, certiſſima argumenta, quæ vincant, Gennadium eo in loco non aliam intelligere inſpirationem, quàm ſimilem inſpirationi malæ, quæ à ſpiritu malo ſuggeri ſolet.

Nam obſeruandum imprimis eum non preſſè, & ſimpliciter dictam inſpirationem nominare, ſed eam tantùm, quæ

quæ ſalutis occaſio eſt, adeovt ipſe conſultò dixerit *occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione Dei* hominem agere, vt ſignificaret aliam ſe inſpirationem non accipere, quàm quæ in procurata ſalutis occaſione poſita eſt. Quamobrem hanc Dei inſpirationem Gennadius eodem modo videtur accipere, quo poſtea cap. 8. cogitationes aliquas malas Dæmonis inſtinctu excitari ait, tametſi Zozimus inſtinctum Dei, pro inſpiratione ſumat.

Deinde cùm ait, *vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſſe*, ſatis ſignificat illâ inſpiratione poteſtatem hanc non tribui, quod tamen fieret, ſi Catholica gratia, & Dei inſpiratio intelligeretur. Cùm igitur inſpirationem à poteſtate noſtra diſtinguat, eam non vult aliam eſſe, quàm cuiuſmodi eſt diabolica, quæ pertinet ad malum, in occaſione vel admonitione poſita. Tertiò admonitionem nihil eſſe diſtinctum ab inſpiratione ſignificat. Quod enim dixerat nos *acquieſcere ſalutiferæ inſpirationi*, ſtatim ſubiicit nos acquieſcere *admonitioni*. Quartò num manifeſtè patet bonum quod poſt miſerabilem Adami caſum ſupereſt in nobis, eum non intelligere aliud, quàm ingenitam naturæ rationem, liberúmque arbitrium, quod ſolâ admonitione & doctrinâ ad ſalutis initium iuuari vult, cùm non obſcurè dicat, *manere ad quærendam ſalutem, arbitrij libertatem, id eſt, rationalem voluntatem, admonente priùs Deo, & inuitante ad ſalutem?*

Quintò tres partes diuerſas inter ſe tribuit voluntati in iis, quæ pertinent ad ſalutem. Prima eſt, quâ ſalutem quærimus, monitorem Deum audimus, obſequimur eius admonitioni, inſpirationi acquieſcimus, tum demum ita partim admonitione, partim etiam inſpiratione adducti, dare operam ſaluti deſideramus. Secunda eſt, qua bonum deſideratum conſequimur. Tertia, qua ab inſtitutâ bene viuendi ratione, non modò non excidimus, ſed etiam firmi ac conſtantes in ea perſeueramus. Nam quantum ſpectat ad libertatem peccandi, quod poteſtatis & ignauiæ noſtræ ait eſſe, licèt voluntatis noſtræ ſit, tamen quia non eſt propoſitum dicere, niſi ea, quæ pertineant ad bonum, de illâ facultate mali faciendi præſtat ſilere.

Tria porrò memorata Gennadius vult eſſe eiuſmodi, vt poſitâ ſolâ Dei admonitione, & occaſione datâ quam nobis ipſis procurare, non eſt noſtræ facultatis, primum, quod eſt ſalutem quærere ſolâ noſtrâ voluntate, libertate arbitrij, atque poteſtate eligamus, velimúſque; in quo planè videtur Semipelagianus; ſecundum verò diuini muneris ait eſſe, non noſtræ vel optionis, vel facultatis. Tertium partim à diligentia, & ſollicitudine noſtra, partim à gratiæ cæleſtis ope eſſe expectandum; in quo peccat etiam nonnihil, quandoquidem cenſet Auguſtinus perſeuerantiam finalem in hoc noſtro ſtatu tam eſſe donum Dei gratuitum, quàm ſit ipſum ſalutis initium, quod poſtea pluribus diſputabitur.

Sextò, cùm idem ille affirmet in nobis vim eſſe & facultatem, vnum præ alio eligendi, ne quod emendamus non noſtræ libertatis eſſe videatur, conſpirat cum Semipelagianis, qui, vt poſtea explicabitur, non potuerunt intelligere, qua ratione nobis liberum eſſe poſſit, quod nullo modo ſuis viribus arbitrium noſtrum cupere queat, aut optare.

Denique, quod, poſt infelicem Adæ caſum, in nobis libertatis relictum eſt, Gennadius vult ad quærendam, optandámque ſalutem peræquè valere, ac valuit in Adamo vigor is arbitrij, qui ad perſeuerandum in bono ſatis ei fuit. Et ad id *ſolam mentis vigilantiam annitentem* ſufficere contendit, quam ſolam in nobis ad bonum valere vult. licèt enim Semipelagiani dona ſupernaturalia iuſtitiæ originalis Adamo data agnouerint, tamen non exiſtimarunt in iis datam eſſe Adamo aut primam voluntatem boni, aut ipſam perſeuerantiam in bono. Quemadmodum tametſi cum Catholicis veram Chriſti gratiam ad bene agendum, & opera digna mercedis æternæ facienda admiſerint, in eo tamen errarunt, quòd iuſtificatos, abſque alio gratiæ amplioris auxilio, in accepta ſemel iuſtitia perſeuerare poſſe, nec perſeuerantiam finalem Dei donum ab accepta iuſtitia diuerſum eſſe voluerint. Ex quibus ſatis euidens eſt, quàm parùm prudens ſit Cornelius Iprenſis, qui obuia quæque è Patribus temere arripiat, vnde ſuam in rem abutatur; & quàm infeliciter illi ceſſerit locus ille petitus à Gennadio, quo tantum ponderis ac momenti nouæ illi ſuæ de Semipelagianorum hæreſi

Digitized by Google

doctrinæ additurum ſe exiſtimabat. De Caſſiano quæ habet, poſtea commodiùs examinabuntur.

CAPVT X.

Rationes aliæ Theologi expenduntur.

SIc demùm diſputant Aduerſarij. Eam tantùm gratiam pro ſalutis initio repudiarunt Semipelagiani, qua tolli libertatem arbitrij, & correptionis vtilitatem, deſperationem verò, ignauiam, torporem, bonorum operum negligentiam oriri dixerunt. Sed gratia Adamo conceſſa, quæque à nobis ſufficiens dici ſolet, nec eſt eiuſmodi, nec à prudentibus ſapientibúſque viris talis habetur. Ea quippe arbitrio ſic ſubiacet, vt ea, ſi velit, vtatur, ſi nolit, vrgeri ſe non ſinat; prorſúſque in eius arbitrio ſit illam vacuam dimittere, atque inanem. quæ in gratiam Ianſenianam cadere nullo modo poſſunt. ſic enim dat ipſum velle, & operari, vt à libero arbitrio ſuſpenſas vires non habeat, cùm velle *inſeparabiliter & indeclinabiliter* (vt aiunt) faciat. Enimuerò vt id obiter dicam, Aduerſarij (opinor) non exiſtimant Semipelagianos fuiſſe, qui ea incommoda ex vera Chriſti gratiâ proficiſci, prudenter iudicarent, quæ tamen ex gratiâ Ianſenianâ conſequi manifeſtum eſt.

Verùm quòd is error Pelagianis iuxtà ac Semipelagianis communis fuerit, nil mirum eſſe debet, ſi contigerit vtriſque, vt ad eundem ſcopulum offenderint, & eam ob cauſam arbitrati ſint humanam voluntatem gratiâ ſufficiente non neceſſariò præmuniri. Certum enim eſt, quod ipſe non ignorat, ſed vltro fatetur Aduerſarius, Pelagianos ob incommoda quæ ex neceſſitate gratiæ conſequi putabant, voluiſſe noſtram voluntatem ſolis ſuis viribus, cum ſolo doctrinæ adiumento, poſſe ſaltem bonum velle & optare. Quod cùm de Pelagianis compertum habeatur, quidni pari iure de Maſſilienſibus idem affirmare licuerit? Sed coniecturis prætermiſſis, quarum vis rebus in grauioribus parùm conſiderari

Digitized by Google

ſolet, repetamus id ex ſanctis Proſpero, & Hilario, quibus præſertim adducti rationibus Maſſilienſes, tanta animorum contentione primæ gratiæ reclamarint.

Proſper in illa epiſt. *breuiùs & planiùs, quid Maſſilienſes opinentur* explicans, ait eos offenſos doctrinâ Auguſtini, qui electorum merita diuinâ gratiâ anteuerti docebat. *Quia ſi profiterentur à gratia omnia bona merita præueniri, & ab ipſa, vt poſſint eſſe, donari, neceſſitate concederent Deum ſecundùm propoſitum, & conſilium voluntatis ſuæ occulto iudicio, & opere manifeſto aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam ... quod refugiunt fateri, diuinóque adſcribere operi ſanctorum merita formidant, nec acquieſcunt prædeſtinatum electorum numerum nec augeri poſſe, nec minui: ne locum apud infideles, ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac ſuperflua ſit induſtriæ, ac laboris indictio, cuius ſtudium ceſſante electione fruſtrandum ſit. Ita demùm enim poſſe vnumquemque ad profectum vocari, ſi ſe ſciat ſua diligentia bonum eſſe poſſe, & libertatem ſuam ob hoc Dei auxilio iuuandam, ſi quod Deus mandat, elegerit. Ac ſic cùm in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam eſſe, quàm gratiam, vt initium ſalutis ex eo qui ſaluatur, non ex eo credendum ſit ſtare, qui ſaluat.*

In eo igitur errarunt Maſſilienſes quòd gratiam præuenientem, præcedere omnem electionem bonam, & obedientiam præfractè negarent, non autem quòd gratiæ ſufficientis aſſertores, cum Synodo Tridentinâ velint liberum arbitrium gratiâ præuenienti afflatum, motum, & adiutum, faciendæ optionis copiam, & conſentiendi facultatem ita habere, vt diſſentire, ſi velit, eámque reiicere poſſit.

Quid vero de Maſſilienſibus cenſeat Hilarius, ab eius epiſtola conſtare poteſt, quæ ſic habet. *Excludi putant omnem prædicandi vigorem, ſi nihil quod per eum excitetur in hominibus remanſiſſe dicatur .... nec putant negari gratiam, ſi eam præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat .... ſi autem dicatur vel talem credendi voluntatem omnibus remanſiſſe quæ vel contemnere quis valeat, vel obedire: de compendio putant rationem reddi electorum, in*

Digitized by Google

eo quod vnicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur.

Ab eiuſmodi porrò opinione quàm abhorreant gratiæ ſufficientis defenſores, norunt ſatis, qui rebus in Theologicis vel tenuiter ſunt verſati. ſic enim ſtatuunt eam eſſe talem, quam oblatam ſibi poſſit homo vel reiicere, ſi ita videatur, vel accipere, proindéque ſuo liberrimo conſenſu, aliquid à Deo promereri, quod ſoli Caluiniani negant. Neque enim, cùm de electione Maſſilienſes egerunt, intellexerunt eam, quæ in gratiâ ſufficiente vel acceptandâ, vel negligendâ poſita ſit; ſed eam duntaxat vnam quæ gratiam omnem antecedat, ipſúmque meritum quod ſolius voluntatis, non autem gratiæ, effectus foret. de fide enim negant dici poſſe, *Quid habes, quod non accepiſti? Cùm hæc in eâdem naturâ remanſerit, licèt vitiatâ, quæ priùs ſana, ac perfecta donata ſit. Aſſerunt quoque inutilem exhortandi conſuetudinem, ſi nihil in homine remanſiſſe dicatur, quod correptio valeat excitare, quod quidem ineſſe naturæ ſic ſe dicere confitentur, vt hoc ipſo quod ignoranti veritas prædicatur, ad beneficium præſentis gratiæ referatur.* Intelligis, mi Doctor, eos ad fidem non poſtulare aliud gratiæ auxilium, quàm admonitionis, & ſolam hanc vocationem, vt paullò pòſt loquitur, indignis, ac immerentibus præſtari, non verò ipſam gratiam, quæ poſt voluntatis conſenſum ſingulos quoſque iuuet, & donis ſuis augeat?

Auguſtinus autem vt eos prorſus refellat, duo tantùm agit; alterum eſt, quòd fidei non modò incrementum, ſed ipſum etiam initium, Dei donum eſſe contendat; alterum quòd idem de perſeuerantiâ finali probet. illud lib. de prædeſt. SS. iſtud verò in lib. de dono perſeu. effeciſſe ſe ait, cùm cap. vltimo illius libri omnia quæ fusè toto libro diſſeruerat, ſummatim colligens, hæc habet. *Inſtituimus quantùm potuimus, vt etiam ipſum initium fidei donum Dei eſſe oſtenderemus.* & lib. de dono perſeuerantiæ cap. 1. *Aſſerimus*, inquit, *donum Dei eſſe perſeuerantiam, quâ vſque in finem perſeueratur in Chriſto, finem autem dico, quâ vita iſta finitur, in quâ tantummodo periculum eſt ne cadatur.* Et cap. 14. quæ in vtroque libro dicta fuerant, ſic repetit. *Satis docuiſſe me exiſtimo, vel potiùs pluſquàm ſatis, dona Dei eſſe, &*

Digitized by Google

incipere in Deum credere, & vſque in finem in Domino permanere. Quæ verba ſatis per ſeſe plana ſunt, vt ſcholæ Ianſenianæ hallucinationem declarare poſſint, in eo præſertim, in quo perſeuerantiam in fide, à perſeuerantiâ in iuſtitia Chriſtiana & bonis operibus vult eſſe diſtinctam. quæ hallucinatio eſt non vna, cùm etiam docet Semipelagianos de perſeuerantia poſteriori, & in iuſtitia Chriſtiana non ſenſiſſe perperam, ſed circa perſeuerantiam in fide fuiſſe deceptos. Certum enim eſt eos peruersè admodum cenſuiſſe perſeuerantiam in Chriſto, (*quam in fide perſeuerantiam* Auguſtinus cap. 17. lib. de dono perſeuerantiæ appellat) non eſſe donum Dei. nam in eodem cap. Auguſt. de illis ſic loquitur. *Ij qui ſolum initium fidei, & vſque in finem perſeuerantiam ſic in noſtrâ conſtituunt poteſtate, vt Dei dona eſſe non putent, neque ad hæc habenda, atque retinenda Deum operari, noſtras cogitationes, & voluntates, cætera verò ipſum dare concedunt &c.* Et cap. 21. *Quiſquis dicere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, ſicut Catholicus fidelis exhorret, nec ipſam fidem ſubtrahat Dei gratiæ, qua miſericordiam conſecutus eſt, vt fidelis eſſet: ac per hoc gratiæ Dei tribuat perſeuerantiam quoque vſque in finem, qua miſericordiam conſequitur, quam poſcit quotidie, vt non inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei & perfectionem perſeuerantiæ, media ſunt illa, quibus rectè viuimus, quæ ipſi etiam donari nobis à Deo fide impetrante conſentimus.* Si igitur credatur Auguſtino vt certè credi debet, quod maximè volunt Aduerſarij, Maſſilienſes ſola duo extrema ſalutis noſtræ bona, initium fidei, & perſeuerantiam finalem, ſine auxilio diuino, eſſe penes nos, & ex nobis, non à Deo donari arbitrati ſunt; de iis verò quæ ſunt intermedia rectè omnino ſenſerunt, & catholicè; ſed quòd finalis perſeuerantia, tam gratuitum diuinæ beneficentiæ donum ſit quàm ipſum fidei initium, nec iſta illam promereri queat, quoddam myſterium eſt ab illo grege hactenus ignoratum.

Hæc habui, quæ de omni illa controuerſia breuiter diſputarem, quæ tametſi ſufficiant, vt in quos cadat hæreſis Semipelagianæ ſuſpicio, declarare poſſint; tamen quia multa ſunt ab Semipelagianis, in toto diuinæ circa om-

Digitized by Google

nes ſaluandos voluntatis prædeſtinationíſque negotio grauiter peccata, quæſtionem hanc, quæ nunc habet tantùm iactationis in ſcholis, diligenter & accuratè tractare mihi propoſitum eſt.

CAPVT XI.

De voluntate Dei.

ARTICVLVS I.

Multiplex Dei voluntas dicitur.

ETsi progrediar longiùs quàm mihi ab initio propoſitum erat, íſque diſputandi locus in dicendi genere longè ſpinoſiori verſetur, quia tamen ad ea pertinet quæ priùs diſputata ſunt à me, præteriri non debuit. Vt autem hactenùs ex omnibus Doctoribus Catholicis, vnum ſelegi D. Thomam, cuius auctoritate rem cum aduerſariis decernerem, ratus plus ponderis ab homine tam graui partibus meis acceſſurum; illud etiam deinceps ſtatuo faciendum.

Atque vt ab ipſis principiis rem repetam: quas in partes, quàm varias, voluntas Dei apud ſanctum illum Doctorem accipiatur, quas diſtribuatur in ſpecies, ad ſcholæ normam, & ſcholaſticæ diſciplinæ methodum breuiter expedio.

Primò igitur commoneri nos oportet, voluntatis diuinæ mentionem, apud D. Thomam fieri multiplicem, atque diuerſam, cùm ab eo Dei voluntas ſtatuatur, altera beneplaciti, altera ſigni; quædam antecedens, conſequens alia; mox abſoluta, & efficax; tum inefficax, & conditionalis; quæ tam diuerſarum acceptionum varietas perturbationem fecit in ſchola Ianſeniana pleniſſimam confuſionis, atque toti illi factioni locum dedit hallucinationis non vnius: ſed nondum eò res adducta, vt omninò deſperare debeant, ſi ſcholæ Magiſtrum D. Thomam velint audire,

Digitized by Google

cuius vniuerſam ſuper ea re doctrinam tum ex variis paſſim locis, tum præcipuè ex 1. p. q. 19. q. 23. de verit. art. 2. & 3. & 1. diſt. 45. 46. 47. promptam, & in ſumma quæque capita digeſtam propono.

Statuendum tamen cum ipſo ſancto Doctore, voluntatem diuinam, licèt ſit multiplex, variáque vocis huius poteſtas, & acceptio, reipsâ tamen eſſe vnam, eámque admodùm ſimplicem, multiplicéſque illas, ſub quibus interdum conſideratur, rationes non eſſe petendas ex parte Dei ipſius, ſed *rerum*, vt ipſe loquitur, *volitarum*, circa quas diuerſis modis conſideratas, & ſpectatas voluntas illa Dei vna ſimpléxque ferri dicitur. Quapropter cùm Dei *voluntates* dicuntur, ſemper ad res ipſas, quas vult Deus, eſt attendendum, quæ potiùs voluntatis diuinæ ſigna ſunt, quàm ipſa Dei voluntas.

ARTICVLVS II.

Quænam voluntas diuina ſigni ſit.

ITAQVE voluntas diuina primò bifariam diſtribuitur in voluntatem beneplaciti, quarum illa eſt in Deo, ſic vt ipſe Deus ſit, dicitúrque habita ratione rei illius, quæ Deo placet, quámque ipſe vult; hæc verò effectus eſt voluntatis beneplaciti, nec propriè dicitur eſſe in Deo, ſed à Deo, nec dicitur voluntas, niſi tranſlatitia quadam vocis ipſius vſurpatione, quia voluntatis ſignum eſt; quemadmodum Cæſaris imago dici ſolet interdum Cæſar ipſe, vt & paſſim ſignum omne rei ſignificatæ nomine appellari ſolet.

Cùm autem Deus circa hominem, quippe qui naturâ ſit præditus ratione, & libera voluntate, quâ proinde ita agatur à Deo, vt ipſe quoque ſe agat, peculiari quadam prouidentia ſe habeat; idcircò voluntas illa diuina, quæ ſigni eſt, circa hominem, eiúſque ſalutem ſpectata, in quinque ſpecies hoc conſequente verſiculo comprehenſas diuiditur,

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

ſiue

ſiue in voluntatem præcepti, conſilij, prohibitionis, operationis, & permiſſionis: de quibus ſatis erit moneri nos, tres priores ad ordinem, quo regitur homo, ad ſalutem conſequendam; poſtremas duas ad ipſum ſalutis negotium exequendum pertinere. Quidquid enim contingit in hac rerum vniuerſitate, vel fit à Deo, vel permittitur.

Poteſt autem circa rem vnam, eandémque verſari voluntas beneplaciti, & ſigni. vt ipſe docet D. Thom. art. 11. quæſt. 19. & vniuerſim de vtrâque ſic definiendum, vt vnicuíque voluntati ſigni voluntas aliqua beneplaciti reſpondeat, quòd illa effectus iſtius, ſignúmque ſit, non ita tamen vt quod ſignificatur ſemper Deo placeat: nam malum, quantumuis ab eo permiſſum, illi tamen nullo modo placere poteſt, nec proinde, vt cum ſancto Doctore loquar, à Deo propriè *volitum eſt*; ſed de permiſſione ſic ſtatuendum, vt cùm Deus malum permittit, ſemper aliquid boni velit, quod ab ipſo malo permiſſo conſequatur; adeóque quod permittitur, non propriè, ſed metaphoricè tantùm *volitum* eſſe dicatur. Nam vt idem S. Doctor in 1. diſt. 47. q. 1. art. 1. docet, voluntas permiſſiua Dei *reſpicit potentiam cauſæ habentem ſe ad vtrumque oppoſitorum, ſeu quæ deficere poteſt.*

Sanè quidem conſentaneum eſt, & naturæ rationali conueniens, vt homo poſſit vel bene, vel malè agere; háncque poteſtatem ad vtrumque Deus velle propriè dicitur, huic placet illa, cum quâ, & ex qua conſequitur operatio mala, quæ tamen Deo minimè placet, ſed ab eo permittitur. Ex quo in promptu eſt, quàm Caluinus amens furioſúſque ſit, qui Theologorum omnium doctrinam explodat, vt Deum, quod permittat malum, illud operari, eúmque peccati auctorem probet. Rem porrò ſic definit D. Thomas, cùm docet 1. p. q. 19. art. 9. *Deum, quæ mala fieri permittit, neque velle fieri, neque velle non fieri, ſed velle permittere ea fieri.* Quæ permiſſio bona eſt. Atque hæc breuiter de voluntate Dei permittente, ſeu permiſſione, cuius obiectum nullum eſt, aut eſſe poteſt Deo bene placitum. nunc de aliis voluntatis diuinæ illius ab initio quadripartitæ ſpeciebus ſic ſtatuo.

Digitized by Google

Obiectum voluntatis illius, quæ eſt operationis, ſemper obiici ſolet voluntati beneplaciti : at obiectum præcepti, conſilij, & prohibitionis, non eſt ſemper, ſed aliquando obiectum beneplaciti, cùm interdum contingat, vt beneplacitum non verſetur circa illa, ſed circa quidpiam aliud cum illis coniunctum. Quod patebit in exemplo. Si quid mihi præceptum eſt à Deo, ipſe vult propriè, non modò vt aliqua illius præcepti faciendi tenear obligatione, verùm etiam, vt penes me ſit, vt illud facere poſſim. Cùm autem D. Thomas quæſt. illa 23. a.3. aſſerat voluntatem beneplaciti eſſe eiuſmodi, quæ ſemper impleatur; ſi quod præcepti eſt, & conſilij, non fiat, non id enimuerò cenſeri debet circa quod beneplacitum verſetur, quod quomodo ſit intelligendum, magis poſtea declarabitur.

ARTICVLVS III.

De voluntate diuina beneplaciti antecedente & conſequente.

NVNC verò de voluntate beneplaciti dicendum, quæ in antecedentem, & conſequentem vulgò diſtingui ſolet, ſed ita tamen, vt diſtinctio illa ab ipſis rebus, quas vult Deus, potiùs quàm ab eius voluntate peti debeat. Si enim bonum, vel malum ſimpliciter, & abſolutè conſideretur in ſe, quia hæc conſideratio prior eſt omni alia, cæteráſque antecedit, antecedens appellatur, eámque ſortitur appellationem ipſa Dei voluntas, quæ rem illam ita nudè ſpectatam ſibi obiiciat. cùm verò eadem ſpectatur, cum omnibus iis, quæ circumſtant illi, cùm ſit, & exiſtit, adiunctis, voluntas Dei quæ circa eam fertur, dicitur conſequens.

Quapropter cùm voluntas Dei rem quampiam vniuerſalem, vti naturam humanam, vel aliquam perſonam ab omnibus nudam, ſpoliatámque circumſtantibus & adiunctis, ſibi obiectam habet; illam Deus velle dicitur voluntate antecedente, nondum conſequente, quæ verſatur

circa rem cum omnibus conditionibus iis, à quibus afficitur, ſpectatúrque vt eſt effectus conſideratus cum omnibus ſuis cauſis, quatenus hæ non ſunt impeditæ, quemadmodum loquitur D. Thomas illa diſt. 47. quæſtione 1. art. 1.

Vnde iam compertum habetur, quænam Deus antecedenter velit, quæ conſequenter. Quod autem vult antecedenter tantùm, clarum eſt eum ſimpliciter, & abſolutè velle non poſſe, ſed (vt aiunt) ſecundùm quid, & quaſi ſub conditione, quæ ab ipſâ naturâ creatâ petatur. Ita nimirum idem D. Doctor diſt. 46. q. 1. art. 4. *Dei voluntas* (inquit) *conſequèns recipit conditionem creaturæ*, & eadem diſt. q. 1. a. 1. *voluntas antecedens dici poteſt conditionata*, nec eſt abſoluta.

Verùm cauendum imprimis, ne, quod vtrique voluntati propoſitum eſt obiectum, confusè, permixtéque habeatur. Eadem enim voluntas, quæ circa rem vnam antecedens eſt, poteſt eſſe conſequens circa alteram. cùm enim Deus vult ſalutem meam, & gloriam, víque voluntatis illius, vult mihi gratiam ſanctificantem, & ea deinde auxilia, quibus ſalutem conſequi poſſim; hanc obtinendæ ſalutis *poſſibilitatem*, non ea duntaxat voluntate Deus vult, quæ antecedens ſit, ſed etiam quæ conſequens, licèt fortè ſalutem ipſam velit tantùm voluntate antecedente, adeo vt voluntas ipſa, habitâ ratione gratiæ, conſequens ſit, habitâ verò ratione ſalutis, antecedens. Et vniuerſim, quidquid Deus reipſa agit, & operatur, & quidquid porrò boni efficit, quia nihil facit niſi volens, illud conſequenti voluntate facere, & operari dicitur.

Deinde etiam ex iis, quæ conſtituta ſunt, colligi poteſt, quòd cùm operatio ſignum ſit voluntatis Dei conſequentis, quidquid Deus voluntate conſequente vult, id omne perfici. De voluntate verò antecedente non ità ſtatuendum, quæ quidem non ſemper perficitur, ſed aliquid aliud, quod Deus aliò deſtinat. Quemadmodum Deus voluit ſalutem Iudæ proditoris, volens eius vocationem: quæ quidem poſita eſt, ſalus verò minimè, quia hanc, non illam Iudas impediuit. Quidquid autem Deus vult quod

Digitized by Google

aliunde non pendet, neque quidquam habet cum cauſis ſecundis commune, illud ſimpliciter, & abſolutè non modò vult, ſed etiam operatur, ídque proinde, vt declaratum eſt, vult voluntate conſequente, quod ex diſtinct. 47. q. 1. art. 1. manifeſtum eſſe poteſt. Præterea videtur etiam colligendum, voluntatem eam quæ antecedens eſt, magis poſſe dici *velleitatem* (ſic enim eam appellat D. Thomas q. 19. a. 6.) quàm voluntatem abſolutam. Verùm hîc cautio adhibenda eſt, ne locus detur quorumdam errori, qui de illa velleitate ſic ſentire videntur, vt nullum in ea, reipſa poſitum volendi actum, agnoſcant, rémque ita definiant, vt cùm dicitur, vellem, ſub certâ, quæ proponitur, conditione, futuræ voluntatis quædam ſit potiùs quaſi anteceſſio, quæ præuideatur, quàm aliqua actualis volitio. At in præſenti negotio non ita ſe res habet. Quoties enim Deus dicitur velle aliquid antecedenter, toties verè, & propriè vult illud; nec aliud ſignificat, cùm ait, vellem, quàm ſe quidem talem voluntatem propoſiti illius obiecti actualem habere, vi cuius reipsâ, quod vult, efficeret, ſi, quæ rem ipſam circumſtant, ita eſſent comparata, vel ſi tales adeſſent conditiones, quæ id poſtularent. Neque verò Deus, cùm voluntatem habet eiuſmodi antecedentem, poteſt impedire conditiones illas, quibus poſitis voluntas conſequens exiſteret, ſed ad ſummum, vt impediantur, permittere.

Quamobrem, cùm Deus vult antecedenter ſalutem Iudæ, eam verè, propriéque vult, adeo vt etiam neceſſe ſit, vt circa eam aliquid efficiat, eúmque ad hunc finem inſtituat, quæque conſequendo illi fini neceſſaria ſunt prouideat: neque ipſe proinde per ſeſe poteſt, vel dare operam, vel procurare, vt vel Iudas, quem ſaluum vult, vel vllæ aliæ cauſæ impedimento ſint illi ſaluti obtinendæ; alioqui velle eam non cenſeretur. Cùm verò Dei voluntas in vniuerſum res ſpectet, vt exiſtunt, Deúſque non exiſtimetur liberè velle bonum vllum, niſi quod ipſe efficiat, nec ſine aliquo effectu libera Dei voluntas intelligi vllo modo poſſit; idcirco quod ipſe vel per ſe, vel aliunde impeditus, non facit, id dicitur non abſolutè, & ſimpliciter, ſed tantùm cum con-

Digitized by Google

ditione, velle, & ſecundùm quid, hoc eſt ſecundùm id quod, ad illud ſpectans, ipſe facit.

Animaduertendum eſt autem voluntatem Dei, quatenùs conſequens eſt, ita eſſe efficacem, vt nunquam fruſtrari ſuo effectu poſſit, quandoquidem perficitur illud omne, circa quod verſatur, quod de antecedente dici non poteſt, cùm ipſa impediri poſſit. Id vt intelligatur, ſic ſtatuendum eſt de voluntatibus ſigni, cuiuſmodi ſunt præceptum, conſilium, prohibitio, quà ſimpliciter tales ſunt, nec effectionem nec permiſſionem adiunctam habent, eas ad antecedentem pertinere; effectionem verò, & permiſſionem ad conſequentem. Præterea fieri dicitur etiam aliquid vel contra, vel tantùm præter voluntatem Dei. Fit contrà, cùm quid illi oppoſitum; præter, cùm nec oppoſitum, nec illud ipſum fit quod vult.

His obſeruatis, conſtat contra voluntatem Dei conſequentem nihil fieri poſſe, fieri tamen aliquid poſſe præter; vt fieri poteſt contra, prætérque antecedentem. quod ſatis euidens eſt in præceptis, conſiliis, prohibitionibus, contra quæ peccata fieri ſolent, cùm nihil fiat contra operationem, præter quam tamen fiunt peccata; ſi quidem Deus ea non operatur. At verò nec contra, nec præter permiſſionem quicquam fieri poteſt, licèt quod peccato permiſſo opponitur fieri queat, ídque fit ſecundùm permiſſionem, quæ cùm ſpectet potentiam cauſæ, ad vtrumque oppoſitum ex æquo ſe habentem, neutrum oppoſitorum eſt contra, aut præter, ſed ſecundùm permiſſionem. Ita paſſim tota illa diſt. 47. q. 1.a.2. D. Thomas.

ARTICVLVS IV.

De voluntate Dei abſoluta, conditionata, efficace, & inefficace.

POSTREMÒ ſequitur voluntatis diuinæ diuiſio in abſolutam, & conditionalem; tum in efficacem, & inefficacem. neque enim, quod viſum eſt nonnullis, mihi videtur, eandem formaliter eſſe abſolutam, & efficacem; cùm

abſoluta ea ſit, quæ primaria intentione fertur circa obiectum propter ſe & abſolutè amatum, cuiuſmodi eſt finis, cùm medium non propter ſe, nec abſolutè ametur, ſed cum ordine ad finem, & propter eum, nec niſi quia vel neceſſarium eſt, vel vtile, & idoneum ad eum conſequendum, adeo vt non niſi poſita voluntate finis, voluntas medij eſſe queat. At efficax voluntas dicitur ob ordinem, quem habet ad effectum.

Hæc porrò in Deo, vt in nobis trifariàm diſtribuitur, cùm altera ſit intentionis, electionis altera, tertia effectionis; in quo ne quid peccetur, obſeruandum hominem eſſe interdum cauſam phyſicam finis, quem intendit, vt qui ſtudet, ſtudij ſui aſſiduitate, doctrinæ, cuius amans eſt, cauſa phyſica dicitur. Interdum verò eſt cauſa tantùm moralis finis, quem ſibi proponit; quemadmodum artifex operis ſui arte facti pretium ſibi proponit, ſic vt operis, quod abſoluit, cauſa ſit phyſica, cauſa verò moralis præmij. Qui autem cauſa phyſica eſt præmij, poteſt intendere illud, & velle dare vt præmium, & merenti eligere, ſeu procurare auxilia, quibus, is qui præmium flagitat, illud promereri poſſit.

Ex quibus demùm colligendum, qua ratione triplex voluntas illa ſit abſoluta & efficax. Intentio quidem finis per ſe conſiderata, eſt purè, & ſimpliciter abſoluta voluntas, nec tamen rei quæ intenditur, ſeu finis eſt efficax per ſe ſolam, ſed tantùm mediâ effectione, quæ cùm ſit tantùm poſitâ iam electione medij, vtpote quæ non eſt niſi medij electi effectio, ipſa tamen finis illius eſt ſimpliciter efficax, ſi medij in ipſa re exequenda poſtremi ſit operatio. Neque intentio aliter eſt efficax habitâ ratione finis, quàm quia vi ſua facit deliberationem de mediis, deinde optionem ſeu electionem aliquorum quæ magis ſint accommodata ad finem obtinendum, demum infert ipſam effectionem. quæ, qui conſiderabit attentiùs, penitúſque perſpiciet, rem ita habere intelliget.

Notandum etiam occurrit, intentionem ferri circa finem, per aliqua media aſſequendum, non autem eſſe propter media; electionem verò & ipſam effectionem, eſſe voluntatem mediorum propter finem, adeo vt nullo prorſus modo ame-

tur finis propter media, neque media ipſa per finem aut amentur, aut fiant, quia cauſa finalis, hac particulâ *propter*, iſtâ verò, *per*, cauſa efficiens ſignificatur. Si tamen is, qui finem adeptus eſt, eius cauſa meritoria ſeu moralis eſſe cenſetur, non phyſica, tunc finis dicitur dari in præmium propter merita, quæ ſunt quidem media, ſed moralia, ſeu cauſa moralis finis, & particula iſta *propter* tribuitur effectioni finis, non verò tantùm intentioni.

Hinc verò exiſtere poteſt offenſio, in quam pleroſque de prædeſtinatione diſputantes video temere ferri. Verùm vt omnis locus tollatur ambiguitati, ſic meam rationem inſtituo. Deus vult Petrum beatum, ídque per ea media quæ ad beatitudinis adeptionem ſint idonea; de quibus tamen nondum ſtatuiſſe, eáque determinata habere intelligatur. Tum verò ex multis ſibi propoſitis, eligit aliqua, exempli gratia, Petri ipſius merita, neque iſta eligit, niſi propter finem propoſitum, ſiue beatitudinem: mox conſiderat media, quibus iis meritis locum det, eáque Petro procurat: demùm poſtquam Petrus merita, quibus beatitudinem ſibi pararet ipſe, poſuit, Deus illi dat deſtinatæ beatitudinis illius donum, quam ob rem autem? propter illa nimirum merita, quibus debitam mercedem reponit.

Non diſputabo hoc loco, cur, qui mercedem reddit compenſátque meritum, id propter meritum ipſum, & cauſam moralem facere dicatur; cùm tamen qui ſtudio vacat, vbi ſcientiam hac arte parabilem acquirit, non propter ſtudium ſed per ſtudium ſciens, doctúſque fieri dicatur: cùm nec qui meretur præmium, propter meritum, ſed per meritum illud ſibi parare, rectè dici ſoleat, tametſi vulgò dicatur illud obtinere propter meritum, qui enim dat mercedem, eam propter meritum dare cenſetur.

Quapropter cùm Deus vult Petrum beatum, id per media ad beatitudinem idonea fieri ſimpliciter & abſolutè vult, ex quibus mediis, cùm præſertim eligat merita, dat locum Petro, vnde mereri queat; nec hac voluntate intentionis, aut electionis vult vllo modo beatitudinem Petri propter huius merita, ſed per ea tantùm, quæ non vult niſi propter beatitudinem, quam conſequenter, ſicut & merita vult gratis

omninò, & ſecundùm ſuum propoſitum. Vbi verò deſtinatus ille ad beatitudinem, diuina munitus ope merita poſuit, Deus exequens eam, quam de beatitudine habuit intentionis & electionis voluntatem, & reipſa efficiens, dánſque Petro propoſitum illud beatitudinis præmium, non propriè id facit per merita, quia non ſunt hæc cauſa phyſica, ſiue principalis, ſiue inſtrumentalis beatitudinis, ſed per ſuam infinitam poteſtatem illam efficit, quam Petro propter eius merita concedit.

Quæ omnia viam nobis facient planiorem, ad ea quæ conſequuntur intelligenda, cùm omnis iſtius doctrinæ ratio, ab ea diſtinctione, quæ eſt inter voluntatem Dei abſolutam & conditionalem, efficacem & inefficacem, aliáſque explicatas, videatur eſſe repetenda.

CAPVT XII.

De prædeſtinatione.

VT nihil dicam, ab diuini Doctoris illius mente, quam mihi propono explicandam, quod videatur eſſe alienum, ipſas quas vſurpat in dicendo ſententias, ipſam orationem, dictionémque adhibere mihi conſtitutum eſt. Summa itaque doctrinæ illius prompta eſt, partim ex prima parte q. 23. ex 1. diſt. 40. & 41. q. 6. de veritate, partim etiam ex lib. 3. contra Gentiles cap. vlt. comment. in Pauli Epiſt. ad Rom. c. 8. lect. 6. cap. 9. lect. 3. ad Epheſ. cap. 1. lect. 1. variíſque paſſim eiuſdem locis. Quæ verò ad perfectam prædeſtinationis intelligentiam pertinent, his præſertim 9. capitibus continentur. Primo quid ſignificationis huic voci ſubiectum ſit. Secundo in quo conſiſtat. Tertio quid ſit. Quarto quos actus diuinos cùm intellectus, tùm voluntatis complectatur. Quinto quos effectus habeat. Sexto quis inter illos actus, & effectus ordo conſtituendus ſit. Septimo quas conditiones habeat prædeſtinatio. Octauo quorum ſit.

Nono

Digitized by Google

Nono quomodo cum reprobatione comparari debeat, quæ duo poſtrema poſtea fuſiùs diſputabuntur.

ARTICVLVS I.

Quid apud D. Thomam ſignificet vox iſta, Prædeſtinatio.

QVOD ad primum attinet, intelligo prædeſtinationem apud Theologos duplicem in ſenſum accipi. Primò pro peculiari illâ ſingularíque Dei, erga eos qui ſalui fiunt, voluntate: ſub quâ acceptione, multos continet intellectus diuini, & voluntatis actus, atque decreta, quibus potiſſimùm totum illud negotium conficitur. At altera acceptione preſſiùs apud D. Thomam, ſtrictiúſque ſumitur pro certo quodam peculiaris prouidentiæ, & conſequenter intellectus diuini actu, habente ſecum coniunctum actum quendam voluntatis, qui reliquos antecedentes ſupponat.

In prædeſtinatione ſumpta priori modo, diuina ſcientia, adeóque præſcientia includitur illa, quæ non eſt ſimplicis notitiæ, ſed rerum futurarum anticipata cognitio, tum propoſitum illud, ſecundùm quod prædeſtinati dicuntur vocati, cum ipſa electione, qua vocantur electi, quæ (vt poſtea dicendum erit) vnius præ alio delectum, & quandam quaſi ſecretionem, propoſitum verò, ipſam finis ſignificat determinationem. Eſt & deſtinatio, vnde vulgò prædeſtinatio dici ſolet, quaſi antecedens deſtinatio, deinde etiam quædam ordinatio & illius qui prædeſtinatur, & earum rerum, quibus ad ipſam beatitudinis adeptionem peruenit. Poſtremò prædeſtinatio ſignificat propoſitum diuinum de alicuius ſalute, cum præſcientiâ eiuſdem.

Neque omittendum prædeſtinationem, præſcientiam, & librum vitæ, ita diſtingui inter ſeſe, vt præſcientia ſit omnium futurorum, adeóque reproborum, qui præſciti dicuntur; liber verò vitæ, gratiæ notitia ſit vel gloriæ, vnde qui gratiam, cuius iacturam facturi ſunt, obtinent, in eo ſcripti quidem, ſed ab eodem dicuntur deleri. Prædeſtinatio autem ſit gratiæ ſimul & gloriæ.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

In quo ſubiecto ſit prædeſtinatio.

SECVNDÒ quæritur, in quo prædeſtinatio ſit, in Deone, an in prædeſtinato, vel vtroque. Eam quidem eſſe in Deo perſpicuum eſt, & eius effectionem in prædeſtinato, in quo Deus & gratiam efficit, & gloriam. Illa quippe eſt actus intellectus diuini, & voluntatis, proinde actio non tranſiens, ſed immanens, ſeu vt loquitur D. Thomas in diſt. 40. q. 1. a. 2. *operatio mera,* non autem actio quæ paſſionem ſecum habeat adiunctam. Conſulatur autem eo loci à curioſis, quid paſſionem inter & actionem diſcriminis ſit; quemadmodum dicitur creatio actiua in Deo, paſſiua in re creata. deinde verò quid ſit ipſa actio grammaticalis, de qua video diſputari in ſcholis.

Porrò tametſi prædeſtinatio inferat aliquando effectum temporalem, ad quem ordinem habeat, non infert tamen ſimul productionem illius, quemadmodum creatio, quæ nec in Deo actiua intelligitur eſſe, niſi cùm res creata efficitur. ſanè eiuſmodi actio diuina poteſt habere ordinem ad aliquid temporale, & contingens, licèt ipſa ſit æterna, nec mutari poſſit.

Neque id impedit, quòd prædeſtinatio dicitur præparatio donorum, quibus ſalui fiunt electi. Duplex quippe eſt præparatio, altera materiæ, quæ recipiat formam ad quam comparatur, altera verò agentis ipſius, quâ agens ſecundùm intellectum nimirùm, & artifex ſe comparat ad agendum, rationem operis faciendi animo præcipiens. Prædeſtinatio verò eſt huius ſecundi generis præparatio, qua Deus ab æterno concipit rationem, qua deſtinatos ad gloriam, ordinet ad ſalutem. Ex quo patet nihil eſſe in prædeſtinato, quod prædeſtinationis rationem formalem conſtituat, ſed tantùm ex ea in iſto, quidpiam aliquando conſequatur. Videatur D. Thomas 1. p. quæſt. 23. art. 8. & 1. diſt. 40. quæſt. 1. art. 1.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Quid ſit prædeſtinatio.

QVÆRITVR tertiò quid ſit prædeſtinatio? Audiendus ſuper ea re D. Thomas, qui in 1. diſt. 40. q. 1. art. 2. hanc, vt ipſe loquitur, *magiſtralem* definitionem affert. *Prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in præſenti, gloriæ in futuro.* vel magis explicatè, *Prædeſtinatio eſt tranſmiſſio creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ præexiſtens in mente Dei;* Hanc enim poſteriorem affert 1. p. q. 23. a. 1. quibus accedere poteſt, eam eſſe ſingularem quandam, & amantiſſimam Dei prouidentiam, adeóque erga eos, in quos bene affectus eſt, ſimpliciter, & abſolutè non tantùm ſecundùm quid, ſpectatam.

Quod vt intelligatur, obſeruari debet, prouidentiam Dei erga naturam rationalem, ratione quadam longè amiciori, beneuolentioríque ferri, quàm circa cęteras animantes ratione deſtitutas, quas Deus non amat propter ſe, ſed propter hominem, cuius vtilitati, & commodo ſeruiant, & cum eo ſolo amicitiam contrahere; cùm quædam debeat intercedere ſimilitudo inter amicos, quæ cum cæteris animantibus non poteſt eſſe Deo communis; nec proinde Deus poteſt habere amicum niſi eum, quem ſuæ ſocium, participémque beatitudinis, facere velit.

Porrò diuina prouidentia eſt eiuſmodi, quam nullum vel bonum, vel malum creatum fugiat. Nam quidquid boni eſt, à Deo fit, à quo quidquid eſt mali permittitur, permiſſúmque ab eodem aliquò deſtinatur. Bonum autem naturæ creatæ triplex ſpectari poteſt. Primum ipſam conſtituit, ipſáque eſt eius natura; ſecundum illud eſt, quod perficit naturam, & eſt ei naturale; tertium verò, quod naturæ illius terminos excedit, & dicitur eamobrem ſupernaturale. Ita quippe comparata eſt quæuis ſubſtantia creata, vt omnibus partibus ſuis, ac facultatibus inſtructa ſit, quibus finem ſuum naturalem conſequatur, cúmque cùm conſecuta ſit, in ordine ſuo naturali abſoluta, perfectáque cenſeatur.

Digitized by Google

Non eſt autem inſtitutæ quæſtionis diſputare, vtrum omnis natura creata præter finem ſuum, perfectionémque naturalem, idonea quoque ſit, cui perfectio finiſque ſupernaturalis proponatur, quem quidem vi ſibi inſita in ratione cauſæ primariæ, ac principalis aſſequi non poſſit, ſed ſuperioris cuiuſdam naturæ, cuius inſtrumentum ſit, ope adiuta, poſſit. Certè conſtat (quod obiter dici poteſt) id naturæ rationali negari non poſſe, cuius vltima beatitudo, quæ diuina ſit, eſt eiuſmodi, vt nec ad eam contendere, nec moueri per ſeſe queat, quam tamen ſi diuina ope fulciatur, aſſequi poſſit.

His omnibus, quæ ad propoſitæ difficultatis explanationem neceſſariò videbantur præmunienda, ita demum conſtitutis, allatam prædeſtinationis definitionem ſic explico. Deus preſsè loquendo non dicitur prouidere naturæ, vt primò conſtituatur, ſed eius conſtitutio ſpectat eatenùs ad Dei prouidentiam, quatenùs ad finem propoſitum ordinatur. Prouidentia enim, eſt quædam prudentia, ſiue ordinatio rei ad finem. Quapropter prouidentia quæ communis eſt, pertinétque ad naturam quamlibet, nihil habet propoſitum, niſi vt res iam conſtitutas ad finem ſuum perducat. Altera eſt autem ſingularis, quam ſpecialem vocat ſchola, quæ naturam intellectu, & ratione præditam regit, ducítque ad finem ſupernaturalem, adeo vt omnis is ordo ſingularis illius prouidentiæ diuinæ effectus ſit, quæ ita totum illud adminiſtrat negotium, ac moderatur, vt naturam iſtam rationalem finis ſui ſupernaturalis cauſam faciat meritoriam, non efficientem, moralem, non phyſicam.

Verùm, quia natura illa rationalis cùm ad finem ſuum ſupernaturalem dirigitur à Deo, libertatis etiam ſuæ retinens eſt, adeo vt cùm ad agendum comparata eſt, ab actione poſſit abſtinere; idcircò præter diuinam opem, qua illa potens fit vt agat, beatitudinémque conſequatur, deſideratur etiam quidpiam à Deo, vt reipſa agat, fiátque beata. Hinc fit, vt ad beatitudinis illius adeptionem naturæ rationali duplex ordinatio à Deo requiratur; altera, quâ beatitudinem conſequi poſſit; altera quâ reipsâ eam conſequatur. Et ea eſt amantiſſima, & maximè ſingularis Dei prouidentia. Cùm enim

Deus eum dicatur amare, cui bene vult, illum plus amat, quem reipſa beatum facit, quàm illum, cui tantùm dat, vt beatus eſſe queat; cúmque beatitudo bonorum omnium ſummum ſit, neminem omnium plus amat eo, quem voluntate conſequente, & efficaci beatum vult. Iſque amor Dei erga hominem omnium maximus, amoríſque illius prouidentia amantiſſima, illa ipſa eſt, de qua diſputamus, prædeſtinatio.

Ex his autem conſtat, quod docet D. Thomas in diſtinct. 40. quæſt. 1. art. 2. prædeſtinationem ad communem, vniuerſalémque Dei prouidentiam quatuor rationes peculiares adiungere. Prima petitur ex parte eorum, qui prædeſtinantur. Nam cùm prouidentia diuina pertineat ad res vniuerſas; prædeſtinatio non poteſt verſari niſi circa eam naturam, quæ voluntatis, & intellectus vi prædita ſit. Secunda verò petitur ex parte finis, & mediorum, quibus ille finis obtinetur. prouidentia enim communis reſpicit ordinem cuiuſlibet boni, ad quemlibet finem naturæ ipſi accommodatum; at prædeſtinatio non eſt ordinatio niſi ad finem, & media, quæ naturæ vires ſuperent. Neque enim rectè dici poteſt homo prædeſtinatus ad ratiocinandum, ambulandúm-ve. Vnde factum, vt à Damaſceno prædeſtinatio diceretur, eorum quæ penes nos, aut in nobis non ſunt. Tertia verò peti debet ab ipſo Deo prædeſtinante. Prouidentia enim communis, quippe quæ ſit quædam quaſi ars rerum omnium adminiſtrandarum, intra ſolam earum conſiderationem poteſt ſe continere; prædeſtinatio non item, cùm practica, & effectiua ſit, & ad ipſam effectionem, ſeu exequutionem, quæ fit per voluntatem, ordinem habeat. Mirum fortaſſe pleriſque videretur, quod D. Thom. de prouidentia ſpeculatiua pronunciat, ſed ab eo abſtineo, quod ad rem noſtram nihil attineat. Quarta demùm petitur à re prouiſâ, quæ in communi prouidentiæ adminiſtratione poſſit interdum impediri, finíſque illi deſtinatus non poni, ob aliquod impedimentum, quod in mediis ipſis ſeſe obiiciat, vt euidens eſt in eo, quod non omnes homines ſalutem conſequantur, tametſi Deus pro ſua communi prouidentiâ omnes ſaluos velit; non ſic habet in

prædeſtinatione, quæ ſalutis futuræ præſcientiam, & ordinis in quo poſita eſt, effectionem continet, nec tantùm ea præparatio eſt, ſed etiam præſcientia, quia prædeſtinatio dicit *intentionem diuinam de ſalute prædeſtinati cum præſcientiâ eius quod ſaluabitur.*

ARTICVLVS IV.

Quos diuinos actus in prædeſtinatione, & quos eiuſdem effectus S. Thomas conſtituat.

QVARTVM doctrinæ de prædeſtinatione inſtitutæ caput complectitur actus diuinos. Tres numerat D. Thomas circa perſonam, quæ prædeſtinatur ad ſalutem, dilectionem, electionem, & prædeſtinationem, quæ pro peculiari quodam actu hîc ſumitur. Dixi circa perſonam prædeſtinatam. Neque enim electio ibi ſumitur ea, quæ intentionem conſecuta, ex multis mediis propoſitis, certorum quædam optio eſt, & acceptio poſtea exequendorum; ſeu quæ vi ſua infert tertium voluntatis actum, qui eſt ipſe vſus effectiuus, & effectio; prædeſtinatio verò, tertius is actus eſt à dilectione, & electione ſecundùm rationem diuerſus, & ſingularis prouidentia illa, actúſque is diuini intellectus, quo Deus ab æterno conſtituit apud ſe media omnia, quibus aliquando prædeſtinatum dirigat ad gloriam tam certò, vt ab ea quaſi deductione non deflectat; dicitúrque à D. Thoma q. 23. art. 4. *ratio in intellectu præceptiua, ordinationis prædeſtinati in finem vitæ æternæ.* Is porrò actus ſeu ordinatio mente præcepta ſupponit voluntatem finis illius iam exiſtentem, ſeu quâ Deus vult prædeſtinati ſalutem. Hæc eſt autem dilectio diuina, quâ Deus afficitur erga prædeſtinatum, quáque Deus efficaciter, & abſolutè voluntate conſequente vult eum beatum. Ita S. Thomas quæſt. illa 23. art. 2. vbi aſſerit etiam ordinem prædeſtinationis eſſe ordinem abſolutæ voluntatis, & art. 4. hæc dilectio non eſt (inquit) tantummodo ea communis, qua Deus omnes homines ſaluos fieri vult antecedenter, ſed quâ aliquos conſequenter, ac proinde ſimpliciter ſaluos fieri vult.

Digitized by Google

Ex hac autem dilectione conſequitur electio prædeſtinati, qua Deus eum ab aliis non prædeſtinatis ſegregat, præque illis ſaluum fieri vult. Cùm enim ex iis omnibus quos antecedenter vult ſaluos, ſeu vult omnino ſaluos fieri poſſe, alios reprobet, alios prædeſtinet, conſequenter reprobos ſeruire vult prædeſtinatis, ita vt reprobationem eorum, & defectum ſalutis permiſſum ordinet tanquam aliquod medium, quo promoueat dilectos ad ſalutem. Hæc autem dilectio, quæ preſsè ſumpta erat abſoluta, fit electio, vt eſt comparatio dilectorum cum non dilectis, & illos præ iſtis diligit.

Quod etiam vt fiat magis perſpicuum, videtur notandum, quæ velit Deus, eum non ſemper eodem modo, nec pari amoris ordine velle. nam quædam bona ſunt, quæ velit tantùm propter alia, vt media propter finem; & quidquid demùm boni naturæ rationali vult, ſpectat illud tanquam quid illi commodum, & eiuſmodi quod ad ſalutem conſequendam ei proſit. Vnde fit, vt ſolam eam naturam, quæ rationis compos ſit, diligat, & amore amicitiæ complectatur. ſed non ita tamen, vt omnes perſonas ex æquo diligat, illíſque proinde gloriam eadem ratione velit conferre. ſed ſolas prædeſtinatas ſimpliciter, & abſolutè diligat, alias verò ſecundùm quid, quòd has tantùm poſſe fieri ſaluas, illas verò reipsâ ſaluari omninò velit. Quod autem reipſa, & actu tale eſt, tale ſimpliciter eſſe dicitur, quod eſt tale potentiâ (vt aiunt) illud eſſe ſecundùm quid perhibetur. Quod verò ſecundùm quid tale eſt, inferius dicitur eo quod eſt ſimpliciter, eíque ſubiectum. Quos igitur Deus ſimpliciter diligit, ſic diligit, vt præ aliis amet, hóſque illis ſeruire velit, cùm dilectio amicitiæ ſimplex menſura ſit cæterorum ſecundùm quid amatorum.

Quapropter quos Deus prædeſtinat, eos ſingulari quodam amore diligit, dilectóſque ſeparat ab aliis, eiuſmodi quippe dilectio amicitiæ cauſat electionem, vt ait D. Thomas in 3. diſt. 32. q. 1. art. 2. ad 3. Quæ verò de reprobatione paullò pòſt ſunt dicenda, huic prædeſtinatorum electioni magis etiam explicandæ poterunt conferre. nunc ſatis habeo dicere, eum qui deſtinatur ad ſalutem, ab aliis non

deſtinatis ſeparari, & prædeſtinatos, ſeu ſecundùm propoſitum illud dilectos dici quoque electos.

Eſt autem electio hæc perſonarum duntaxat, prædeſtinatio verò perſonarum ſimul, & gratiæ, ſeu auxiliorum eſſe dicitur; qua de re ſic D. Thomas in cap. 8. ad Rom. lect. 6. ad ea verba Pauli, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Quidquid*, inquit, *fit circa nobiliſsimas partes vniuerſi, non ordinatur niſi in bonum ipſarum, quia de his propter ſe cura habetur, de aliis autem propter ipſas; ſicut medicus infirmitatem pedis ſuſtinet, vt curet caput. Inter omnes autem partes vniuerſi excellunt ſancti Dei, ad quorum quemlibet pertinet quod dicitur Matth. 25. Super omnia bona ſua conſtituet eum, & ideo quidquid accidit vel circa ipſos, vel circa alias res, totum in bonum eorum cedit. Ita quod verificatur quod dicitur Prouerb*. 11. *Qui ſtultus eſt ſeruiet ſapienti*. & cætera in hanc ſententiam eo loci bene multa.

Quintum caput eſt de effectibus prædeſtinationis, quæ cùm includat voluntatem conferendæ prædeſtinato gloriæ, per idonea gratiæ adiumenta; hinc manifeſtum eſt, duplicem eſſe prædeſtinationis effectum, gratiam, & gloriam, ſed ita vt gloria cuiuſlibet prædeſtinationis diuinæ effectus, eáque quibuſlibet prædeſtinatis communis, vna ſit omnino & eadem eſſentialiter: gratia verò planè multiplex, ſi iuſtitiam finalem exceperis, ea videlicet par communíſque eſt in omnibus. neque enim vllus eſt qui neſciat gratiæ donum eſſe multiplex atque diuerſum, quo Deus prædeſtinatum ad paratam gloriam promoueat. De illis porro effectibus D. Thomas diſputat in cap. 8. Rom. lect. 6. in hæc verba, *Et quos vocauit, hos iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Legit diuus Doctor *& manifeſtauit.* Hanc autem glorificationem interpretatur, tam de prouentu virtutum, & gratiæ, qui ſolet fieri magnus in rebus duris ac aſperis, quàm de promotione ad gloriam. Vnde triplex colligitur prædeſtinationis effectus: alter eſt glorificatio; alter iuſtificatio per gratiæ infuſionem; tertius autem vocatio, in quâ, quemadmodum aſſerit D. Thomas, *incipit prædeſtinatio impleri.*

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Quem ordinem inter illos actus & effectus ſtatuat D. Thomas.

SEXTVM caput complectitur ordinem eum, qui tum inter actus illos ſecundùm rationem diſtinctos, tum inter effectus à nobis intelligitur. Cùm autem prędeſtinatio ſequatur electionem, & dilectionẽ, & ita res habeat in quolibet artifice, qui quam materiam amet, & ſeligat, eam ad opus deſtinet, diuus Doctor exiſtimat tamen aliter in Deo quàm in homine, dilectionem & electionem habere ſe. cùm priùs homo amicum eligat, quàm eum amet, quia voluntas creata non poteſt efficere id ipſum quo mouetur; neque quem amat amabilem facit, ſed in eo iam ſupponit eſſe amabilitatem, bonúmque illud, ratione cuius eum præ alio eligit, & electo dilectionem impendit. At de voluntate Dei longè aliter ſtatuendum; cùm ipſa boni illius vniuerſi quod eſt in re creata, eiúſque adeò amabilitatis cauſa ſit, non ponit autem in ea bonum illud, niſi quia hanc diligit. Vnde patet Deum non eligere, diligeréque hominem, quòd in eo quidpiam boni reperiaț, ſed potiùs eum quòd nimirum diligat & amet, cæteris antepoſitum eligat, ſuíſque bonis, & muneribus ornet, & augeat: ita fermè ad cap. 9. ad Rom. lect. 2. & 1. p. q. 23. art. 4.

Hîc autem occurrit adeo celebris illa inter Catholicos Doctores quæſtio, vtrum Deus prædeſtinatum eligat voluntate abſolutâ, & efficaci, ante præſciẹntiam meritorum eiuſdem, cùm videlicet ita prædeſtinatus ad gloriam eligitur, vt eam aſſequendam mereatur. quæ quidem controuerſia omnis, meo quidem iudicio eſt eiuſmodi, vt de ipſa vocum appellatione magis, quàm de re ipſa, inſtitui videatur; quemadmodum à pleriſque è recentioribus ſubtiliter eſt animaduerſum; neque opinor, repugnabit admodum, quicumque intentionem finis, electionem mediorum, & effectionem tam mediorum, quàm finis ipſius, ea, qua par eſt, attentione, & diligentia diſtinguat, adeo vt intentio

Digitized by Google

dicatur voluntas abſoluta, & conſequens, finis; non verò ſimpliciter efficax, vel potiùs efficiens, cuiuſmodi eſt ipſa effectio. ſed ab illa diſceptatione conſultus abſtineo, cùm mihi nihil aliud in præſentia propoſitum ſit, quàm D. Thomæ mentem proponere, vt cum ea tam Pelagianæ, quàm Ianſenianæ ſcholæ doctrinam conferam, tum ex comparatione vtriuſque, quid in iſtâ reprehendendum ſit oſtendam.

Quid autem ſuper re inſtituta ſentiat D. Thomas, ipſe ſic exponit. Cùm prædeſtinatio Dei voluntatem includat, non eſt aliter quærenda cauſa illius prædeſtinationis, quàm quo modo quæritur cauſa diuinæ voluntatis. Nemo autem adeò ineptus eſt, vt velit eſſe aliquam diuinæ voluntatis, ſeu volitionis cauſam, ea enim ipſe Deus eſt. *ſed quæritur*, inquit, *cauſa ex parte volitorum, & vtrum vnum ſit cauſa alterius.* Quæritur ergo, quis ſit efficientiæ illius, & cauſalitatis ordo inter effectus prædeſtinationis, gloriam nimirum, & gratiam, in quâ D. Thomas includit merita condigna gloriæ, & ea quæ mentem ad gratiam accipiendam præparant, ſuntque eius quodammodo merita congrua. Nam S. Doctor ibi per gratiam, intelligit eam, quæ iuſtum facit, ad quam recipiendam homo per actus bonos ſe poteſt comparare, modò tamen accipiat à Deo auxilia gratis data, atque ſaltem quoad modum ſupernaturalia, quæque prædeſtinationis effectus ſunt. Ita laudatus Doctor q. 23. art. 5. præparationem hominis ad gratiam, ait non fieri, niſi *per auxilium diuinum*, & *ipſum effectum prædeſtinationis; quia quidquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis.*

Eſt autem inter res, quas Deus vult, ordo cauſæ duplicis, finalis videlicet, & meritoriæ, *quæ*, vt ipſe habet, *reducitur ad diſpoſitionem materiæ*, quia qui meretur bonum aliquod, dignus eſt qui illud accipiat, vt præmium, & à Deo, pro iuſtitiæ diſtributiuæ ratione, agente, & non ex ſola liberalitate, vt loquitur, in 1. diſt. 41. q. 1. art. 3. Quoties autem Deus agit vt iuſtus, toties attendit ad id quod exigit res creata, & pro diſpoſitionis eius ratione. Sic autem in effectibus prædeſtinationis eſt ordo duplicis illius cauſæ, vt poſterior quoad exiſtentiam, ſit prioris cauſa finalis; & è

contrario prior quoad exiſtentiam ſit poſterioris cauſa meritoria, ſiue, vt alij loquuntur, cauſa efficiens moralis, non phyſica. Ita cùm meritum bonum ſit vſus liber gratiæ datæ, hæc eſt cauſa quidem efficiens huiuſce vſus; at iſte eſt finis gratiæ & *vſus gratiæ præſcitus non eſt ratio collationis gratiæ, niſi ſecundùm rationem cauſæ finalis*, vt habet q. 23. art. 5. ad 1. quibus obſeruatis ſic ſtatuit D. Thomas.

Quòd Deus Petrum prædeſtinatum ad gloriam diligit, eúmque vult abſolutè, & voluntate conſequenti, gloriæ compotem, non alia ratione mouetur, quàm bonitate ſua. Cur autem Petrum præ Iuda proditore eligat, non eſt alia cauſa, quàm ipſa diuina bonitas, ſeu voluntas, qua vult in prædeſtinato repræſentare ſuam bonitatem, & miſericordem ſe in parcendo, iuſtum in reprobo puniendo exhibere. nam quod hîc cautum magnopere eſſe oportet, ſupponit hæc electio prædeſtinatos, & reprobos ob peccatum originis damnatione dignos. Ita conſtantiſſimè docet D. Thomas hunc non eligi, iſtum non reprobari, niſi ex ſimplici voluntate Dei. Et ratio eſt, quia voluntas, quæ finem intendit alicui, aut eligit media, non habet pro cauſa, aut ſcientiam mediorum, aut iſta media, ſed ſolum finem: nec vult finem, quia vult media, ſed potiùs hæc duntaxat vult, quia vult finem. Quamobrem cùm nullus prædeſtinationis effectus, vt præſcitus, poſſit eſſe ratio, ſeu motiuum illius, quia ratio antecedere prædeſtinationem intelligitur, quam velut primum principium mouens effectus ſupponit, idcircò nec gratia, nec vſus gratiæ, nec merita, nec eorum præſcientia poteſt intelligi tanquam ratio prædeſtinationis, ita vt Deus dicatur Petrum prædeſtinare, aut diligere peculiari quâdam ratione, & eligere præ aliis, quia præcipit animo eum fore iuſtum, aut etiam illam mériturum, ſed purè quia bonus eſt, ſuámque bonitatem cum ſuis communicare vult, nec Petrum eligit ad gratiam, niſi in quantum ordinat eum ad gloriam, vt ait 1. p. q. 24. art. 2. Vnde etiam habetur totum prædeſtinationis effectum in vniuerſum, nullam habere cauſam ex parte noſtrâ, aut aliam quàm diuinum propoſitum, & beneplacitum.

Neque tamen id obeſſe poteſt, quominùs in ſingulari ef-

fectus aliquis prædeſtinationis ſit cauſa,& ratio alterius, vtque gloria eſt cauſa finalis mediorum adeóque meritorum, ita hæc ſunt cauſa meritoria, ſeu efficiens moralis ipſius gloriæ. Vnde ſi prædeſtinatio reſpicit tantùm vitam æternã, præſcientia meritorum rectè dicitur præcedere prædeſtinationem, vt docet D. Thom. Rom. 8. lect. 6. & vt habet in 4. diſt. 41. q. 1. art. 3. Deus reſpectu gloriæ ſeruat rationem iuſtitiæ diſtributiuæ; & quam Petro dat in tempore, dare vult ab æterno gloriam, quia ea dignus eſt. Verùm reſpectu gratiæ, rationem puræ liberalitatis ſeruat, eámque dat dono merè gratuito. Vnde fit, vt cùm dilectio illa Dei erga prædeſtinatos, ſit voluntas conſequens dandæ illis gloriæ, ac proinde gloriam ſpectet non præciſam, abſtractámque à circumſtantibus, & adiunctis particularibus, in quibus illa aliquando tribuenda eſt, ea reſpicit media, adeóque prædeſtinatorum merita, non tamen velut rationem ipſam, qua moueatur, vt eos peculiari illo modo diligat, aut etiam eligat, ſic enim ea haberent cauſæ finalis rationem, ſed velut media quibus illi gloriam mereantur.

Quapropter quod homines Deus per merita ſaluos eſſe vult, & prædeſtinat, ſecundùm noſtrum intelligendi modum in maſſa perditâ comprehenſos ab æterno videt, ac nihilominùs pro ſua ſingulari miſericordiâ, peculiari illo amore complectitur, vúltque eis dare non ſolùm vt poſſint ſalui fieri, verùm etiam vt ſalui fiant, & eligit præ aliis, quos non ita diligit. Deinde vi dilectionis iſtius decernit eis procurare media, quæ caſſa irritáque non ſint futura, & quæ nouit (licèt impediri poſſint) tamen non impedienda, atque ſtatuit procurare media, ad quæ præcipuas quaſdam gratias deſtinat, quas effectum ſuum conſecuturas, & deſtinatam mediorum ad gloriàm obtinendam requiſitorum ſeriem effecturos certò cognoſcat; adeo vt nec gratias eiuſmodi det vnquam propter merita præſcita, nec propter iſta illos deſtinet in ſalutem, licèt ſi voluntas Dei aliquando gloriam efficiens, ſeu vltima prædeſtinationis effectio ſpectatur, fiat ex anticipata futurorum meritorum cognitione, quia quam Deus gloriam pro ſola ſua indulgentiſſima miſericordiâ, ei voluit, qui prædeſtinatur, intentionis decreto, non dat niſi poſt merita.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

De conditionibus prædeſtinationis.

TRES præcipuæ ſunt, quæ ad ampliſſimum illud prædeſtinationis, de quo diſputamus, negotium requiruntur conditiones. Prima ſpectat certum, ac determinatum prædeſtinatorum numerum. Secunda certitudinem illius, & infallibilitatem: Tertia neceſſitatem effectuum. ſúntque hæ potiſſimùm conditiones, in quibus includuntur ea, quæ contra prædeſtinationem opponi ſolent, tam à Pelagianis, quàm ab aliis, qui libertatem arbitrij eorum, qui ſaluantur, prædeſtinatione diuina lædi, violaríque arbitrantur.

De primâ S. Thomas in 1.p. q. 23. art. 7. ſic ſtatuit, vt velit numerum prædeſtinatorum à Deo certum, & definitum eſſe non modò formaliter, ſed etiam materialiter, adeo vt Deus non definiat duntaxat numerum certum, perſonis quæ in eo contineantur non determinatis, qui numerus eſt formalis, ſed etiam perſonas illius numeri ratas determinatáſque decernat; quod & appellat numerum materialiter ſumptum definire. Præterea Deus non ſolùm nouit illum numerum certum, quæ eſt certitudo cognitionis, ſed etiam eum eligit ac definit, adeo vt antequam videat illos ſaluandos, decernat velítque ſaluos facere, quia eo ipſo quod Deus ſibi proponit aliquid faciendum & facere vult, id ita definitum, & determinatum intendit. Prædeſtinati à Deo totius vniuerſi conditore per ſe potiſſimùm ſpectantur, velut finis cæterarum rerum creatarum, totiúſque adeò vniuerſitatis. Quoties autem agens effectus ſui partes præcipuas, & veluti *eſſentiales* conſiderat, toties earum menſuram, & numerum prædefinit, & longè aliter, quàm quæ non propter ſe, ſed tantùm cum ordine ad illas partes præcipuas ſpectantur. Locus is conſuli debet, ac perlegi, vt in intimam ſancti Doctoris mentem penitùs eatur.

Meminiſſe porrò nos oportet, licèt media non ſemper definiantur ab artifice, & numerus earum rerum, quæ non niſi

propter finem ab agente vſurpantur, ea tamen, quæ finis ipſius rationem vel participant, vel conſtituunt, tam ab eo agente præfiniri ſiue in certa determinatáque menſura decerni, quàm ipſe finis proponitur ac determinatur. Vnde non eodem modo reproborum numerum à Deo definiri eodem in loco docet S. Thomas, quod ſuo loco nobis erit etiam explicandum, ne quid prætereat, quod ad inſtitutæ quæſtionis explanationem conferre poſſit. Cur autem pauciores ſint prædeſtinati quàm reprobi, ibidem explicat.

De certitudine verò prædeſtinationis diſputat in illa eadem toties appellatâ quæſt. 23. art. 6. multíſque paſſim in locis. Nec dubitari poteſt, quin Deus prædeſtinatorum, & ordinis totius, quo ad ſalutem perueniant, certam & infallibilem ſcientiam habeat, ſicut & earum rerum omnium, de quibus prouidentiæ ſuæ gubernatione ſtatuit; nec illa infallibilitas prædeſtinationis, magis impedit vel contingentiam effectuum eiuſdem, vel libertatem arbitrij prædeſtinatorum in obtinendâ gloriâ, ad quam deſtinantur, quàm aut prouidentia communis, aut præſcientia diuina reliquis rebus prouiſis, aut præſcitis impedimentum afferre dicitur. Placet autem hîc obſeruare, quod ille in 1. d. 40. q. 3. ait præſcientiam non imponere neceſſitatem; quantumuis ea ſit certa, & infallibilis. Dupliciter enim tantùm illa conſiderari poteſt; primò, vt *cauſa rerum* antè cognitarum: ſecundò, vt *eſt adæquata rebus*, atque hoc pacto vera & certa; At vt cauſa eſt non imponit vllam rebus neceſſitatem, quia harum eſt cauſa prima non proxima, at res ſeu effectus neceſſarij, aut contingentes & liberi dicuntur, vt procedunt à cauſis proximis, non vt à prima exiſtunt, neque huius, ſed illarum conditionem ſequuntur. Nec ſecundò ratione illius adæquationis. Nam in ſcientiâ diuinâ hæc adæquatio cum rebus iis, quæ contingentes ſunt, non reſpicit res, vt ſunt in cauſis ſuis, in quibus ſpectantur tantùm vt aliquid poſſibile futurum, ſed vt habent eſſe determinatum, illúdque præſens, non futurum; Et vt addit S. Doctor ad 4. *Contingens futurum*, qualis eſt *motus liberi arbitrij, quamuis non ſit determinatum in cauſâ ſuâ, eſt tamen determinatum in eſſe ſuo, ſecundùm quod eſt actu, & ſic ſubiacet certitudini præſcientiæ.*

Digitized by Google

Tertia prædeſtinationis conditio eſt neceſſitas, quam ordo certus & determinatus illius dicitur afferre in eiuſdem effectibus, fine ſcilicet, & mediis, ſeu in ipſa gloria, & gratia, huiúſque bono vſu, & meritis. Ac primò quidem quæritur, vtrum Deus poſſit non prædeſtinare, aut non prædeſtinaſſe, quem prædeſtinat. Sic ſoluit difficultatem S. Thomas q. 6. de verit. a. 3. ad 10. *quòd abſolutè loquendo Deus poteſt vnumquemque prædeſtinare, vel non prædeſtinare, aut prædeſtinaſſe, vel non prædeſtinaſſe, quia actus prædeſtinationis cùm menſuretur æternitate, nunquam cedit in præteritum, ſicut nunquam eſt futurum. vnde ſemper conſideratur vt egrediens à voluntate per modum libertatis, tamen ex ſuppoſitione hoc efficitur impoſſibile. Non enim poteſt non prædeſtinare ſuppoſito quòd prædeſtinauerit; vel è conuerſo, quia mutabilis eſſe non poteſt, & ita ſequitur quòd prædeſtinatio non poſſit variari.* O dignam quæ ab omni ſcholâ ſuſpiciatur, attentiſſiméque pendatur diuini Doctoris noſtri ſententiam. Quemadmodum igitur cum libero actu volo loqui, non autem iam volui, ita volo, vt abſolutè poſſim non velle, ita, quia Deus non voluit, ſed ab æterno vult, quod liberè aut facit, aut fecit, aut facturus eſt; idcircò abſolutè poteſt non velle, quod vult, quia ſemper velle dicendus eſt, non voluiſſe, nec voliturus. Præterea quia Dei volitio prædeſtinans, *conſideratur ſemper vt egrediens à voluntate per modum libertatis*, idcirco *Deus eam poteſt non velle.* Hinc duo manifeſtiſſimè colligi poſſunt. alterum, quod Deus vult liberè, id eum cum indifferentiâ velle, & poſſe non velle; alterum eſt, actum aliquem exiſtere è voluntate Dei non per modum libertatis, cuiuſmodi eſt amor quo ſe Deus amat: quæ duo omnem de libertate Dei doctrinam Ianſenianam, & Caluinianam funditùs labefactant.

Eò etiam accedit, quod, vt ibidem idem S. Doctor aſſerit, Deus prædeſtinans nullam voluntati illius qui prædeſtinatur neceſſitatem afferat; *Ille enim in hac aliter agit, quàm corpus cæleſte, quod agit in hæc inferiora neceſſariò, quaſi neceſſitatem inducens, quantùm eſt de ſe, & ideò effectus eius neceſſariò euenit, niſi ſit aliquid reſiſtens: ſed Deus in voluntate agit non per modum neceſſitatis, quia voluntatem non cogit, ſed mouet eam non auferendo modum ſuum, qui in libertate ad vtrum-*

Digitized by Google

libet conſiſtit, & ideò quamuis diuinæ voluntati nihil reſiſtat, tamen voluntas prædeſtinati, de eo enim quæſtio eſt, & qualibet alia res exequitur diuinam voluntatem ſecundùm modum ſuum, quia & ipſum modum diuina voluntas rebus dedit, vt ſic eius voluntas impleretur, & ideò quidam explent diuinam voluntatem neceſſariò, quidam contingenter, quamuis illud quod Deus vult, ſemper fiat.

Quamobrem licèt dilectio, electio, & prædeſtinatio Petri diuina, non ſit ex eius meritorum præſcientiâ, eáque mutari, ſuóque fruſtrari effectu nunquam poſſit, id tamen non obſtat, quominus Petrus & ſalutem ſibi deſtinatam promereatur, & eam aſſequatur contingenter, adeo vt abſolutè poſſit non conſequi; quia Deus ita vult eum eſſe ſaluum, vt ſimul eum per merita, proindéque per actus bonos liberos, factóſque modo liberi arbitrij proprio ſaluari velit, adeóque cum indifferentia, & planè contingenter, quod nî ita fieret, voluntas Dei non impleretur, cùm peræquè velit Petrum liberè ſaluari, ac vult eum ſaluari, cùm finem eum non modò decernat, ſed per certa media conſequendum ſtatuat.

Quod vbi ſemel intelligetur, iam nullum præterea poterit eſſe negotium, vt intelligatur quomodo qui ſalutem conſequitur, potuerit non conſequi, imò ab ea deturbari, ſi conſideretur ſeorſim illius potentia, & quomodò non poſſit non ſaluari, ſi ſpectetur ſecundùm ordinem quem habet ad Deum prædeſtinantem. Sic enim conſideratus qui prædeſtinatur, non poteſt non ſaluari, ſed hæc neceſſitas eſt tantùm conditionata, quæ potentiam illam & contingentiam non tollat; quia in prædeſtinatione, quæ eſt conditio inferens illam neceſſitatem, includitur modus prædeſtinationis, ſeu quo homo ſaluari debet, ac conſequenter contingentia, & libertas actuum quibus gloriam promereatur.

Sicut ergo hæc neceſſitas cum illa conditione ſibi adiunctâ, *Petrus volens liberè in ſenſu compoſito volitionis non poteſt non velle, & neceſſariò vult*, non impedit quominùs non velit liberè; ita vt non poſſit non velle. ita conditionata neceſſitas prædeſtinationis, qua Petrus meriturus gloriam prædeſtinatur, non impedit, quominùs liberè mereatur, quia eſt eadem vtraque illa conditio. Ita D. Thomas ibidem

ad

ad 7. & quæſt. 23. art. 3. ad 3. *prædeſtinatum neceſſe eſt ſaluari neceßitate conditionatâ, quæ non tollit libertatem arbitrij.* Quod cùm addit, ſignificat aliqua neceſſitate conditionata, poſſe tolli libertatem arbitrij, ſi nimirum antecedens eſt, aut ſi in conditione ipſe actus liber non includitur, alioquin vocatur conſequens libertatem arbitrij, quod in qu. 19. art. 3. exponit, vbi explicans neceſſitatem conditionatam, quæ non impedit quo minus Deus velit liberè, *ſuppoſito* (inquit) *quod velit, non poteſt non velle.*

Quamobrem vt conditio prædeſtinationis, quâ poſitâ prædeſtinatus neceſſariò ſaluatur, cenſeatur non tollere libertatem, cum quâ ipſe ſaluatur, non ſufficit vt ea ſit extrinſeca prædeſtinato, ſed requiritur, vt ea includat vſum liberi arbitrij, adeo vt cùm dicitur prædeſtinatum non poſſe non ſaluari, ita propoſitio concipiatur. Prædeſtinatum, quia vult ſaluari, non poſſe non ſaluari, quia volens ſaluari, ſimul non poteſt non velle ſaluari.

ARTICVLVS VII.

Ad quos prædeſtinationem illam pertinere D. Thomas exiſtimet.

VARIA, multipléxque ſuper ea re poteſt inſtitui quæſtio; ita vt de natura primùm nondum conſideratis perſonis illius ſingularibus diſputetur; an eam Deus in Adamo ſpectatam nulla facta ſingulorum hominum conſideratione, prædeſtinarit; tum de Chriſto; poſtremò de Angelis.

Quod ſpectat ad primam quæſtionem: perſpicuum eſt ex antè dictis prædeſtinationem eſſe prouidentiam Dei excellentiſſimam, & maximè peculiarem erga eos, quos amicè complexus, habet in primis chariſſimos. At obſeruandum eſt, prouidentiam non tam naturam ipſam conſtituere, quàm ſingulas eius perſonas in finem ordinare. *Ad prouidentiam enim,* inquit D. Thomas paſſim 1. p. q. 22. ſed præſertim art. 3. *duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis rerum prouiſarum in finem, & executio illius ordinis, quæ gubernatio dicitur.* Neque etiam exiſtimandum eſt quamlibet prouidentiæ diuinæ diſpenſa-

Digitized by Google

tionem, quæ circa quoſuis homines verſetur, eſſe prædeſtinationem, cùm ea ſit certorum quorumdam ab aliis ſecretio, electióque; nullúmque adeò in vniuerſa illa totius humanitatis complexione, quæ in Adamo tanquam in ſummo totius generis capite continebatur, à Deo prædeſtinatum cenſeri debere, neque per dilectionem Dei omni naturæ communem, quâ ſic omnes & ſinguli amentur, vt nullus eorum omninò delectus habeatur, nulla fiat aliorum ab aliis ſecretio.

Hûc pertinet etiam quòd S. Doctor 3. p. q. 24. art. 1. ait Chriſtum prædeſtinatum quidem vt hominem, ſed ita tamen, vt propterea non natura prædeſtinata dicatur, at ipſa perſona humanæ naturæ, & vt in hac ſubſiſtit. Hæ ſunt quippe voces illius: *quia non dicimus naturam alicuius prædeſtinari, ſed ipſum ſuppoſitum, quia prædeſtinari eſt dirigi in ſalutem, quod quidem eſt ſuppoſiti agentis propter beatitudinis finem.*

Quapropter ita Deus Adamum conſtituit vniuerſæ naturæ caput, parentémque hominum ſingulorum, qui in omnem conſequentium ætatum perpetuitatem deinceps erant ab eo naſcituri; vt omnes in primario illo familiæ totius duce, ac principe vocarit ad ſalutem, omnes ſaluos fieri poſſe voluerit, voluntate, atque dilectione eâ, quæ quidem pertineat ad vniuerſos, ſed quæ tamen nullum ſeorſim ab aliis eligat, ac prædeſtinet; ſed cuiuſuis hominis prædeſtinatio fit, vt ſpectatur in ſeſe, adeóque vt peccator in Adamo factus conſideratur. Ex quo liquet etiam minimè mirum videri debere, ſi, licèt Adamus non vi meritorum Chriſti gratiam primo in ortu, ſibi, poſteriſque ſuis communem futuram acceperat, nemo tamen niſi per Chriſtum prædeſtinetur, proindéque Deus mortalium nullum deſtinarit ad gloriam, niſi quem perditum in Adamo certâ animi præſenſione cognouerit, & pro ſingulari ſua miſeratione ab perdita illa maſſa ſecretum liberare voluerit primùm, tum ſaluare.

Neque de ipſa Virgine Deipara aliter ſtatuendum. Tametſi enim nulla vnquam peccati labes eam infecerit, ſuæque adeo integritatis, ac ſanctimoniæ fuerit ſemper retinentiſſima, eam tamen in perdita illa generis vniuerſi complexione, quæ in Adamo tanquam ſuo in principio continebatur, lo-

cum habuiſſe, planè compertum eſt, atque adeò niſi ſummo miſericordiæ diuinæ beneficio, à Chriſto ſeruatore ſuo liberata eſſet, ex vitiata illa corruptâque radice, à qua ducebat originem, peccatum in ſe contraxiſſet.

Quæritur ſecundo loco, vtrum Chriſtus prædeſtinatus fuerit. Quæ quæſtio procliues, opinor, & expeditos habet explicatus. Certum enim eſt & eſſe prædeſtinatum, & vtriuſque naturæ, diuinæ ac humanæ, in perſonâ Chriſti vnionem æternæ Dei prædeſtinationis fuiſſe effectum. Ita nimirùm D. Thomas 3. p. q. 24. art. 1. cuius effata in eam partem nonnulla profero; quibus ad ſoluendas huius loci quæſtiones aliquid lucis poterit accedere. Primum eſt, naturam humanam Chriſti non propriè dici prædeſtinatam, ſed perſonam, quatenùs in natura humana debebat ſubſiſtere, ſic tamen vt Chriſtus ſecundùm naturam humanam prædeſtinatus fuerit, vt eſſet filius Dei naturalis, non adoptiuus. Secundum eſt, eam prædeſtinationem ex gratiæ dono fuiſſe profectam. Nam quis adeò inconſideratus, qui putet tantam in natura humana meritorum fuiſſe vim, & copiam, vt digna videri potuerit, quæ vnionem cum Verbo, ad quam Chriſtus prædeſtinatus eſt, obtineret? cùm ſingulari, atque mirifica gratiæ diuinæ munificentia, atque liberalitate totum id conſtet fuiſſe perfectum; cùm præſertim de prædeſtinationis ratione ſit, vt per gratiam non ſecundùm naturam, aut meritum fiat, vt ipſe teſtatur Doctor Angelicus in 3. diſt. 7. q. 3. art. 1. & aliis paſſim in locis.

Tertiò diuinus idem Doctor illa 3. p. q. 24. affirmat prædeſtinationem Chriſti certiſſimum cuiuſuis alterius eſſe exemplar, ad quod fingantur cæteræ, formentúrque vniuerſæ prædeſtinationes; tum quòd Chriſtus prædeſtinatus ſit, vt fieret Dei filius naturalis, cæteri verò prædeſtinati, vt ad dignitatis illius ſimilitudinem accederent, fierentque filij adoptionis; tum quòd omnis prædeſtinatio fieri ſolet per gratiam, cuius Chriſtus fons eſt vberrimus, de cuius plenitudine omnes accepimus. Neque tamen inde colligendum eſt, quamlibet prædeſtinationem prædeſtinationis Chriſti, eiúſque meritorum neceſſariò effectum eſſe debere. alioqui S. Doctor poſtquam art. 3. illius quæſt. 24. diſputauit, vtrum

prædeſtinatio Chriſti noſtræ ſit exemplar, non quæreret, an prædeſtinatio Chriſti noſtræ cauſa ſit, hæcque per illam perficiatur; quod etiam atque etiam velim pro prædeſtinatione Angelorum diligenter obſeruandum.

De quibus nobis propoſitum erat tertio loco quærere, num eorum prædeſtinatio noſtræ ſimilis cenſeri debeat, adeo vt quos Deus prædeſtinauit Angelos, eos ſecundùm propoſitum, & amore gratuito, atque peculiari quodam affectu dilexerit, præ aliis reprobis Angelis elegerit, vocarit, iuſtificarit, glorificauerit. Quam ſententiam amplexus D. Thomas in 1. diſt. 40. quæſt. 2. art. 1. ſibi id obiectat. *Tertiò videtur quòd prædeſtinatio non ſit Angelorum, quia ſecundùm Auguſtinum prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi.* Reſpondet autem *miſereri ibi ſumi pro collatione eorum, ſine quibus miſeria eſſet, & præcipuè, quæ ſola gratuita voluntate conferuntur.* & 1. p. q. 23. art. 1. cùm eandem quæſtionem ſoluit ad 3. ſic ait. *Prædeſtinari conuenit Angelis, ſicut & hominibus: licèt nunquam fuerint miſeri. Nam motus non accipit ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem. nihil refert ad rationem prædeſtinationis vtrum aliquis prædeſtinetur in vitam æternam à ſtatu miſeriæ, vel non. Quamuis dici poſſit, quòd omnis collatio boni ſupra debitum eius, cui confertur, ad miſericordiam pertineat.* Et quæſt. 62. art. 2. *Angelus in beatitudinem voluntate non potuit conuerti, niſi per auxilium gratiæ.* Si non planè obduruiſti Corneli, ſentis, opinor, ex oratione iſtâ Angelum vt liberè mereretur beatitudinem, non indiguiſſe tantùm gratia habituali, ſed etiam gratiæ illius adiumento, quæ dicitur actualis, neque tantùm, vt cum eo auxilio per liberum arbitrium, quemadmodum ipſe garris, ſed vt per illud auxilium mereretur. & in 1. d. 40. q. 2. de prædeſtinatione tam Angelorum, quàm hominum verba faciens, *quia prædeſtinari propriè eſt aliquò deſtinari, ac dirigi, id propriè* (inquit) *dicitur dirigi in aliquid, quod non habet in ſe, vnde eò feratur. Ideò prædeſtinatio ad ea propriè dicitur, quæ homo per ſeſe conſequi non poteſt, hoc eſt gratiam, & gloriam: illíque tantùm prædeſtinari dicuntur, qui conſecuturi ſunt gloriam per gratiam.* Quod autem de Angelorum prædeſtinatione idem ſentiat omnino, patet ex eo quòd paullò pòſt ſubiicit ea, in quibus Angeli præde-

Digitized by Google

ſtinati, ab hominibus prædeſtinatis differant. Quapropter manifeſtum eſt in doctrina diui Thomæ, Angelos æquè ac homines gratuitò tum ad gratiam, tum ad gloriam fuiſſe prædeſtinatos; & vniuerſim tam Chriſtus ad vnionem hypoſtaticam, quàm Angelus, & homo ad gratiam, & gloriam, gratuitâ electione, ante præſcientiam meritorum dilecti, electi, prædeſtinati, vocati, ac iuſtificati ſunt.

Neque verò exiſtimo diſparem eſſe ac diuerſam prædeſtinationis hominum rationem, tametſi nònnulli vi meritorum, alij verò abſque meritis gloriam cõſequantur: hoc enim ſpectat ad adeptionem gloriæ, & effectionem, non verò vel ad intentionem, vel ad electionem mediorum, nec qui gloriam per merita acquirunt, ea à Deo accipiunt, niſi per ſingulares illas peculiaréſque gratias, quas Deus cùm certò præſentiſcit efficaces, immo meritum effecturas, per peculiare illud gloriæ propoſitum, & gratuitam dilectionem in mente ſuâ præparauit, ordinauit, diſpoſuit, & prædeſtinauit.

CAPVT XIII.

Hæreticorum doctrina de prædeſtinatione proponitur.

ARTICVLVS I.

Quid ſenſerint ea de re Pelagiani?

QVOD in cæteris fidei dogmatibus vulgò factum eſſe hactenùs compertum eſt, vt pugnantibus in ſeſe, atque contrariis erroribus in factiones diuerſas, & planè oppoſitas iretur, illud etiam de ea, quæ pertinet ad prædeſtinationem doctrina contigiſſe, manifeſtum eſt; cùm errorum eorum, qui in hanc partem extiterunt, alter illam faciat ita gratuitam, vt omne noſtrum meritum tollat; alter verò gratuitam nullo modo eſſe velit. Prioris illius erroris fautores primarij, dicti ſunt Prædeſtinatiani; de quibus

poterit eſſe ſi res ita ferat, opportunior dicendi locus. Poſterior verò trifariam diſtribui poteſt. Primus enim Manichæorum eſt, qui naturæ: Secundus Pelagianorum, qui operibus; Tertius Semipelagianorum, qui fidei initiali prædeſtinationem, electionémque vnius ab alio, & eam bonorum à malis ſecretionem tribuebant. Quemadmodum enim Manichæi naturam, ita Pelagiani opera; fidem ab ipsâ naturali facultate petitam Semipelagiani electionis illius principium ſtatuebant. Verùm quoniam hoc libro de poſtremis diſputare cœptum eſt, de iiſdem etiam, prætermiſſis aliis, quorum dogmata dicendo perſequi velle, nimis longum eſſet, placet inſtituere quæſtionem, & de Maſſilienſibus præſertim, eorúmque præcipua in hanc ſententiam placita repetam ab epiſtolis Hilarij,& Proſperi datis ad Auguſtinum, ſcriptíſque antequam vterque eorum eſſet initiatus, quod ſatis innuit Auguſtinus, cùm eos chariſſimos filios appellat, quod & à Cæleſtino Papa declaratur, cùm eorum aduerſarios preſbyteros vocet; neque ipſe id obſcurè fert Hilarius, qui ſub epiſtolæ finem id de ſe profitetur, cùm ait Maſſilienſes eos de quibus ſcribit ad Auguſtinum, *ex parte tales eſſe perſonas, vt his conſuetudine Eccleſiaſticâ laicos, ſummam reuerentiam neceſſe ſit exhibere. Quod quidem ita curauimus Deo iuuante ſeruare, vt cùm opus fuit, non taceremus.* Addit ſe Auguſtini diſcipulum fuiſſe, *& ſalubribus eius vberibus nutritum*, tum Proſpero familiariter etiam vſum, & inſinuat ſe fuiſſe popularem Leontij diaconi illius, per quem Proſper ſe litteras miſiſſe ad Auguſtinum teſtatur. Ex quo compertum habetur Hilarium non modò eiuſdem fuiſſe cum Proſpero ætatis, ſed etiam vnà cum illo, eandem contra Maſſilienſes cauſam ſuſcepiſſe, & de ea ſcripſiſſe, Proſperúmque fuiſſe *virum eum tum moribus, tum eloquio, & ſtudio clarum, cuius litteras ſuis coniunctas deſtinare curauit.* Quæ breuiter præfari me de litterarum illarum ſcriptoribus oportuit, vt ab illis aliquid ad rem noſtram accederet auctoritatis.

Porro fuit hæc ſumma doctrinæ circa inſtitutam quæſtionem à Maſſilienſibus traditæ. Profitebantur imprimis à primo parente profluxiſſe in omne latè humanum genus

mortiferam labem, quæ primo in ortu ſingulorum mentibus inuratur, quam abſque ſacro baptiſmi fonte, & ope gratiæ purgari, diuina ſeruari præcepta, ſalutémque à quoquam poſſe obtineri negabant. *Hæc*, inquit Proſper, *ipſorum definitio, ac profeſſio eſt, omnem quidem hominem Adam peccante, peccaſſe, & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari*. Hilarius verò: *Conſentiunt omnem hominem in Adam periiſſe, nec inde quemquam poſſe proprio arbitrio liberari: ſed id conueniens aſſerunt veritati, congruum prædicationi, vt cùm proſtratis, & nunquam ſuis viribus ſurrecturis, annuntiatur obtinendæ ſalutis occaſio, eo merito quo voluerint, & crediderint, à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum, & totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum. Cæterùm ad nullum opus vel incipiendum, necdum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt. Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate, vnumquemque ægrotum velle ſanari*. Multa ſunt quæ eodem in orationis contextu habentur de Maſſilienſium errore. Vnde liquet eos gratiam ad omne opus bonum, & ad augmentum fidei, non verò ad eius initium neceſſariam fuiſſe arbitratos. Neque enim poterant ſibi perſuadere peccatorem flagitiorum ſuorum conſcientia perterritum, ope gratiæ indigere, vt quod ſibi reuelatum eſt, credat, ſanari velit, Deum oret ſupplex, medicum quærat, qui morbum ſuum curet. quod idem Hilarius vnà cum Proſpero fuſiùs explicat, & hunc eorum errorem primarium, & capitalem rationibus confutat bene multis.

Ex quo demùm errore conſequitur is, qui eſt de prædeſtinatione. Cùm enim non ignorarent quod paſſim ſcriptum erat ab Auguſtino, ac præſertim poſtea lib. de dono perſeuerantiæ cap. 17. vbi docet, *Quæ dona ſua, quibuſcumque Deus donat; procul dubio donaturum ſe eſſe præſciuiſſe ab æterno, & in ſua præſcientia præparaſſe*, nec Deum prædeſtinare, quidquam eſſe aliud, *quàm in ſua illa quæ falli, mutaríque non poteſt, præſcientia opera ſua futura diſponere*, ſiue, vt in lib. 6. hypognoſt. c. 2. habetur, *Quod ipſe facturus eſt bonum, priuſquàm ſit in re præordinare in ſua præſcientia*, adeo vt diuina electorum prædeſtinatio, ſit gratiæ præpara-

tio, huiúſque effectus, ſit gratiæ ipſius donum, quod gratiam omnem, aliquibus ſemper eorum, quibus dabatur, meritis anteuerti exiſtimabant, eámque ſtatuebant eſſe cauſam, cur vnus donabatur gratiâ, fruſtrabatur alter, quòd ille ſe voluntatis ſuæ vi, ad eam accipiendam comparabat, is verò minimè; vnde ex meritorum anticipata cognitione, & ſcientiâ, prædeſtinationem, electionémque pendere, nec peculiarem Dei erga prædeſtinatos dilectionem, aut electionem vnius præ alio gratuitam, & ſecundùm propoſitum Dei eſſe ſentiebant. Quod apertè declarat Hilarius his verbis. *Si autem, aiunt* Maſſilienſes, *dicatur vel talem* credendi *voluntatem*, *naturalem*, *omnibus remanſiſſe poſt Adæ peccatum*, *qua vel contemnere valeat quis, vel obedire, de compendio putant rationem reddi electorum, vel eiectorum, in eo, quod vnicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur.*

. Quapropter cenſebant illi Deum antequam vlla hominum merita bona, vel mala præuideat, omnes ad ſalutem, *ſine exceptione & vniuerſaliter vocare, æqualiter, & velle indifferenter vniuerſos ſaluos fieri.* Ita Proſper in laudatâ Epiſtolâ, & cap. 5. reſponſ. ad obiect. Gall. eóſque ſaluandos prædeſtinare, quos credituros, & *quos gratia vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit.* Quare ſi obiiciebatur iis, quid eſſet cauſæ, cur certis, in regionibus quibuſdam manifeſtetur Euangelium, adeóque detur credendi locus, non aliis? reſpondebant, id *præſcientiæ eſſe diuinæ, vt eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando, & vbi prænoſcebatur eſſe credenda.*

De pueris verò infantibus prædeſtinatis plus laborabant, cùm eos abſque vllis meritis bonis, aut operibus ſaluari, perſpicuum ſit. Verùm, teſte Proſpero, reſpondebant illos ſaluari, ſeu præ aliis eligi ad baptiſmum, atque ita ad ſalutem vocari, quia hos credituros, alios non credituros, & *tales futuros in annis maioribus, ſi ad actiuam ſeruarentur ætatem ſcientia diuina præuiderit.* Atque ne fortaſſe prædeſtinationem aliquam, & electionem Dei gratuitam admittere cogerentur, omnem *commentitiis meritis ſubiiciebant, & futura*

quæ

Digitized by Google

quæ non ſunt futura confingebant, nouóque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſunt, & præſcita non acta ſunt: quemadmodum eodem in loco Proſper diſputat.

His adde, quod iidem illi electionem, & reprobationem pares facerent, ex præſcientia meritorum, quæ quidem Deus non daret, ſed præſciret tam bona in electis, quàm mala in reprobis, quod ante omnem peculiarem dilectionem, ſingularémque Dei amorem, aut opem gratiæ conceſſam, ſicut dato præcepto, *præuaricator ideò dicitur non obediuiſſe quia noluit: fidelis quoque non dubitetur, ob hoc deuotus fuiſſe, quia voluit, & quantùm quiſque ad malum, tantùm habeat facultatis ad bonum: paríque momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes mouere, quem bona appetentem gratia Dei foueat, mala ſectantem damnatio iuſta ſuſcipiat.* Nec proinde gratuitam illi prædeſtinationem aliter concedebant, quàm quia nemo ſaluus eſſe poſſit, quin priùs baptiſmum, & gratiæ diuinæ opem receperit, quam cùm pro meritorum ratione dari exiſtimarent, nullo modo volebant eſſe gratuitam, iiſque offendebantur omnibus, quæ contra Pelagianos ab Auguſtino de prima gratia data immerentibus ac indignis, ſcripta ſunt, vt ipſe Proſper teſtatur, qui cum Hilario nonnullas de prædeſtinatione gratuitâ, ſiue de vocatione electorum ſecundùm propoſitum Dei quæſtiones mouet, proponítque ſoluendas.

Nunc porrò ſubiicio ea, quæ ad ſuam illam ex præſcientiâ meritorum prædeſtinationem velut quaſdam quaſi appendices, & concluſiones inde conſequentes addebant. Prima eſt, quòd certum, præfinitúmque à Deo prædeſtinatorum negarent eſſe numerum, qui nec minui, nec augeri poſſit. Id autem, opinor, intelligebant de numero definito, ante præuiſam meritorum, ſupremíque vitæ ſtatus conditionem. Ita quippe toties memoratus Proſper hunc eorum deſcribit errorem. *In iſtam talis gratiæ credulitatis merito acceptæ prædicationem hi quorum contradictione offendimur, cùm priùs meliora ſentirent, ideò ſe vel maximè contulerunt, quia ſi profiteretur ab ea omnia bona merita præueniri, & ab ipſa, vt poſſint eſſe donari: neceſſitate concederent Deum ſecundùm propoſitum, & conſilium voluntatis ſuæ, occulto iudicio, & opere manifeſto,*

Digitized by Google

aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam; quia nemo, niſi per gratiam iuſtificetur, & nemo niſi in præuaricatione naſcatur, ſed refugium iſtud fateri, diuinóque aſcribere operi ſanctorum merita formidant: nec acquieſcunt prædeſtinatum electorum numerum nec augeri poſſe, nec minui.

Secundus hominum iſtorum error eſt, per prædeſtinationem gratuitam, fatalem quandam induci neceſſitatem, quâ nimirum nec prædeſtinatus perire, nec reprobus ſaluari queat, ſeu vt loquitur Proſper, *Si neque reiectus vlla induſtria poſſit intrare, neque electus vlla negligentia poſſit excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definiuit, accidere, & ſub incerta ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem, cùm ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit annitentis intentio.* Aut ſi fatalis illa neceſſitas non inducitur, fore vt *Deus diuerſarum inter ſe naturarum dicatur effector, ſi nemo poſſit alius eſſe, quàm factus eſt*, quod cum Manichæis videtur conſentire.

Tertiò ab iis erratum, quòd prædeſtinationis certitudinem tollere omninò viderentur. *Quia niſi ſit ſpes ſalutis incerta, non erit timor bonorum.* Vnde aiebant *prædeſtinationem electorum ſecundùm propoſitum, & diſcretionem eligendorum & reiiciendorum factam, ſecundùm quod placuit creatori .... & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem torporis afferre.* Quæ omnia colligebant ex eo præſertim, quòd hominem ſiue in bono, ſiue in malo eſſe liberum planè negarent, niſi abſque ope gratiæ vtrumque ex æquo optare, & amplecti poſſint. Porrò quàm nullæ ſint eorum ſuper illa re querelæ, conſtat ex iis quæ dicta ſunt à ſuprà laudato D. Thoma ad illos confutandos. Eſt & quidpiam aliud de perſeuerantia finali, quam peræquè ac primam gratiam nos mereri poſſe contendebant; ſed alio in loco poterit id magis commodè diſputari.

Hinc autem licet intelligere, quàm malitioſa ſit calumnia; qui in ſcholis nunc prædeſtinationem, vt gloriam dandam inuoluit, ex meritorum præſcientia cenſeant, eos in Semipelagianorum ſuſpicionem adducere velle; cùm conſtanter teneant electionem, & prædeſtinationem ad gratiam omne prorſus meritum antecedere, cui oppoſita

Digitized by Google

doctrina iſtorum omnium de prædeſtinatione errorum principium eſſe videatur.

ARTICVLVS II.

Ianſenius circa prædeſtinationem à D. Thoma planè diuerſus.

SI forte à quoquam catholico Doctore erat Aduerſario diſcedendum, vt partes ſuas tueretur, certè is non eſſe debuit D. Thomas, in quo potiſſimùm vno, tanquam in certiſſimo ſuo duce, ac moderatore, meritò ſchola acquieſcit. Verùm longè aliter viſum eſt nouatori noſtro, de quo id in vniuerſum poſſum affirmare, eum in toto lib. 9. de grat. Chriſt. in quo de prædeſtinatione diſputat ex inſtituto, nihil prius habuiſſe, & antiquius, quàm vt in omnibus ſuis dogmatibus ſanctum Doctorem refutaret; quod quàm imprudenter ab eo factum ſit, quàm inconſideratè, dicere videtur ſuperuacaneum. nam quid, quæſo, ſpectabat aliud, quàm vt ſe ridiculum omnibus faceret, qui in rebus iis, quæ ad ſcholam pertinent, ſcholæ principi, cæteríſque adeò Doctoribus vniuerſis, ipſique etiam Auguſtino vnà cum Caluino ſuo bellum declarare cogitarit? quod vt breuiter oſtendam, paucis habeto.

Primùm ex dictis conſtat, D. Thomam prædeſtinationem à dilectione, & electione illius, qui prædeſtinatur præ reprobo, diuerſam ſtatuere, & quendam præſertim intellectus actum inſtituere cum Auguſtino, quem diuinam prædeſtinationem ſine ſcientia nunquam intellexiſſe certum eſt; eámque ſæpenumero nihil eſſe aliud, quàm præſcientiam, & præparationem beneficiorum quorumdam Dei, dicere ſolitum.

Quid verò cenſeat Cornelius noſter, iam non videtur obſcurum, cùm poſt refutatos lib. 9. cap. 7. eos omnes, qui putant *prædeſtinationis naturam in actu intellectus præcipuè collocatam eſſe*, audet etiam affirmare manifeſtum eſſe ex Auguſtino *eam in diuinæ voluntatis decreto eſſe ſitam; quia* (inquit) *frequenter admodum, prædeſtinationem electionem vo-*

Digitized by Google

cat, definitam ſententiam, conſilium, propoſitum, definitionem, conſtitutionem. In quibus non poſſum non mirari miſerabilem hominis inſcientiam. Nam vocum omnium earum, quas contendit hoc loco pro prædeſtinatione, ab Auguſtino vſurpatas, nulla eſt omninò, quæ aliquem intellectus actum non præſeferat, ipſáque imprimis electionis appellatio, quemadmodum ſatis notum eſt ac familiare Philoſophis, & cæteræ omnes eiuſmodi, vt eſt conſilium, ſententia, propoſitio, definitio, ad intellectum videntur pertinere. His tamen adductus rationibus Ianſenius propoſuit ſibi D. Thomam refellendum. qui prædeſtinationem ab electione, quam ſupponit diſtinctam, non excluſo quidem voluntatis actu, ſed præſertim in actu intellectus collocabat. Certè diſcere poterat ex Hypog. lib. 6. cap. 2. *Prædeſtinationem à præuidendo, & præueniendo vel præordinando futurum aliquid* dici, & eamobrem Deum prædeſtinare, quia *quod facit, antequam ſit, quale futurum ſit, præſcit, & bonum præſcientiâ prædeſtinat, id eſt, priuſquàm ſit in re præordinat,* & cætera in hanc ſententiam quæ ibidem legi poſſunt bene multa. Sed in eo peccaſſe aduerſarium leuitatis eſt, quæ quidem, ſi grauius nihil diceret, poſſet diſſimulari.

At quis ferat quod habet cap. 2. *Prædeſtinationem Dei in ſua ratione non magis reſpicere medium, quàm finem, nec magis finem, quàm medium, eam ſicut reliqua Dei decreta indifferenter cadere ſuper omnibus omnino, quæ Deus facit, ſiue id medium fuerit, ſiue finis.* Quod adeò videtur alienum, vt cum ratione ipſa, cum D. Thoma, & Auguſtino pugnet. nam quid minus rationi conſentaneum, quàm concipere voluntatem ferri ex æquo circa medium ac finem, quem propter ſe amet, medium verò non niſi propter ipſum finem. Quis enim quid vel quoppiam deſtinet, vel intendat, quin priùs ſcopum ac finem habeat aliquem ſibi propoſitum quò collineet, ni prorſus amens ſit? Sed ea eſt nimirum hominis infeliciter acuti, philoſophandi ratio, qui negat, (contrà quàm docet diuus Thomas) vllam prouidentiam, cuius prædeſtinatio pars aliqua ſit, niſi poſitâ voluntate finis, ad quem illa eſt ordinatio, intelligi poſſe; nec

collationem gratiæ, niſi vt ad gloriam certò perducit prædeſtinationis effectum eſſe, quod docet non ſemel Auguſtinus, quæ cauſa fuit, cur cum Paulo non quamlibet vocationem, & iuſtificationem ſecundùm propoſitum, & prædeſtinationem eſſe dicit, ſed eam ſolam quâ reipsâ ſit homo beatus.

Quamobrem manifeſtæ falſitatis arguitur Aduerſarius, cùm ibidem docet; *non minùs propriè illum qui reprobatus eſt prædeſtinari ad fidem, charitatémque temporalem, quàm electum ad perpetuam.* Vnde etiam ſuum illum colligit errorem de gratuitâ Angelorum prædeſtinatione, ad gratiam non ad gloriam; vt paullò pòſt oſtendam. Illud autem patet ex eo quoque eſſe falſiſſimum, quod nuſquam comperit quemquam dici prædeſtinatum ad gratiam, niſi is ad gloriam deſtinetur, nec id ipſe Ianſenius, nî cæcus errore factus eſſet, in omnibus locis & teſtimoniis, quæ offert ex Fulgentio, potuiſſet non animaduertere. *Quos*, inquit Fulgentius, *prædeſtinauit ad gloriam prædeſtinauit ad iuſtitiam.* non alios. Scio equidem Deum æquè eſſe cauſam gratiæ, ac gloriæ, adeò etiam gratiam primam magis eſſe gratuitam, quàm gloriam, quæ datur in mercedem. Sed niſi Deus habeat propoſitum dandæ gloriæ, nunquam dare gratiam, vocare quemquam, iuſtificare ſecundùm propoſitum, & prædeſtinare dicitur, neque in his, vt cæteris in rebus, fas eſt, vnicuique pro arbitrio ſuo loqui, vel quidquam decernere.

Quod certum adeò debet haberi, vt cùm à Patribus duplex vulgò prædeſtinatio ſtatuatur, altera quidem in bono, ſeu ad gratiam, & gloriam; altera in malo, non culpæ, ſed pœnæ, ſiue ad damnationem, æternámque mortem, quæ eadem eſt ac reprobatio: hæc tamen non dicatur prædeſtinatio, niſi quòd habeat pro ſuo obiecto damnationem ipſam, quæ eſt ſupremum quid, & quaſi finis voluntatis maleuolæ, odíique diuini. Verùm cùm hæc pœna ſit *culpæ ordinatrix*, vt Auguſtinus contra Manichæos diſputans crebrò admonet, cúmque ipſa reprobatio ad prædeſtinatorum gloriam ac beatitudinem ordinem habeat, conſequens eſt, omnem prædeſtinationem ſemper ſpectare finem vltimum, & gloriam electorum. Sanè cùm pœna reprobi per ſe nihil boni præſeferat, niſi quatenus eſt iuſta puniendi peccati ratio,

Digitized by Google

nihil habet quod ipſi Deo amabile ſit, niſi quod ad maiorem electorum gloriam, ac felicitatem referatur, quos ſolos purè, ſimpliciterque diligit Deus, quemadmodum ex D. Thoma ſuprà fuit declaratum.

Huc accedit, quòd prædeſtinatio Dei ſit eius non quæuis præſcientia, ſed ea duntaxat vna, quæ finem certò euenturum attingat. Vnde non mirum, ſi quæ diuina finis malorum & reproborum eſt præſcientia, prædeſtinatio quoque interdum nuncupetur: reprobi tamen, non prædeſtinati vulgò dicantur, quod tantùm ad electorum gloriam, quæ ſola eſt bonum illud creatum, propter quod Deus liberè vult, quidquid vult, deſtinati ſint; *omnia* quippe *ſunt*, vt habet Apoſtolus, *propter electos, & omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti.*

Quartò, quod D. Thomas ait prædeſtinationem eſſe tantùm eorum quæ facultatem naturæ ſuperent, explodit perperam cap. 4. Ianſenius. Neque verò de prædeſtinatione, vt cum reprobatione coniunctè ſe habet, & pœnam ſpectat, ita cenſet, cùm de prædeſtinatione, quæ in bono eſt, ibi ſe mentionem facere ſignificet, quandoquidem recentiores, qui contrà ſentiant hac in parte, ſecus habeat. Nam qui hoc dicat de illa reproborum prædeſtinatione, opinor eſſe neminem, vnde ſatis intelligitur malam eſſe Aduerſarij calumniam, qui id vnum habere videtur propoſitum, vt recentiorum nomen, exiſtimationémque proſcindat maledictis, ac laceret, & quoniam eo in loco illos ſugillandi cauſam habere ſibi videtur, poſſem breuiter oſtendere quàm iniquè, falsóque illorum doctrinam cauilletur, cùm eadem ſit atque D. Doctoris, cæterorúmque probatiſſimorum, eorúmque præſertim, qui priſcis temporibus floruerunt ſcriptorum, doctrina.

ARTICVLVS III.

Ianſenius triplicem prædeſtinationem temerè inducit.

QVINTVM eſt, quod Aduerſarius prædeſtinationem, quatenùs illam ad gloriam, gratiámque eam, quæ datur ad tempus reprobis, & ad eorum mortem, ac pœnam extendit, nihilominùs eam in *ſenſu propriiſſimo, & rigoroſiſſimo* dici debere cenſet, adeovt & damnatus apud Aduerſarium ad pœnam, & Iudas ad gratiam quam amiſit, dici debeat prædeſtinatus in *ſenſu propriiſſimo, & rigoroſiſſimo*, vnde cap. 2. hæc habet, *Non minùs propriè ille qui reprobatus eſt, prædeſtinatur ad fidem, charitatémque temporalem, quàm electus ad perpetuam.* & cap. 3. *ait verè & propriè* (ex Auguſtino nimirum, id enim eo loci diſputat) *& non minùs æternam damnationem prædeſtinari malis, atque bonis beatitudinem ſempiternam, vt proinde ſicut ſimpliciter dicimus aliquos prædeſtinari ſaluandos, ita etiam Auguſtinus dicat, ſimpliciter aliquos prædeſtinari damnandos; idque cùm præparatio eiuſmodi neceſſariò fieri debeat per decretum Dei, & illud ipſum decretum, vt omnis malitiæ ſpecies abſtergatur, non fiat niſi præuolante criminum præſcientia.* In quo poteſt obſeruari, quò rem deducat Aduerſarius, qui non tantùm ſupplicium reprobis à Deo prædeſtinari, & decerni, verùm etiam præparationem quandam ad illud fieri, in eáque criminum præſcientiam velit contineri. Quid autem inde efficias niſi ipſa crimina, eorúmque præſcientiam à Deo *verè propriè & ſimpliciter decerni?* Addit etiam, *prædeſtinationem Dei, quamuis ſemper in bono ſit, non minùs iuſtam bonorum, & prauorum operum retributionem, quàm gratiam operari. Iuſta quippe retributio ſiue cæleſtis præmij, ſiue ſupplicij, magnum bonum eſt, quod non minùs debet, aut poteſt à Dei prædeſtinatione, quàm ab eius directâ & voluntaria operatione diſiungi.* Vnde conficitur in iſtiuſmodi doctrinâ Deum tam directa determinatâque voluntate deſtinare ſupplicium quàm gloriam, tanquam mercedem meritorum.

Sic autem de prædeſtinatione vniuerſim ſumptâ ſtatuit

cap. 1. *prædeſtinare, provt in rebus Theologicis vſurpari cœpit, nihil aliud eſt, quàm proponere, decernere, ſeu vt tota vocis ſignificatio exprimatur, prædecernere, prædefinire, prædeterminare aliquid, quod Latini propriè dicunt præſtituere: in hac*, inquit, *ſignificatione vſurpatur verbum vbicumque in ſcripturis occurrit.* Addit, Auguſtinum *indifferenter* vti verbis, *prædeſtinandi, definiendi, præfigendi, ſtatuendi, conſtituendi, ordinandi, diſponendi.* Quæ cùm profiteatur, háſque omnes voces eiuſdem eſſe velit poteſtatis, & ſignificationis: inde perſpicuum fit, ex eodem conſequenter dici poſſe, Deum non minùs damnationem reproborum, quàm electorum ſalutem, ac gloriam *verè, propriè, ſimpliciter*, & *in ſenſu*, vt ipſe ait, *rigoroſiſſimo, proponere ab æterno, decernere*, ſeu *potiùs prædecernere, prædefinire, prædeterminare, præſtituere, præfigere, ſtatuere, præparare, diſponere, & ordinare.* Quod cùm dicit ille adeò confidenter; nihil penſi habet, quantam moueat Catholicis omnibus, doctis iuxtà atque indoctis offenſionem. Neque hîc dicam quam à Caluinianis ineat gratiam, quibus vltrò concedat, quod in duce principéque ſuo Caluino damnatum ab eccleſia, hactenus audiuerant.

Quis autem ferat animo ſatis æquo, modò ſenſum pietatis aliquem retinuerit, Deum non magis gloriæ, quam Petrus adeptus eſt, auctorem eſſe, quàm damnationis Iudæ; hunc peræquè prædeſtinatum eſſe ad mortem, atque illum ad gloriam? quòd omnino verum haberi debet, ſi Iudas *verè, ac propriè prædeſtinatus* in ſcholâ Ianſenianâ eſſe perhibeatur. Quod enim preſſè, ac ſimpliciter loquendo, tale eſt, quoquo modo ſpectetur, non poteſt non eſſe tale. Idque, ſi quis Catholicus ſit, qui non imis ſenſibus perhorreſcat, nec meo quidem iudicio parùm videbitur religioſus, cùm id doctis iuxtà ac indoctis ab ipſo religionis ſenſu ſit inſitum, vt in eo reprobos diſcernant à prædeſtinatis, quòd hi ad gloriam electi ſint, Deo per ſingularem ſuum erga eos amorem ita ſtatuente, eorúmque ſalutem, cuius reipsâ auctor eſt, procurante; reprobi autem in peccato, eâque quam ſibi per peccatum conciliauerunt, vindictâ diuinâ, & vltione maneant, deſertíque à Deo ad electorum & prædeſtinatorum aliorum gloriam ordinentur.

Nam

Digitized by Google

Nam quis ignoret quàm frequens, vulgatúmque ſit cùm apud ſanctos Patres, tum apud omnes paſſim bene inſtitutos Theologos Doctores, quoſdam ab æterno præſcitos reprobos, quoſdam verò prædeſtinatos, háncque inter vtramque conditionem diſtinctionem eſſe percelebrem, ſolóſque electos preſsè, ac ſimpliciter prædeſtinatos dici, neque hanc vocem de reprobis vſurpari ſolere, niſi admodum impropriè, & in eo ſenſu, quòd in eorum damnatione, quidpiam ſit eorum, quæ in electorum prædeſtinatione reperiantur, anticipata nimirum damnationis eorum certò futuræ cognitio, & quædam voluntas Dei conſequens, qua Deus tanquam iuſtus illam vult, ac decernit in pœnam, puniendo peccato debitam; quemadmodum Deus ex præſcientia gratiæ, & meritorum illius, qui eligitur, tanquam iuſtus bonorum ſuorum diſpenſator, gloriam ei vult, confértque in mercedem?

Porrò reprobatio ipſa in electorum prædeſtinatione quodammodo contineri videtur, tanquam quidam quaſi illius appendix. Cùm enim prædeſtinatus ita eligatur præ reprobis, vt ab his ſecernatur, in hac electione, ſecretionéque, reprobatio ipſa videtur intelligi; cùm electio vnius præ alio, electíque amor, reiecti odium aliquod complectatur. Denique ſic totum illud negotium diſpenſat Deus, vt eandem reproborum damnationem ſua prouidentia ad electorum bonum dirigat, adeo vt reprobatio illorum ſit aliqua pars prouidentiæ diuinæ, quæ tota aliquali ratione ad electos pertineat, & ita reprobationem contineat.

Ex quibus ita explicatis ſatis euidens eſt prædeſtinationem, cùm vtrique eorum tam electorum, quàm reproborum tribuitur, non *vniuocè*, vt aiunt, ſed per quandam ſimilitudinem, & *analogicè* tantùm tribui debere, quæ quidem ſimilitudo eſt adeò imperfecta, vt nihil obeſſe debeat, quo minùs reprobatio à prædeſtinatione ita diſcrepet, vt omninò diuerſa cenſeri debeat, ipſáque Dei circa naturam rationalem prouidẽtia, alia ſit reprobationis ſimpliciter dictæ, alia prædeſtinationis. Quod cùm vnanimi omnium paſſim conſenſu dicatur, certiſſimum, manifeſtiſſimúmque ſit, prædeſtinationem de ſolis electis *ſimpliciter, & in ſenſu propriiſſimo, & rigoroſiſſimo,* dici debere. Quoties enim aliqua

Digitized by Google

ratio communis pluribus inferioribus ſimpliciter conuenit, nunquam ea ſumi debet pro differentiâ eorum ſignificandâ, vt cùm Deus dicitur ens à ſe, res verò creata ens ab alio, nunquam ens quod vtrique commune eſt, pro alterutrius differentia videbitur eſſe accipiendum. Cùm autem in prædeſtinatione ſimpliciter dicta contineatur dilectio Dei peculiaris erga prædeſtinatum, eius præ aliis optio, propoſitum certum determinati finis obtinendi, præparatio mediorum, atque ordinatio; non poſſum ſatis animo coniicere, quomodo fieri potuerit, vt Ianſenius prædeſtinationem non minùs reprobationi conuenire, quàm electioni dixerit, niſi tranſeat eâdem operâ in partes Caluini, cum eóque velit Deum æquè procurare media damnationis ac electionis, & eadem ratione reiectorum crimina operari, atque media quibus operatur ſalutem electorum.

Verùm quia de vocum appellatione, ſignificationéque præcipua eſt in hoc loco diſceptatio, fieri debet, quod cæteris in rebus paullò grauioribus ſolet obſeruari, vt res ad experientiſſimorum iudicium, æſtimationémque referatur. Quorum omnium inſtar nobis habendus D. Thomas, qui 2. 2. quæſt. 174. art. 1, quærit *vtrum prophetia conuenienter diuidatur in prophetiam prædeſtinationis Dei, præſcientiæ, & comminationis*. Vt autem eam diuiſionem probet, ait præſcientiam eſſe bonorum, & malorum; prædeſtinationem verò *bonorum tantùm,* vbi per mala, intelligit ea quoque pœnam & ſupplicium, quæ ſemper mala ſunt, licèt eorum effectio, vt pote iuſta, ſit bona. & quæſt. 6. de veritate, quæ eſt de prædeſtinatione art. 1. ad 10. *Mala appropriantur præſcientiæ, non quòd præſcientia ſit magis propriè de malis, quàm de bonis, ſed quia bona in Deo habent aliquid aliud reſpondens quàm præſcientiam, mala autem non;* illud autem aliud eſt prædeſtinatio *quæ, inquit, eſt de bonis ſalutaribus tantùm.* De Auguſtini mente ſuper re propoſita, nobis erit paullo pòſt ſermo prolixior faciendus.

Vnum ſatis hîc erit admonere, magnam inter Doctores Theologos olim fuiſſe controuerſiam, vtrum duplex Dei prædeſtinatio admittenda videretur, quarum vna eſſet reproborum deſtinatio ad pœnam, altera electorum ad glo-

riam. cùm enim viſum eſſet pleriſque prædeſtinationem à Deo primùm, eiúſque propoſito proficiſci, eáque à præſcientia diuina prorſus eſſe diſtinguendam, ſolam conſequenter electorum prædeſtinationem admittebant. Quidam verò cùm apud Auguſtinum, eiúſque diſcipulos duplicem illam prædeſtinationem reperirent, contendebant eam cum præſcientia minimè pugnare; licèt autem Deus *ex ſuo optimus ſit, ex noſtro iuſtus*, quemadmodum dictum olim accepi à Tertulliano, nihilominùs licèt nulla pœna poſſit infligi à Deo niſi iuſto, nec cuiquam deſtinari niſi propter culpam, licétque duplex malum ſit, culpæ alterum, alterum pœnæ, hócq; ex illo conſequatur, nec Deus auctor culpæ eſſe queat, nec ipſam adeò pœnam tanquam primarium finem habeat ſibi propoſitum, fatebantur tamen Deum vt iuſtum præceptâ animo culpâ, poſſe eſſe pœnæ auctorem, effectorémque, atque in hunc ſenſum dici poſſe prædeſtinare; damnatis nihilominùs Prædeſtinatianis, à quibus nonnihil prompſit Iprenſis, quod ſuæ doctrinæ accommodauit.

Ita enimuerò Patres Valentini geminam tuebantur prædeſtinationem cum Auguſtino, eiúſque diſcipulis, qui, vt antea fuit à me animaduerſum, prædeſtinationem reproborum ad pœnam, velut partem, quæ electionem, prædeſtinationémque electorum compleat, perficiátque, conſiderarunt. At compertus eſt ante Ianſenium hactenus nemo, qui triplicem prædeſtinationem ſomniarit, primam electorum ad gloriam; alteram reproborum ad pœnam; tertiam eorumdem ad gratiam temporalem. cuius præclari inuenti poteſt Cornelius pro ſuo iure auctorem ſe, repertorémque gloriari; neque quemquam opinor futurum, qui id, quidquid eſt, ſi tamen eſſe poteſt, laudis, & gloriationis illi meritò poſſit inuidere. Nam quis vel priſcæ ætatis, vel nouæ, vnquam animum induxit ſuum, vt tam miſerè ſubtilis eſſet, qui id cogitaret? quod cùm à Ianſenio factum ſit, nemo fuerit opinor, qui non iudicet, temerè omnino, atque inſipienter eſſe factum, quod mihi propoſueram demonſtrandum.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Doctrina de prædeſtinatione Angelorum ſumma breuiter exponitur.

ARTICVLVS I.

Janſenius prædeſtinationem Angelorum planè negat fuiſſe gratuitam.

ITA diſputat de beatorum Angelorum prædeſtinatione nouator noſter, vt eam nolit omnino fuiſſe gratuitam, quantùm ſpectat & ad merita quibus gloriam conſecuti ſunt, & ad ipſam gloriam, quam, ex eius ſententiâ, ita meriti ſunt, vt nullo modo gratiæ Dei, ſed libero eorum arbitrio contendat id tribui debere, adeóque fieri, quod tantopere damnatur ab Apoſtolo, vt Angeli boni à malis non vi gratiæ, ſed liberi ſui arbitrij diſcernere ſe potuerint. Fatetur quidem eos accepiſſe gratiam à Deo, ſine qua non poterant mereri : ſed eam gratiam talem fuiſſe vult, vt per ſolum arbitrium ſuum, non per illam bene operati ſint, gloriámque promeriti, quod ſuperiùs explicatum eſt, oſtenſúmque, Aduerſarium comparare gratiam illam cum tentatione, ſine qua, non per quam Adam peccauit. Quibus ſatis ſignificat exiſtimare ſe, Angelum beatum non plus auxilij ad beatitudinem à Deo accepiſſe, quàm reprobi Angeli acceperint, cùm à principe ſuo tentati corruptíque, peccarunt. Nec proinde Michaëli plus cauſæ ſit, vt bona ſua opera, merita, & gloriam ipſam Deo ſupremo rerum domino, ac diſpenſatori referat; quàm Adamo, vt prolapſionem ſuam, totiúſque generis humani ruinam, tribuat Angelo tentatori. Sed mentem hominis, eiúſque ſenſa placet explorare, ne quid in hac parte obſcurum eſſe poſſit.

Lib. 9. de gratia, cap. 10. quæſtionem inſtituit conſequentibus deinceps capitibus tractandam, *Vtrum Angeli bea-*

Digitized by Google

ti, electione, ſeu prædeſtinatione gratiæ electi, ſeu prædeſtinati ſint. Tum verò eos inquit, *Gratis ad ſalutem electos, & prædeſtinatos eſſe plerique recentiores, & ferè omnes, ſi non prorſus omnes, vnanimiter docent.* Si quos cuius ætatis, recentiores intelligat, voluiſſet declarare, aliquam potuiſſet à nobis inire gratiam. At niſi ſe ignariſſimum prodere velit, omnes qui à D. Thoma, vſque ad noſtra tempora floruerunt in ſcholis Doctores, hac vniuerſali complexione debet intelligere. Quos cùm reiicere molitur, hoc eſt, Eccleſiæ vniuerſæ conſenſum, non video, quo in loco deinde apud ſuos futurus ſit. Nam qui ſe toti Eccleſiæ per ſuos Doctores loquenti, aduerſarium profiteatur, is meo iudicio videtur indignus, qui patienter ab optimo quoque ſuſtineatur. Quis enim ferat hominis tam vanè ſuperbi, tam inſolentem arrogantiam, qui poſtquam confeſſus eſt eum eſſe omnium prorſus Doctorum recentiorum vnanimem conſenſum, contendit nihilominùs, *iuxta S. Auguſt. longè aliter de rebus iſtis ratiocinandum eſſe, vt pote cum cuius principiis iſta iam dicta modernorum argumentatio, & concluſio capitaliter pugnat. Dicendum eſt enim Angelos, qui æterna felicitate potiuntur, non eſſe prædeſtinatos electione, ſeu prædeſtinatione gratiæ: ſed ea, quam ſuprà diximus, meritorum.* Cap. enim 6. duplicem prædeſtinationem admittit, alteram gratiæ, alteram verò iſti oppoſitam, quæ meritorum eſt, ſiue operum. Sic autem vtramque ſtatuit, vt prædeſtinatio gratiæ gratuita, ad ipſam gratiam primùm, tum gloriam conferendam pertineat. At prædeſtinatio meritorum, ſiue ex meritis, illi gratuitæ ita demùm oppoſita ſit, vt nec ipſum meritum gratuitò detur. Sic enim putat ſecum rationem ſuam argutus homo. *Nam ſi ipſum meritum alicui per gratuitam gratiam gratis donetur à Deo, electio ex iſto merito, non propterea erit electio meritorum, aut deſinet eſſe gratia.* Quamobrem cùm Angelorum prædeſtinationem, meritorum, non gratiæ, dicit eſſe Ianſenius, eâdem operâ, nec merita, nec perſeuerantiam, nec gloriam ipſam atque immortalem felicitatem à Deo ex gratia, ſiue gratuita voluntate, ſed ex mera iuſtitia, tanquam mercedem illis debitam propter opera bona, docet fuiſſe conceſſam.

At cap. 10. rem facit paullò minùs duram, qui fateatur ſanctitatem, in qua Angeli creati ſunt, & adiutorium gratiæ ad perſeuerandum, ſi *præcisè* ſumatur, illis eſſe gratis *prædeſtinatum & donatum*. Verùm quia nihil ei difficilius eſt, quàm vt ſanus ſit, ſtatim offendit. Continenter enim id negat de *perſeuerantia, & actibus, meritíſque Angelorum, & de gloria, quæ perſeuerantiæ & meritis retributa eſt.* negat, neque vult quidquam eorum, iis gratis vel datum eſſe, vel prædeſtinatum; vt nimirum inter eam, quæ Angelis, & quæ nobis data eſt, gratiam, ſtatuat inauditum illud diſcrimen, de quo tantopere laborat, quo fit, vt gratia data Angelo *dederit tantùm poſſe, noſtra det velle, & agere. Quare in Angelis velle & agere non erat ſpeciale donum Dei, ſed generale, & in radice tantùm datæ poteſtatis, quæ deſertoribus Angelis data fuerat, túmque non fuit gratiæ, ſed voluntatis, vt vellent; ideóque vita æterna, non eſt Angelis gratia ſpecialis, ſed merces meriti: quia ipſum perſeuerare, ſeu velle & operari bonum, quod in eorum libero relinquebatur arbitrio, non erat eis donandum à Deo, ſed à propria voluntate, non ſine adiuuante gratia requirendum, & conſequenter non erat eis prædeſtinandum aut meritum, aut perſeuerantia meritorum.*

Idem cap. 11. & 12. repetit, vbi vult Auguſtinum *in vniuerſis operibus ſuis nunquam tradere Angelos fuiſſe prædeſtinatos, vt in bona voluntate perſiſterent, ſed è contrario, quemadmodum Angelorum deficientium caſum, ita ſtantium quoque perſeuerantiam tantummodo diuinæ ſubiicere præſcientiæ ... diſcretionem in Angelis factam nunquam gratiæ, vel prædeſtinationi, ſed potiùs meritis tribuere .... Illud dictum Apoſtolicum, Quis te diſcernit, nunquam niſi de lapſis hominibus, de quibus Apoſtolus intellexit, intelligere. nam vſque ad nutum ipſum voluntatis accedentem, nulla adhuc diſcretio eſt, ſed omnes in hæſitando pares, ipſum verò nutum voluntatis, quo diſcretio fit, non tribuit, aut facit adiutorium.* In quo poteſt obſeruari, non dici ab Aduerſario ſolum adiutorium facere illum nutum, & conſenſum, ſed id facere vnà cum voluntate, cum quâ ſimul agit & operatur; ſed omnino illud non tribuere nec facere conſenſum, at eſſe tantummodò id ſine quo non fit conſenſus; quemadmodum malus conſenſus, pronúſque

in peccatum non fit ſine tentatione.

Tum etiam id minùs obſcurè habet c. 13. *Gloria Angelis non eſt donum gratia, nec illis prædeſtinata, aut data eſt prædeſtinatione gratia, ſed meritorum.* & cap. 14. *Quod Deus dicitur operari in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, Auguſtinus negat conſtanter Deum feciſſe in Angelis, ſed potiùs eorum arbitrio reliquiſſe, &, quod Suares ait, iſtud principium quo contra Maſſilienſes vtitur, initium fidei, & omnium bonorum operum ex Deo eſſe, etiam in Angelis, eſſe veriſſimum, id* Ianſenius *à veritate remotiſſimum eſſe* ait. Quibus negat funditus initium fidei, & omnium bonorum operum in Angelis à Deo profectum. quod cap. 25. & cap. 26. ſæpiùs inculcat: vbi ait *Angelos ſiue beatos, ſiue damnatos potiùs præſcitos, quàm prædeſtinatos eſſe cenſendos.*

Ex illa porrò tam mirabili, támque noua doctrina, quid perfecit aliud Aduerſarius, quàm vt probaret, Angelos bonos poſt gloriæ, ac beatitudinis adeptionem nihil Deo plus debere, quàm Angelos reprobos. Cùm enim vterque par ſanitatis, & gratiæ donum acceperit, quo bene operari, gloriámque promereri poſſet, id quidem Deo acceptum referre vterque debet, & in eo par vtriuſque conditio fuit. Quin etiam ex illo doctrinæ principio vinci poteſt, plus gratiæ, cæterorúmque donorum Angelo deſertorum principi fuiſſe collatum, quàm pleriſque eorum qui gloriam adepti ſunt; cùm D. Thomas, omníſque ſchola doceat, eum plus ſanctitatis accepiſſe, quàm plurimos ordinis inferioris, qui pro humiliori ſua conditione minùs à Deo gratiæ receperunt.

ARTICVLVS II.

Quæ Auguſtini de Angelorum prædeſtinatione ſententia ſit.

RES ſanè perdifficilis, plenúmque audaciæ negotium, de Auguſtini mente diſputare velle, cum homine eo, qui continuo duorum & viginti annorum ſtudio eius libris impalluerit. Sed, opinor, hactenus à me fuit perfectum, vt

in ea lectione dubiæ iam, ambiguæque fidei compertus ſit; nihilque ex eo confici poſſe, niſi valde miſerum eum, cui tam fruſtrà pallere contigerit. Nam quantùm ſpectat ad rem præſentem, liquidum eſt hanc fuiſſe Auguſtini doctrinam, Angelorum prædeſtinationem ad gratiam, & gloriam peræquè fuiſſe gratuitam, atque eſt prædeſtinatio noſtra, ſi peccati remiſſionem exceperis, vt euidenter intelligi poteſt, ex iis quæ de meritis Angelorum à me dicta ſunt, cùm vanas, & falſas de gratia, de libero arbitrio, & de merito tam Angeli, quàm Adami, Aduerſarij opiniones refutaui pluribus. Quare his prætermiſſis, oſtendo breuiter apud Auguſtinum, quòd Angelus ſteterit in bono, id habuiſſe diuinæ gratiæ beneficio, quod in eo maius fuit, quàm in Angelo deſertore; dictúmque illud Apoſtoli, *quis te diſcernit?* perinde in Angelum, atque in hominem cadere.

Quod vt magis perſpicuum ſit, obſeruandum, nihil frequentiùs apud Auguſtinum reperiri, quàm inter res creatas, naturam eam, quæ ratione prædita ſit, tam Angelicam, quàm humanam, bonam eſſe non poſſe, niſi *participatione incommutabilis ſapientiæ*, & Spiritus ſancti, vt patet ex lib. 11. de ciuit. Dei, cap. 9. & 10. Cap. verò 11. negat bonos, & malos Angelos in illa participatione ſapientiæ fuiſſe æquales, cùm par fuiſſet omnium fortuna, par felicitatis conditio, ſi par in iis participationis illius ratio foret.

Neque exiſtimo moram mihi faciendam in inquirendâ participationis illius ratione, ac naturâ, vbi præſertim conſtat quidpiam fuiſſe ab ipſa beatitudine diuerſum, cùm in Angelis deſertoribus locum habuerit ex ſententia Auguſtini, in quibus tamen nihil habuit loci beatitudo, & gloria, qua modò fruuntur Angeli boni. Neque, opinor, difficile eſt admodum ſtatuere quid fuerit, cùm ex cæteris donis liceat colligere, quoddam fuiſſe gratiæ adiumentum gratis à Deo, Angelo conceſſum, ad morem gerendum, cùm res ita poſtularet, & beatitudinem promerendam. Nam lib. 12. c. 9. abſurdum putat, & impium dicere, *quòd Angeli meliores à ſeipſis, quàm à Deo facti ſint.*

Sed Cornelio Iprenſi ſecùs viſum eſt, qui eos accepta quidem gratia, ſed vi per liberum arbitrium inſitâ, *non donan-*

donante gratia, neque Deo operante bonum voluiſſe aſſerat. Quis enim non videat eum, qui accepta gratia bonus eſt, ſi eam per ſeſe in vſum adhibeat, meliorem eſſe cùm agit, quàm erat, cùm otioſus etiamnum nihil agebat? Quod Auguſtinus habet omninò explicatè. *Si non potuerunt ſeipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò & bonam voluntatem*, id eſt, volitionem, *qua meliores eſſent, niſi operante adiutorio creatoris habere non poſſent.*

His addendum quod idem Aug. in Enchir. c. 23. docet eodem modo in nobis, & Adamo felice, beatóque, ac in Angelis Deum operari bonam voluntatem. *Rerum quæ ad nos pertinent bonarum cauſam non eſſe, niſi bonitatem Dei, malarum verò, ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem prius Angeli, hominis poſtea.* Ita videlicet ſentiebat Auguſtinus, antequam factus eſſet Iprenſis. Verùm poſtremis his temporibus, ex quo rem habuit cum Cornelio noſtro mutauit ſententiam, & ſi Deo placet, docuit Angelum *cum gratia*, non *per eam, ſed per ſolum liberum arbitrium, Deo non donante* bonarum actionum cauſam eſſe, eas per ſeſe præſtare poſſe, nec Deo acceptas referre.

Iam non quæro qua fide nouitatis tuæ patronum facias Auguſtinum Corneli? nam ſtultum eſſet fidem à te requirere, quam habes iam toties profligatam. Hoc quæro, quid cauſæ fuerit, cur deprauares Auguſtinum, vt eum faceres Iprenſem? At ſi potes perſuaderi, audi etiamnum antiquum illum & auctoritate pollentem Auguſtinum, vt intelligas ipſe, quàm à nouo tuo diſcrepet. Cùm enim diſputat in Enchir. cap. 32. in illud dictum Pauli Rom. 9. *Miſerentis eſt Dei, non currentis*, quod eſt prædeſtinationis gratuitæ ſignum euidentiſſimum, eamobrem id verum eſſe contendit, quia voluntas à Domino præparatur, *Deúſque hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Quod vtrumque in Angelo locum habuiſſe idem docet cap. 100. de Angelica, & humana natura differens in hanc ſententiam, quòd *Deus vtitur bene & malis tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benignè præ-*

Digitized by Google

deſtinauit ad gratiam. Quæ ſi attenderet Ianſenius, fortaſſe non tam fidenter negaret *in vniuerſis operibus Auguſtini nuſquam Angelos dici prædeſtinatos.* Cùm liqueat in hoc loco peræquè Angelos, ac homines ſignificari, alios quidem ad pœnam *iuſtè*, alios verò ad ſalutem & gratiam *benignè*, & ſecundùm propoſitum voluntatis diuinæ prædeſtinari, adeo vt non minùs ad Angelos, quàm ad homines prædeſtinatio pertineat, eáque non tam meritorum ſit, vt delirat Iprenſis, quàm gratiæ maximè gratuitæ. Vnde docet idem Auguſtinus cap. 103. gloriam & gratiam Angelo & homini fuiſſe datam abſque vllo in hac parte inter vtrumque diſcrimine.

Et illud ipſum quod negat Aduerſarius de Angelis dici poſſe, *Quid habes quod non accepiſti, quia ſe per liberum arbitrium non donante gratia diſcernunt à malis*, penitùs reiicitur ab Auguſtino lib. 8. de Gen. ad litt. c. 12. vbi Adamo florenti ac beato, cuius parem cum Angelo fuiſſe rationem profitetur Ianſenius, ait conuenire, quod dicitur, *mihi autem adhærere Deo bonum. Neque enim tale aliquid, eſt homo factus, vt deſerente eo, qui fecit, poſſit aliquid agere bene tanquam ex ſeipſo.* Quod vt probet affert illud Pſ. 58. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam; Ipſius enim figmentum ſumus, non tantùm vt homines ſimus, ſed ad hoc etiam vt boni ſimus. nam & Apoſtolus cùm fidelibus ab impietate conuerſis, gratiam qua ſalui facti ſumus commendaret: gratia enim, inquit, ſalui facti eſtis per fidem, & hæc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne forte quis extollatur; ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. & alibi cùm dixiſſet, cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini; ne ſibi putarent tribuendum, tanquam ipſi ſe facerent bonos, & iuſtos: continuò ſubiecit, Deus enim eſt, qui operatur in nobis.*

Non ignoro ſic Auguſtinum diſputare paſſim de donis, quæ primus parens in illo felici ſtatu receperat, vt ſignificet ea vi meritorum Chriſti minimè accepiſſe. Verùm inſinuat idem, quidquid ad ſalutem à Deo nobis conceſſum eſt opis & adiumenti, illud Adamo ſtanti, & Angelis peræquè fuiſſe neceſſarium. Eum *Deo præſente, operante & cuſtodiente,*

(ſic enim ait) *iuſtum fuiſſe, ſeu iuſtificari, illuminari, & beatificari, gratia ſaluum factum per fidem, & hoc non ex ſeipſo, ſed Dei donum fuiſſe, non ex operibus*, ſeu meritis, ne fortè quis electus aduerſus reprobum extollat ſeſe ac glorietur. Dei quippe opus eſt, quòd Adamus in operibus bonis creatus ſit, quæ præparauerat Deus vt in illis ambularet: ne ſibi tribuendum putaret tanquam ipſe ſe bonum, iuſtúmque efficeret. Quod cùm de Adamo innocente dictum ſit, de Angelo quoque intelligendum eſſe fatendum eſt, cùm par vtriuſque conditio ipſo quoq; Ianſenio teſte fuerit.

Vnde manifeſtum eſt Auguſtinum, vnà cum D. Thoma, in ea fuiſſe opinione, quam tuemur, Angelorum prædeſtinationem planè fuiſſe gratuitam, adeo vt ea fuerit ex ſingulari Dei miſericordia, non illa quidem, quæ à peccato commiſſo reum, ſed quæ à committendo liberat, & opis ſuæ indigentem pro ſua bonitate, ac clementia adiuuat.

ARTICVLVS III.

Quæ S. Auguſtini rationes probant prædeſtinationem hominum eſſe gratuitam, eædem in Angelis locum habent.

DE prædeſtinatione hominum gratuitâ lib. 4. ad Bonifacium c. 6. ſic agit Auguſtinus, vt quæ de Angelis commentus eſt Ianſenius prorſus refutet, iiſque omnino rationibus eam gratuitam eſſe perſuadet, quæ & in Angelis ipſis locum habeant, quarum aliquas breuiter attingo. Pelagianorum *impietatem ſuperbam vocat.* Quod enim *coguntur confiteri à Deo datum, non ſibi donatum*, dicunt *ſed redditum*, vt nimirum *ipſi credantur ſe bonos feciſſe, & Deus iam bonis à ſeipſis effectis, pro iſto eorum opere debitum præmium reddidiſſe.* Idque ipſum eſt quod ab Angelis dici poſſe contendit Aduerſarius. Eos porrò ſic refutat Auguſtinus. *Quòd non audiant, quid enim habes quod non accepiſti? Non audiant; ſine me nihil poteſtis facere. Non audiant; charitas ex Deo eſt. Non audiant; Deus partitus eſt menſuram fidei. Non audiant: Spiritus vbi vult ſpirat, & qui Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei*

Digitized by Google

ſunt. Non audiant; nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo .... & timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant, & viſitabo eos, vt bonos eos faciam. Ex quo loco ſic diſputari poteſt in te Corneli. Angelum ſine Deo nihil facere poſſe, non negas: eius charitatem eſſe à Deo, opinor, profiteris: neque enim exiſtimo te à mente ita deſtitutum, qui ſecùs ſentias. Quid ergo cauſæ eſt, cur dictum illud Apoſtoli, in eum cadere poſſe non putes: *Quid habes quod non accepiſti*, cæteráque, in hanc ſententiam, quæ Pelagianis exprobrat Auguſtinus; niſi quòd eâdem atque illi ſuperbâ impietate, eodémque faſtu labores?

Ibidem Doctor idem diuinus, quod habetur cap. 36. Ezech. explicans, quod ſolebant dicere Pelagiani, *nos facimus, vt mereamur, cum quibus faciat Deus:* quod & ab Angelis dici potuiſſe innuit Aduerſarius, quem cum Pelagianis ſic confutat Auguſtinus, quia gratia non datur ſecundum merita, quia nihil boni fieri poteſt niſi de corde bono. vt autem habeatur cor bonum, dat Deus. *Quomodo enim iſta bona faceretis, niſi boni eſſetis. vt autem boni homines ſint, quis facit niſi Deus? ... Nos quidem ambulamus, verum eſt, nos obſeruamus, nos facimus: ſed ille facit vt ambulemus, vt obſeruemus, vt faciamus.* cuius rei rationem hanc affert, *quia hæc eſt gratia Dei bonos faciens nos, hæc miſericordia eius præueniens nos.* Quapropter cùm gratia Dei bonos fecerit Angelos, eóſque diuina illius miſericordia occupauerit, ſi valet inſtituta ab Auguſtino ratio, nónne ita ambulauerunt Angeli in iuſtitia, ita mandata obſeruauerunt, eiúſque voluntatem fecerunt, vt Deus ipſe dederit vt ambularent, obſeruarent, facerent, quod aduerſarius inficiatur?

Quoties autem de gratuita donatione gratiæ, ac prædeſtinatione mentionem facit Auguſtinus, eas ita ſemper coniungit, vt nolit vnquam eſſe diiunctas. Vnde apparet, quòd ſi Angelorum prædeſtinatio ad gratiam, vel ad gloriam non fuit gratuita, nec eos quoque gratis eſſe à Deo vocatos, iuſtificatóſque, & acceptâ ſanctitatis gratiâ bonos effectos, quod & ſentire Pelagianum eſt, & dicere nefarium.

Pleraque alia habet Auguſtinus toto paſſim libro de gratia & lib. arb. tum præſertim cap. 8. vbi gratiam vitam æter-

Digitized by Google

nam non alia ratione poſſe intelligi ait, niſi quia *opera bona ad gratiam Dei pertinent, propter illud: ſine me nihil poteſtis facere*, & quia fingimur, formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præparauimus nos, ſed præparauit Deus, vt in illis ambulemus, quæ poſtrema cum Angelis conueniant, dicendum eſt, iis quoque conuenire ſuperiora.

His adde, quæ lib. de prædeſt. SS. & de dono perſeuerantiæ tam fusè habentur, & in rem noſtram tam appoſitè, tum præcipuè, quæ illius libri cap. 10. agitantur, vbi vult nos dignos eſſe ſalute, *gratia, vel prædeſtinatione diuina, & inter gratiam ac prædeſtinationem hoc tantùm intereſſe, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia verò iam ipſa donatio.* Tum addit prædeſtinationem eſſe gratiæ præparationem; vnde efficit tam gratuitam eſſe prædeſtinationem, quàm eſt ipſa gratiæ præparatio, nec aliter negat, gratiam dari ſecundùm merita, quàm quia prædeſtinatio eſt gratuita. Cap. 15. quod & cap. 24. lib. de dono perſeuer. repetit; *præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ eſſe hominem Chriſtum Ieſum* ait. nec is Angelos excipere dicendus eſt, qui ipſam prædeſtinationem Sanctorum in Sancto Sanctorum maximè claruiſſe pronunciet.

Neque verò opinetur Iprenſis opinioſiſſimus homo prædeſtinationem noſtram ideò dici debere gratuitam, quòd cùm eſſemus filij iræ, à calamitoſiſſima conditione, in quam nos adduxerat peccatum, ſingulari Dei beneficentia ſimus liberati: ſed quòd gratis acceperimus gratiam, cuius deinde beneficio, gloriam, ad quam deſtinati ſumus tandem aliquando promereamur, quod cùm in Angelo perinde atque in Adamo innocenti locum habeat, de vtriuſque prædeſtinatione, eadem omnino ratione videtur eſſe ſtatuendum; adeo vt earum altera gratuita cenſeri non debeat, quin idem de alterâ iudicetur.

At cùm quidpiam ſit in hoc cap. 15. vnde ſe tueri poſſit Aduerſarius, & ex vocibus iis, *Humana merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia per Ieſum Chriſtum,* efficere, quod contendit, gratuitæ prædeſtinationis rationem peti ex indignitate ea, quam peccando contraximus; par eſt etiam omnem iſtiuſmodi declinationis

locum illi eripere, ne quid habeat, quò fugere poſſit. Fatebor imprimis factum non ſemel ab Auguſtino, vt gratiam ex hoc capite commendaret. Verùm non inde liquidò appareret, hanc eſſe gratuitæ prædeſtinationis adæquatam (vt aiunt) rationem, quemadmodum ex ipſius Chriſti prædeſtinatione manifeſtum eſt. Tametſi autem dictum ſit à me, prædeſtinationem Angelorum, electionémque ipſam ad gloriam, vt eſt primæ gratiæ præparatio, æquè gratuitam eſſe, atque eſt noſtra; non eſt tamen propterea negandum, noſtram, quoad perſeuerantiam finalem, magis eſſe gratuitam, quàm angelica ſit, cùm plus meritorum ab Angelis, quàm à nobis poſitum ſit; quæ cauſa fuit, opinor, Fulgentio, cur *glorificationem noſtram* gratuitam fuiſſe dixerit.

CAPVT XV.

Quid de reprobatione primùm, tum quid de Prædeſtinatianis ſtatuendum ſit.

ARTICVLVS I.

Quid de reprobatione cenſeat Caluinus.

CVM tam multi ſint, qui in memorandis, confutandíſque Caluini circa reprobationem damnatorum erroribus, operam poſuerint ita diligentem: ipſéque adeò in primis Petauius primo tomo Dogm. Theol. lib. 10. cap. 6. & ſequentibus, pro ſua ſingulari eruditione, ac doctrinâ ſedulò id, nauitérque fecerit; parcè illud, breuitérque mihi tractandum eſt, ſi reprehenſionem fugere velim. Itaque reiectis, quæ ad rem præſentem nihil faciant, cæteris omnibus, ſatis erit mihi dicere in præſentia, Caluinum inconſideratiſſimâ, dementiſſimáque errorum ſuorum inſaniâ, eò cæcitatis eſſe adductum, vt exiſtimarit primùm Deum ante vllam cuiuſuis peccati vel originalis, vel actualis præſcientiam, quoſdam ad damnationem peræquè deſtinare, atque illos,

quos deſtinat ad gloriam: tum ex illo propoſito, certâque animi ſententia non modò permittere, verùm etiam eligere, & procurare media idonea ad eam damnationem iuſtè efficiendam.

Sic enim cum animo ſuo rationem putabat vir ille flagitioſus. Cùm Deus hunc ſibi finem proponat, vt quemadmodum miſericordiam, ita iuſtitiam ſuam non eam modò, quæ pertinet ad præmia virtuti diſtribuenda, ſed etiam quæ ad pœnam ſceleri irrogandam, manifeſtet, commendétque, ſicut merita procurat, quæ compenſet beatitudine, ita peccata procurare debet, quæ damnatione puniat. Ex quo fit, vt Deus peccatorùm omnium, ſiue quæ condonet, pro ſua ſingulari miſericordia, ſiue iuſtiſſima vltionis animaduerſione plectat, auctor habendus ſit; quod vel cogitare quàm flagitioſum ſit, nihil eſt quod dicam. Is porrò præcipuus fuit error Prædeſtinatianorum, de quibus non vacat fuſiùs diſputare.

Vt autem familiare eſt hæreticis omnibus, ſi quid dicant alienum, vel mollire interdum dictione, vel perplexis ambiguíſque ſententiis efferre, vt mitiorem in ſenſum accipi queat, cùm opus ſit, id artificij non fuit prætermiſſum à Caluino homine mirum in modum ſagaci, ac fraudulento, qui certis in locis hominum reprobationem præſcientiæ peccati originalis aliquando ſubiecerit. Placet illius ſenſa, doctrinámque, ſuper inſtituta quæſtione vniuerſam penitùs explorare; quò palàm fiat, quid velit.

Lib. 3. Inſtit. cap. 21. §. 5. prædeſtinationem præſcientia priorem eſſe ſtatuit, quam vocat *æternum Dei decretum, quo apud ſe conſtitutum habuit, quid de vnoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, ſed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque conditus, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædeſtinatum dicimus.* Et cap. 22. §. 11. *Vt Iacob nihildum bonis operibus promeritus aſſumitur in gratiam, ſic Eſau nullo adhuc ſcelere inquinatus odio habetur..... ſi non poſſumus rationem aſſignare, cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam ita illi placet: neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm eius voluntatem. Cùm enim dicitur Deus, vel*

Digitized by Google

indurare, vel miſericordia proſequi, quem voluerit, eo admonentur homines nihil cauſæ quærere extra eius voluntatem. Eodem verò lib. c. 2. §. 11. fatetur, *reprobos fide caducâ ad tempus donari,* eámque fidem vocat, *inferiorem ſpiritus operationem. viua autem fidei radice ſolos electos dignatur, vt in finem vſque perſeuerent.* §. 12. vocat eos *temporarios in quibus diuini amoris ſenſus euaneſcit.* Tum in lib. de ætern. Dei prædeſt. ita præfatur pag. 693. *Auguſtinus ipſe adeò totus noſter eſt, vt ſi mihi confeſſio ſcribenda ſit, ex eius ſcriptis contextam proferre abundè mihi ſufficiat.* Illud eſt tamen, in quo Ianſeniani ducem, magiſtrúmque ſuum Cornelium tantopere commendant, quòd, perinde ac Caluinus, Auguſtinum ſuum eſſe prædicaret. Tum deinde quod in Inſtit. docuerat, ibid. repetit pag. 701. naturam ſtatuit iam peccato vitiatam, & nugari eos contendit, qui aiunt *aptari nonnullos malitia,* cùm velit *luere maiorum peccata poſteros.* Quos ideò reos exiſtimat, quòd vt in naturæ, ita & criminis parentum ſuorum ſocietatem veniant, vnde à Paulo *filij iræ* appellantur, & ſibi ſuóque ingenio relicti, ipſo ætatis decurſu tanquam ad interitum ruant voluntarium, nihilque præter perniciem ſuam promoueant.

Quod verò ſentiebat Caluinus ſe vocandum aliquando in criminationem impietatis illius, quâ Deum peccati faciebat auctorem, illud enimuerò pro ſua parte longè amoliri à ſe conatur pag. 711. vbi hæc habet: *Deus in ordinando hominis lapſu, finem habuit optimum, & rectiſſimum, à quo abhorret peccati nomen. Quamquam ſic ordinaſſe dico, vt eum propriè auctorem fuiſſe non concedam.* Mox addit: *nec mortis Deum auctorem eſſe,* & ſanctè teſtatur *commentum iſtud, quo opus Dei apoſtaſia hominis dicitur, nunquam ſibi veniſſe in mentem.* Nihilominus pag. 726. fatetur, *non minùs voluntatem hominum, quàm externa opera Dei arbitrio regi. Obduratum ab eo cor Pharaonis dicit Moſes, fruſtra hîc ad permiſſionem confugitur; quaſi Deus feciſſe dicatur, quod fieri tantùm paſſus eſt: clarè enim, duritiem illam Dei opus fuiſſe, Moſes affirmat. Nec ſanè alio ſenſu hîc Dei conſilio adſcribitur Pharaonis ſæuitia, quàm alibi gratiam dare populo ſuo dicitur in oculis Ægyptiorum.* In reſponſ. verò ad lib. 2. Pigh. de lib. arb. pag. 144. verba faciens de male-

maleficiis. *Neque*, inquit, *ſic neceſſariò peccare dicimus impios, quin voluntaria, deliberatáque malitia peccent. neceſsitas inde eſt, quòd opus ſuum, per eos Deus exequitur, quod certum eſt, ac ſtabile.* Fatetúrque huc eos *à Deo agi, & ferri, nempe in eum modum, vt in eo opere alia ſit Dei, alia ipſorum actio;* vnde negat Deum eſſè peccatorum auctorem. Sícque verbo tenùs, videtur retractare quod lib. 1. Inſt. cap. 18. §. 1. dixerat, *nugari eos, & ineptire, qui in locum prouidentiæ Dei nudam permiſsionem ſubſtituunt.* §. 3. *Iam ſatis apertè oſtendi Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ iſti cenſores volunt otioſo tantùm eius permiſſu contingere.* Deinde verò lib. 2. cap. 4. §. 2. *Omitto hîc vniuerſalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes vt ſuſtinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt. de illa ſpeciali actione tantùm loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet; Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini aſsignari videmus: ſed varietas in fide, & modo facit, vt illic inculpata Dei iuſtitia reluceat, Satanæ, hominíſque nequitia cum ſuo opprobrio ſe prodat.* Poſtremò §. 3. vbi mentio eſt de reprobis excæcatis, & induratis, dicit *eorum corda verti, inclinari, impelli; Id quale ſit*, inquit, *nequaquam explicari, ſi confugitur ad præſcientiam, aut permiſsionem. Sed quia perditos Deus eos vult, obſtinatio cordis diuina eſt ad ruinam præparatio. nam ſi ad peccatum roborantur, & vertuntur, deſtinatò inflectuntur ad ipſum.* Hæc fuit Caluini circa totum illud reprobationis negotium doctrina, de quâ quid hauſerit noſter Iprenſis, quàm turbulento illo fonte, ſe, Auguſtinúmque ſuum contaminauerit, nobis porrò eſt videndum.

ARTICVLVS II.

Quid de reprobatione ſentiat Ianſenius?

TAMETSI ſe Caluino paullò magis quàm Catholicum decebat, applicuerit Cornelius, eiúſque dicendi, docendíque rationem, atque inſtitutum multis in dogmatibus ſuis amplexus ſit; remiſit tamen neſcio quid de illâ, quam primis vitæ ſuæ temporibus ferebat præ ſe Caluinus animi duritate, atque inclementia; fortaſſe vt ſe etiam ad Calui-

Digitized by Google

num affectâ iam ætate, vt patet ab eius operibus, moderatiorem accommodaret. Atque imprimis rem ab eo orditur, quòd vllam fuiſſe vnquam Prædeſtinatianorum hæreſim funditùs neget. Quâ verò auctoritate id faciat, aut quâ impudentiâ ſuperiorum omnium ætatum fidem, & conſcientiam euertere, ac labefactare velit, non quæro.

Sed non poſſum hîc diſſimulare, quàm Luthero, Caluino, cæteríſque poſteriorum ætatum nouatoribus æquum ſe præbeat, ac fauorabilem. Nam ſi nulla fuerit vnquam, vt tu contendis Corneli, circa prædeſtinationem, hæreſis, cauſam ſuam apud te, in ea parte, obtinebunt Lutheri, & Caluini ſectatores; ipſéque & Lutherus, & Caluinus ab omnibus Doctoribus Catholicis ſuper ea re vexabuntur immerentes, atque à Tridentino erroris, iniuriâ, notabuntur. Feciſti fortaſſe imprudens, cùm lib. 8. de hæreſ. Pelag. c. 23. dicebas exiſtimare te, *nunquam in rerum natura fuiſſe hæreſim Prædeſtinatianam, vel hæreticos Prædeſtinatianos: Sed è contrario doctrinam Catholicam, quam Auguſtinus, & Proſper docuerunt, ſub nomine iſtius hæreſis calumnioſè à Maſſilienſibus traductam eſſe.* tum paullò pôſt concludis, *Prædeſtinatianos nullos fuiſſe niſi catholicos, & Auguſtinianæ doctrinæ ſectatores.*

At dum talem nobis cudis doctrinam, atque hac oratione tua Prædeſtinatianos omnes abſoluis, quàm bellè Caluinianæ factionis negotium promoues. Iam dubium erit Corneli, an tu Caluino, vel tibi Caluinus plus debeat, quem hæreſis Prædeſtinatianæ ab omnibus paſſim ſcriptoribus Catholicis notatum, damnatúmque, ab illa ſuſpicione ſic liberes, eúmque Auguſtini ſectatorem, & proinde tanquam vnum è partibus tuis tuam in fidem, ac clientelam recipias?

Profitetur quidem Ianſenius lib. 9. & 10. de grat. Chriſti, cum omnibus rectè ſentientibus, nullam hominum prædeſtinationem, aut reprobationem in Deo poſſe intelligi, niſi poſt præuiſam totius generis in ipſo ortu corruptionem, quam vnam interitus reproborum omnium cauſam ſic eſſe vult, vt complures etiam per baptiſmum expiatos, propter vnam illam originis labem doceat reprobari, deſtinaríque ad pœnam æternam, cùm damni (vt aiunt) tum ſenſus, tametſi nolit id damnationis genus ad omnes pertinere pœnas ſenſus,

Digitized by Google

quæ flagitioſis quibuſlibet, & diuinæ legis violatoribus apud inferos irrogari ſolent.

Atque imprimis lib. 10. cap. 2. & 3. reprobationem reiicit eam, quam per negationem fieri bene inſtituti omnes docent; ſed ita rem ſtatuit, vt quo ſigno deſtinatus ad gloriam præ reliquis intelligitur, eodem reprobus, deliberato, poſitiuóque actu, ſic enim loquitur ſchola, reiici cenſeatur. *Nam quod ſcholaſtici plerique putant Deum poſt hominum lapſum habere adhuc voluntatem ſaluandi omnes omnino, nemine excepto, & ex illa voluntate omnibus etiam reprobis ſufficientem non ſolùm redemptionem, ſed etiam gratiam præparaſſe, ab Auguſtini doctrina prorsùs diſſentaneum eſſe* capite tertio diſputat.

Cùm autem teſtimoniorum ab Auguſtino petitorum commemorationem faciat bene longam, quibus puerorum infantium damnationem ſoli peccato originali tribuendam demonſtret, idémque ipſis adultis vel cauſam eſſe velit, vel occaſionem, cur reprobentur, ob impreſſa ab eo in animo cupiditatis, & ignorantiæ vulnera, quæ cæterorum deinde peccatorum fomites ſint, quod eſt conſequens eodem in contextu capitis tertij, addit de ſuo, *Diuinum Eſau*, quem reproborum typum eſſe vult, *odium non poſſe niſi propter iniquitatem peccati originalis intelligi.* quo vel vno ſatis declarat, ſolum peccatum originale, primariam eſſe, eámque vnicam cauſam, cur Deus & oderit reprobos omnes per Eſau ſignificatos, & eos pœnis deuoueat ſempiternis. Sic enim non ita multo pòſt ſubdit, *non aliam agnoſcere ſanctum Auguſtinum reprobationis cauſam, niſi maſſæ perditæ meritum ſeu peccatum originale, & hoc eſſe non tantùm negatiuæ reprobationis, ſeu non prædeſtinationis, ſed etiam poſitiuæ ... ſiue iſte paruulus, ſiue adultus fuerit.*

Itáne verò res habet, vt dicis Corneli? vide tute ipſe quò rem deducas? nam quis credat perfidum illum Iudam, cuius opera Chriſtus traditus eſt, propter vnum duntaxat peccatum originale, nondum præuiſis conſequentibus deinceps ab eo peccatis, à Deo *poſitiuè* eſſe reprobatum? Aut cui demum perſuadere poteris eundem ita porrò ad pœnam eſſe deſtinatum, vt peccatorum eius omnium permiſſio, duritas

cordis, cæcitas animi, omnis præſidij ac tutelæ deſtitutio, ipſa denique quæ toto vitæ decurſu admiſit in ſeſe flagitia, auctore, præcipuóque inductore Deo, tanquam media quibus ad mortem æternam peruenit, decreta ſint; quod ſatis explicatè doces lib. 10. cap. 5. neque id quidem pari cum Angelis reprobis ratione, vel qualis facta eſt peccati Adami, cæterorúmque in Adamo lapſorum permiſſio, *ſi Deus nullum hominum ex iſto lapſu & peccati transfuſione maculatum redimere ſtatuiſſet.* Hæc enim, inquis, eorum reprobatio haberet ſe tantummodò per modum negationis, ſiue, vt ipſe ais, *effectus generalis tantummodò prouidentiæ, quæ prædeſtinationis, & reprobationis decreta præceſſit.*

Proinde ſi credimus Ianſenio, cùm Deus ſola peccati originalis præuiſione proditorem Iudam deſtinat ad pœnam, animo longè inclementiori eum damnat, quàm Luciferum, vſque illius decreti reprobantis circa nefariam eiuſdem Iudæ proditionem longè alia ratione ſe habuit, quàm circa principis illius Angeli peccatum. Is enim periit deſertus à Deo, ille in præceps impulſus, Angelum periclitantem non iuuit, quod eſt animi non amici; Iudam reprobum certiſſimum induxit in exitium, perdidítque, quod maleuoli. Nam quemadmodum cùm Petrum deſtinat ad gloriam, ea curat, quibus illò peruenire poſſit, vocationem, iuſtificationem, glorificationem; ſic cùm reprobat Iudam, ex Aduerſarij ſententiâ, cùm in vtroque eodem modo ſe gerat, eius proditionem, obſtinatam in peccato, obfirmatámque indurati animi peruicaciam, interitúmque voluntarium decernit.

Quis autem putet mentem Aduerſario fuiſſe ita ſiniſtram, id vt velit? At nullum dubitationi locum relinquunt, quæ lib. 9. de gratia Chriſti cap. 3. habentur voces illæ, *verè, & propriè, & non minùs æternam damnationem prædeſtinari malis, atque bonis beatitudinem.* Cùm enim Deus poſt præuiſum peccatum originale Petrum ad gloriam deſtinat, omnia demum ita moderatur, ac eius merita primùm tanquam media per quæ, & propter quæ, gloriam eius præparat, tum cætera deinde, quæ eòdem pertineant, diſponit; ſic cùm Iudam reprobat, æquè *verè, propriè, ſimpliciter*, hæc ſunt enim Cornelij verba, *& non minùs prædeſtinat* eum *ad damnatio-*

Digitized by Google

nem, omniáque proinde damnationis illius media, cæcitatem animi, cordis duritatem, tentationum vim acerrimam, ipsáque adeò peccata decernit. Quibus demùm ita fauet Caluinianis Ianſenius, vt haud ſcio, an duce ſuo Caluino vti poſſint æquiore, cùm quam habet de reprobatione doctrinam aliquando molliorem longè fecerit, & temperatiorem.

Neque tamen ille propterea exiſtimat fore, vt id obſit, quominùs aut reprobus propter ſua delicta damnetur, aut quæ datur prædeſtinato gloria, non propter merita detur. Nam quemadmodum lib. 10. cap. 6. docet Ianſenius, *id quod abſoluta voluntate iuxta viam intentionis decretum eſt, non tamen niſi per præceptorum obſeruationis meritum iuxta viam executionis conferendum eſt.* Ex quo loco ſi res ita ferret, ſic diſputarem. Cùm ex Aduerſarij doctrina Iudæ reprobatio poſitiua ante omnem criminum eius actualium præſcientiam ſit *tam verè, propriè, & ſimpliciter prædeſtinatio ad damnationem*, quàm Petri ad gloriam, conſequenter dicendum eſt Deum præuiſo ſolo peccato originali Iudæ *abſoluta & efficaci* (vt ibidem loquitur) *voluntate* velle eiuſdem damnationem, & eam operari; cùm eodem Ianſenio auctore Deus nihil prædeſtinet, niſi quod operaturt, & vt habet lib. 9. de grat. Chriſt. cap. 2. *Reciproca ſint prædeſtinatio & opus Dei, quia quidquid Deus prædeſtinat ab æterno, hoc in tempore facit: & vice verſa quidquid in tempore facit, hoc ab æterno prædeſtinauit vt faceret.* Nam qui ſibi quippiam proponit faciendum, is, ſi non temere agat, ea media, quæ fini obtinendo idonea ſint, non modò paret, ſed illa velit etiam, ea planè ratione qua vult finem ipſum, neceſſe eſt, quæ proinde eligere, procurare debeat, & vt loquar accommodatè ad Aduerſarij mentem, præparare. Ex quo ſequitur Deum, cùm Iudæ damnationem certam vult, eámque ſibi proponit, eodem propoſito peccata ipſa, propter quæ eum damnaturus eſt, tanquam media decernere, eligere, ac procurare.

Quod cùm ita ſit, fugere non poteſt Aduerſarius, quin Deum peccati faciat auctorem, cùm vi decreti illius, quod pertinet ad damnationem, peccatum ipſum decernat. Ip-

Digitized by Google

ſius mentem ex lib. 9. de grat. Chriſt. c. 22. expreſſam habemus in hanc ſententiam. *Quantùm ad effectus, qui liberam indifferentis voluntatis conſenſionem prærequirunt, Deum illos non rarò efficaciter intendere, antequàm abſolutè illam voluntatis inclinationem futuram videat, inde patet, quia Deus aliquando efficaciter punire decernit homines malos illâ pœnâ, quæ ſine libera eorum voluntate adimpleri nequit. Præcedit igitur decretum Dei ante liberam eorum voluntatem præuiſam, vt pote per quod fiat, vt iſta in homine oriatur, & abſolutè oritura præuideatur.* Rem firmat exemplo petito ab ſtolida, ac ſuperba Roboami voluntate, qua prudentum conſilia tanquam ſibi minùs accommodata reiiciebat. Vnde apparet quid velit, cùm Deus (vt fert ipſa capitis illius inſcriptio) *ante præſcientiam abſolutam conſenſus voluntatis*, ſiue ante præuiſam Iudæ traditionem, eius pœnam efficaciter intendit, adeóque ipſam traditionem decernit decreto antecedente liberam conſenſionem eius voluntatis, vnde vi decreti illius perfectum eſt, vt in Iuda exiſteret illa proditio, quam proinde Deus certò præuidit.

Addit autem Deum *efficaciter ſubinde velle præcedentia vindicare peccata, quando videlicet menſura impleta fuerit; illámque peccatorum vindictam, tanquam finem efficaciter intendere, & ex hac Dei punientis efficaci voluntate applicare media, quibus actus liber fiat, quo ad conſtitutam vindictam perueniat.* Quis autem neſciat actum quo peruenitur ad vindictam tanquam ad finem, eſſe peccatum? Actus igitur malus à Deo ſuſcitatur, decernitúrque *ante præſcientiam abſolutam conſenſus voluntatis*, & vi illius decreti inclinatio Iudæ in malum determinatè futura eſt, quia, vt profitetur Aduerſarius, *efficaciſſima voluntatis diuinæ intentio radix eſt totius futuritionis effectuum liberæ voluntatis humanæ, ipſáque intentionis efficacia, eius eſt primus fons abſolutæ futuritionis eorum.* Nec verò cùm loquitur de actu hominis libero, quo ad præmium, aut vindictam peruenitur, quicquam ponit in vtroque diſcriminis, quod magnopere obſeruatum velim. Non video quid dici poſſit, quod Caluino magis placere debeat; cùm ipſe, quod magis in rem ſuam ſit, vix deſiderare queat.

Digitized by Google

Quamobrem, opinor, tota in hac de reprobatione quæſtione, ac doctrinâ, tam diligenter abſtinuit Ianſenius à mentione Caluini. Nam ſi pro more, inſtitutóque Catholicorum Doctorum agere inſtituiſſet, non peperciſſet Caluino, immò eius doctrinam criminari primùm, tum labefactare pro facultate ſua conatus eſſet, vt ſuam demùm ſtabiliret, neque profectò vnquam animum induxiſſet ſuum, vt vſurpatis à Caluino Auguſtini teſtimoniis, & iuxta illius ſenſum, ſententiámque acceptis in ſuam rem tam malitiosè abuteretur. Certè non is fuit qui ignoraret Caluinum eo præſertim in loco apud Catholicos malè audire. Neque profectò poterit vnquam effugere, quin præuaricator habeatur, qui in ea parte, in qua ſe tantopere abhorrere à Caluino Catholici omnes profitentur, ipſe aduerſarium vel diſſimulet, vel nolit. Certè ſi quo pacto eſſet Auguſtini ſtudioſus Ianſenius, illum à Caluini calumniis hoc in loco vindicare pro ſe contenderet. Nam quid, quæſo, fert præ ſe aliud tanta lenitas, niſi ſumma in vtroque doctrinæ, ſuper ea re, conſenſio?

ARTICVLVS III.

Ianſenij & Caluini confutatio.

SI præterea multus ſim in refutanda Ianſenij de reprobatione, doctrina, parùm credo, videbor intelligens, poſtquam eam demonſtraui eſſe Caluinianam. nam quotuſquiſque eſt, ſi modò fuerit catholica diſciplina bene inſtitutus, qui non toto animo perhorreſcat, cùm crudeles, & impias iactari à Caluino audit interdum has voces, Deum peræquè homines deſtinare ad pœnam, atque deſtinat ad gloriam? quam ducis ſui execrandam duritatem cùm ferre non poſſent Caluiniani, mirum quàm ſe torſerint, vt eam mollirent. Deſertum à ſuis Caluinum fortaſſe miſertus Ianſenius, ei ſe dedit. Vtvt ſit non magnopere mihi laborandum erit in vindicando ab Caluini calumniis Auguſtino. Cùm enim huius auctoritate, atque patrocinio tueri ſe Caluinus ſemper ſtuduerit, & Auguſtiniani nomen ambitiosè

Digitized by Google

ſibi ſemper arrogarit; rei indignitatem non ferentes Doctores Catholici, operam ſedulò dederant, vt ſpecioſam hanc ei laruam detraherent, & veram, ac germanam tanti Doctoris mentem exponerent; quod cùm fusè, copioſéque ab iis non ſemel factum ſit, hanc curam omittam, vt pro operis huius inſtituto hanc doctrinæ Catholicæ partem, vt cæteras ſuprà diſputatas; Aquinatis noſtri ſuffragio communiam. Is enim hanc de reprobatione doctrinam tantis impeditam difficultatibus, tot tenebris implicatam, omnium feliciſſimè, quantùm mortali homini fas eſſe potuit, videtur explicuiſſe.

Ac primùm quod Aduerſarius prædeſtinationem ad malum pœnæ, ſeu reprobationem tam *verè, propriè, & ſimpliciter dictam prædeſtinationem vocet*, refutatur à D. Thoma, qui nuſquam eam appellat prædeſtinationem, vt patet ſatis ex iis locis, in quibus de ea agit, vt in 2. 2. q. 174. art. 1. in corp. *Prophetia* (inquit) *prædeſtinationis eſt bonorum tantùm*, q. 6. de verit. art. 1. quod in arg. 10. dicitur: *prædeſtinationem eſſe de bonis ſalutaribus tantùm*; ait, *mala in Deo nihil aliud reſpondens habere, quàm præſcientiam*: huícque conſentiunt omnes Catholici, qui reprobos *præſcitos* appellant, nunquam *prædeſtinatos*. Non eſt igitur audiendus Ianſenius, qui *ſimpliciter, non minùs verè, & propriè* prædeſtinatos appellat reprobos, quàm electos.

Deinde reprobationem non aliter definit D. Thomas, quàm quod ſit diuina permiſſio damnationis reproborum. 1. p. q. 23. art. 3. *Deum permittere aliquos ab iſto* (vitæ æternæ) *fine deficere, hoc dicitur*, inquit, *reprobare*; & cùm reprobationem velit eſſe partem prouidentiæ diuinæ, non aliam ob cauſam ait Deum poſſe reprobare homines, quàm *quia ad prouidentiam pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quæ prouidentiæ ſubduntur*. Fatetur autem eodem loci *reprobationem præter præſcientiam includere voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa*. Verùm nunquam reperias S. Doctorem, eam Dei, qua reprobat, voluntatem appellare intentionem pœnæ, quemadmodum eam ſolitus eſt appellare Ianſenius, imò planè id negat in 1. diſt. 40. q. 4. a. 1. *Quia bonum ſubiacet*

proui-

Digitized by Google

prouidentiæ, vt cauſatum, & ordinatum, ideo dicitur quòd prædeſtinatio eſt cauſa gratiæ, & gloriæ ad quam ordinatur; ſed quia malum non ſubiacet prouidentiæ vt intentum, vel cauſatum, ſed ſolùm vt præſcitùm, & ordinatum, ideò reprobatio eſt tantùm præſcientia culpæ, & non cauſa, ſed pœnæ, per quam culpa ordinatur, eſt præſcientia, & cauſa. Neque ſi dicas, quod cauſatum eſt à Deo, id eſſe ab eo intentum, proba erit oratio. Id enim apud D. Thomam prorſus abhorret à vero, vt vnicuique explorare promptum eſt.

Neque verò quiſquam fuerit qui neſciat, ſi modò pluſculùm D. Thomæ aſſueuerit, eum nullam hominis reprobationem admittere, niſi poſt peccati originalis præceptam animo cognitionem. Nam q. 6. de verit. art. 2. ad 9. electionis rationem ait eſſe diuinam bonitatem, *reprobationis autem in hominibus eſſe peccatum originale*, quod & fatetur Ianſenius, & ratio ipſa hoc vincit, nec profectò reprobatio aliquorum intelligi poteſt, niſi intellectâ quorumdam, præ aliis electione, quæ quidem electio eſt ex Chriſti meritis, & gratuita ex maſſa perditionis liberatio. At eiuſmodi reprobatio, nec per ſe intenditur à Deo, nec quicquam quod in ea continetur. Tria ſunt enim quæ D. Thomas in 1. p. q. 23. art. 3. ad 2. in reprobatione contineri docet, permiſſionem culpæ, derelictionem à Deo, & retributionem pœnæ, fatetúrque tertium, & ſecundum cauſari à Deo, non verò primum. Neque enim deſeritur à Deo peccator, niſi in eo ipſo peccato, quod per ſeſe, liberúmque ſuum arbitrium contraxerit. Derelictio enim illa eſt quædam gratiæ deſtitutio. Tum & illa diſt. 40. q. 4. art. 2. habetur; *Reprobum carere gratia ex duobus contingit, tum quia ipſe non vult recipere; tum quia Deus non vult illi infundere: at ſecundum non eſt, niſi ex ſuppoſitione primi. Cùm enim Deus non velit niſi bonum, non vult iſtum carere gratia, niſi ſecundùm quod bonum eſt, ſed quòd iſte careat gratia, non eſt bonum ſimpliciter, vnde hoc abſolutè conſideratum, non eſt volitum à Deo. Eſt tamen bonum, vt careat gratia, ſi eam habere non vult, vel ſi ad eam habendam negligenter ſe præparat, quia iuſtum eſt, & hoc modo volitum à Deo.*

Si verò iſta derelictio, ſeu gratiæ, opiſque diuinæ deſti-

Digitized by Google

tutio, & inflictio pœnæ, non eſt bonum preſsè, ac ſimpliciter; ſi Deus eam abſolutè velle minimè poteſt ſed tantùm poſita culpa, tanquam conditione, quam Deus non facit, ſed permittit: quam in partem ſumi poteſt illud Aduerſarij dictum, *malum pœnæ ſimpliciter eſſe prædeſtinatum à Deo, & reprobationis decretum eſſe abſolutum?* Quomodo Deus decreto antecedente omnem conſenſum liberum, ipſámque adeò reprobi ipſius culpam, eiuſdem culpæ & peccati *vindictam tanquam finem efficaciter intendit*, & vi huius *voluntatis applicat media*, quibus fiat actus liber malus, quo ad conſtitutam vindictam peruenitur; aut quomodo cùm D. Thoma conſentiunt ea, quæ ſunt à me ſuperiùs ex Ianſenio commemorata?

Neque ſatis intelligo quid ille habeat, quod ad Tridentinum reſpondere poſſit. ſeſſ. 6. can. 6. dicit anathema ei, qui dixerit, *non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita, vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeo vt ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.* Certè Concilium loquitur de eo quod fit poſito peccato originali. Atque vt omittam, quod vult Concilium eſſe in hominis poteſtate vias ſuas malas facere, planè opponi doctrinæ Ianſenianæ de impotentiſſimo, ſuperbiſſimóque concupiſcentiæ dominatu, cui peccator ita ſeruit, vt non peccare non poſſit, quod à nobis ſuperiùs fuit examinatum: at quæ verba conſequuntur, perimunt Aduerſarium. Damnat enim Concilium, qui dixerit Deum non *permiſſiuè* ſolùm, ſed etiam *propriè & per ſe* opera mala operari. Quod ſi ita ſit, quid deinde de Ianſenio futurum eſt, qui tribuit Deo decretum puniendi, & decretum illud per quod fit, vt & opus malum, & mala voluntas oriatur? Quod, qui ad permiſſionem ſolùm pertinere dicat, non ad ipſam operationem, hallucinatur. Cùm enim Deus tanquam finem intendit, & proponit efficaciter vltionem, hac efficaci voluntate adhibet media ad illam idonea; adeóque *propriè & per ſe* eadem operatur. Quæ porrò media magis ad vindictam iuſtè infligendam conducere queant, quàm iniuſta hominis opera, ſine quibus Dei vindictam non poſſe eſſe iuſtam con-

Digitized by Google

tendit Auguſtinus? Nam mali actus, quem vindicta conſequatur, tam Deus auctor habetur apud Ianſenium, quàm boni, cui præmium debeatur, & vterque actus proprium eſt opus Dei, quandoquidem, vt ipſe ait, *efficaciſſima voluntatis diuinæ intentio radix eſt, & fons*, non quoad partem aliquam, *ſed totius futuritionis*, ac proinde *effectuum liberæ voluntatis humanæ.* Nam ridiculus ſit, qui neget Deum auctorem verè & propriè eſſe operis illius, cuius *efficaciſſima ſua intentione fons, & radix eſt.* Neque verò Iudæ nefarium ſcelus minùs eſt opus Dei proprium, quàm Pauli vocatio, ſi quidem vtrumque efficaciſſima voluntate ex æquo ſibi proponat. Neque enim video, quid maioris efficientiæ ſit in vno, quàm in altero, cùm vtriuſque peræquè fons & *radix efficaciſſima voluntate ſua* ſit.

Nihil quidem operatur Deus, niſi id quod vult, *omnia* enim, vt habet Propheta, *quæcumque voluit, fecit.* Si verò malum hominis opus æquè vult, ac bonum, vtrumque pari modo facit, ac operatur. Cùm verò nihil magis velit, quàm quod abſolutè, & efficaciſſimè vult, tam vult opus malum quàm bonum, ſi hoc & illud abſolutè, & efficaciter, atque adeò *efficaciſſima ſuæ voluntatis intentione* velit. Quæ Ianſenij germana eſt ac ſincera doctrina, vt ex cap. 22. lib. 9. de grat. Chriſt. declaratum eſt, cùm abſque vllâ differentiâ omnes actus liberos voluntatis humanæ complectitur, quos vel pœna, vel præmium conſequatur.

Neque exiſtimo prætermittendum hunc Concilij Arauſicani II. can. 25. ad rem noſtram ſatis accommodatum, cuius ſunt hæc verba, *Aliquos ad malum diuinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Quibus quàm apertè Prædeſtinatianorum hæreſim notet, notatámque damnet Concilium, nemo non ſentit. Neque hîc diſputo vtrum aliqua eiuſmodi hæréſis iam tunc extiterit, cùm ſynodus dicat, *ſi qui ſunt*, vt in rebus dubiis fieri ſolet. Id vnum vrgeo. Malum illud, vel eſt pœnæ, vel culpæ, vel vtrumque; ſi vtrumque ſumatur; num ſatis manifeſtè tenetur reus Iprenſis noſter,

Digitized by Google

qui *verè, propriè, & ſimpliciter dictam ad malum pœnæ prædeſtinationem* aſſerit? Non ignoro prædeſtinationem ad malum à diſcipulis Auguſtini aliquam interdum fuiſſe vſurpatam. Sed quam in partem, fuit à me ſuperiùs obſeruatum. At pro meo iure mihi videor affirmare poſſe, neminem vnquam Catholicum reprobos ad mortem æternam *diuina poteſtate prædeſtinatos*, dixiſſe. Quòd autem malum pœnæ eo loci ſynodus intellexerit, facit veriſimile, quòd Patres illos latere minimè potuit, prædeſtinationem aliquam ad malum illud fuiſſe appellatam; quamobrem ſi eam noluerunt ſuo decreto complecti, haud dubiè non ſatis cautè videntur locuti fuiſſe.

Verùm eos de ſolo culpæ malo locutos eſſe concedatur. Quid, quæſo, *poteſtas diuina*, ſit aliud quàm eius *efficaciſſima voluntas*, aut quid aliud eſt, diuina poteſtate prædeſtinari ad malum culpæ, quàm per decretum Dei punire ſtatuentis fieri, *vt culpa illa in homine oriatur, & abſolutè oritura præuideatur?* Nam cùm pœna ſiue culpa iuſta eſſe non poſſit, num deſtinatur ad culpam à Deo, vindictam tanquam finem efficaciter intendente, qui ad pœnam deſignatur, cùm niſi per illam ad hanc non perueniatur, quemadmodum ſine mediis ad finem obtinendum idoneis, finis ipſe teneri non poteſt?

CAPVT XVI.

De voluntate Dei circa hominum vniuerſorum ſalutem.

ARTICVLVS I.

Quæ ſit ſuper ea re Caluini ſententia?

TAMETSI longiùs, ac ſperabam, diſputandi ſtudium me abduxerit, in quæſtione tamen omnium, quæ iactantur id temporis longè grauiſſimâ tractandâ peccem, ſi breuis negligénſque ſim. Atque, vt nihil mihi præteriri ſinam eorum quæ ad rei intelligentiam quoquo modo pertinere

Digitized by Google

queant; vnum eſt quod ab ipſo quæſtionis exordio moneri nos oporteat, Deum ſaluos homines velle vniuerſos, & Chriſtum pro omnibus mortem oppetiiſſe, controuerſiam eſſe non vnam, cùm inter vtramque quippiam diſcriminis ſit. Certum tamen eſt Caluinum exiſtimare Deum non velle omnes homines ſaluos fieri, ſed ſolos electos, nec niſi pro iis Chriſtum mortuum.

Atque imprimis quæſtionem proponit ad ingenium ſuum omnino accommodatè, fraudulenter, ac malignè. *An Dominus æterno ſuo conſilio communem omnibus ſalutem deſtinarit?* Ita lib. de æterna Dei prædeſt. pag. 705. *Cum ſpeciali* (inquit) *electione congruere non videtur, quòd Chriſtus totius mundi redemptor, omnibus promiſcuè Euangelium prædicari iuſſit*, & gratiam quæ pertineat ad vniuerſos, eodem in loco vocat *vniuerſalem*, quam repudiat. Et pag. 706. & 707. tractans locum illum Paul. 1. Timot. cap. 2. vbi Deus omnes homines ſaluos fieri velle dicitur, ait *agitatum olim à Pelagianis fuiſſe locum iſtum*, & negat inde haberi *ſtatutam æqualiter omnibus ſalutem fuiſſe*. Contendit enim *ordinum* hîc fieri mentionem, *potiùs, quàm ſingulorum hominum, nec ſingulos generum, ſed genera ſingulorum notari*. Et pag. 719. ridet *communem* hanc ſolutionem, *Chriſtum ſufficienter pro omnibus paſſum eſſe, efficaciter pro electis*. & iſtam: *Deum velle quantùm in ſe eſt omnium ſalutem, quia ſalus libero cuiuſque arbitrio eſt expoſita*. At ne plura, quàm res ferat, hîc congeram: perſpectum eſt apud Caluinum, nulli niſi electo, vel gratiam Chriſti, vel veram fidem donari, quamquam lib. 3. Inſt. cap. 2. §. 11. rem paullò temperat, cùm *fidem* quandam *temporalem* reprobis à Chriſto datam concedit, vt *eos magis conuictos, & inexcuſabiles reddat*, eandem *fidem caducam, ad tempus donatam* appellat, ſed negat adoptionis gratiam vllam illis reprobis donari, & eodem lib. 3. cap. 24. §. 16. *dicto illo* Pauli ad Tim. *aliud nihil ſignificari* contendit, quàm Deum *nulli hominum ordini viam ad ſalutem præcluſiſſe*, quin potiùs miſericordiam ſuam ſic effudiſſe, vt nullum eius expertem eſſe velit, ac demum clarè apparere, non de ſingulis hominibus, ſed de hominum ordinibus illic agi.

In ſynodo Dordracena Paræus ſeſſ. 99. ad art. 2. Remon-

Digitized by Google

ſtrant. vult Chriſtum propriè mortuum eſſe pro omnibus, & ſolis fidelibus. & pag. 323. ſolos electos verè fideles eſſe ait, alios verò hypocritas eſſe προσκαίρους temporarios, quia non perſeuerant, inquit, quos ὁμωνύμως tantùm fidem habere vult, cùm præter fidei nomen cum fidelibus nihil habeant commune. & ſeſſ. 136. ad art. 8. in cap. 2. Doctr. Chriſtum pro ſolis electis mortuum eſſe affirmat. ibid. ſeſſ. 143. pag. 403. Molinæus malitioſè quæſtionem ita proponit, vt non diſputet an Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, ſed vtrum ille morte ſua omnibus, & ſingulis reconciliationem cum Patre, & peccatorum remiſſionem impetrauerit; & vtrum Pilatum, & Iudam æquè amauerit, ac Ioannem. liquet enim id inter Catholicos minimè diſputari. pag. 595. quæritur, an Deus ſecundùm beneplacitum ſuum ſeriò velit omnes ſaluos fieri. & id affirmari à Remonſtrantibus ſeu Arminianis dicitur; negari verò à Gommariſtis, ſeu Caluinianis, qui fatebantur Remonſtrantes in eo cum Papiſtis, ſic enim Catholicos vocabant, conſentire.

Eamobrem Caluiniani, vt iis repugnare ſe profiteantur, ibidem maxima conſenſione docent Chriſtum pro ſolis electis eſſe mortuum. Ita Palatini pag. 610. & ſequentibus, Heluetij pag. 625. Naſſouij pag. 630. Geneuenſes pag. 635. 638. Embdenſes pag. 658. & poſt acta Prouinciales ita docent pag. 18. & pag. 24. Deum non decreuiſſe omnibus hominibus dare gratiam ſufficientem, cuius beneficio ſalui eſſe poſſint. Pluribus ſuperſedeo, quæ in pag. 156. 161. 162. legi poſſunt, nam quod ita familiare eſt, ac peruagatum apud nouatores, iiſque non ignotum, qui in eorum lectione aliquando verſati ſunt, fuſiùs oſtendere, videtur planè ſuperuacaneum.

ARTICVLVS II.

Quæ ſententia Ianſenij?

HOMINEM qui ſe totum hac in parte Caluino, non modò dediderit, ſed etiam qui illius diſputandi ſuper ea re rationem inſtitutúmque ſit amplexus, iiſdem Auguſti-

Digitized by Google

ni teſtimoniis vtatur, ſi Caluinianum dixerim, fidem fortaſſe non difficulter obtinebo. At ne quid vel imponere videar, vel eum calumniari, illius doctrinam ex lib. 8. de hæreſ. Pelag. cap. 2. 3. 15. & lib. 3. de grat. Chriſt. cap. 18. 19. 20. 21. aliiſque paſſim locis depromptam in medium affero.

Notandum imprimis quod cap. illo 20. habet, *nullam difficultatem de gratia magis lubricam eſſe, quàm iſtam, in cuius intelligentia & ipſe Auguſtinus vſque ad Epiſcopatum hallucinatus eſt.* Quod cautè inſinuat, vt ſi quid obiiciatur ab illo S. Doctore, quod ſibi repugnet, continuò commoda illa declinatione id deuitet. At quo auctore Auguſtinum rerum iſtarum rudem faciat, & ignarum, hácque in quæſtione erraſſe, cùm nondum eſſet Epiſcopus, non ſatis video. Certè non id erat illi omittendum. Quod autem facere de Auguſtino non dubitauit, idem de cæteris Patribus Græcis ſibi in eo repugnantibus, audacter facit, putátque ſe ſatisfacere, cùm antiquos illos Doctores in rerum iſtarum ignoratione aliquando verſatos eſſe profitetur: ſic grauiſſimorum illorum virorum auctoritatem quam ſuſpiciunt, ac venerantur optimi quique, pro ſua ſententia eludit Doctor Iprenſis, velut *Chryſoſtomi, Oecumenij, Theophylacti, aliorúmque Græcorum, qui ante ſubortas de diuina gratia difficultates commentarios ſuos exararunt.* ſic ille.

Verùm licèt mentem ſuam multis, vt ſemper, implicatam ambagibus, tegat ac diſſimulet, & videatur aliquando concedere Chriſtum pro reprobis illis, qui aliquando iuſti fuerunt, eſſe mortuum; re vera tamen docet Chriſtum pro ſolis electis, & prædeſtinatis & occubuiſſe, & orauiſſe Patrem. Deum quidem omnium ac ſingulorum hominum ſalutem voluiſſe voluntate, quæ eſſet ante præuiſum originale peccatum, quo deinde poſito, præuiſóque, eum nullius niſi prædeſtinati ſalutem voluntate quoquo modo efficace velle poſſe. Quòd ſi quam fortè erga reproborum ſalutem dicatur habere bonam voluntatem, eam contendit eſſe *velleitatem*, quæ nihil gratiæ, vel beneficij, quod ad ſalutem aliquid auxilij præſtet, operetur. Qui verò ſecùs ſentiunt, & locum illum Apoſtoli ad Timoth. 1. cap. 2. ad vniuerſos pertinere contendunt, Chriſtúmque pro omnibus, ac ſingulis Patri ſe

deuouiſſe; Pelagianæ hæreſis notat vir purus ſuſpicionis. Et quod Caluinus de temporaria gratia reprobis data ſtatuebat, idem planè docet, & ne quoquo modo ab eo diſſentiat, Catholicorum doctrinam ſic proponit, quaſi velint Deum non magis electorum, quàm reproborum ſalutem velle, quæ fuit opinio Pelagianorum. Quod cùm facit, aſtutorum litigantium mores imitatur, qui cauſam aduerſariorum, quæ per ſeſe bona eſt, fingendo, mentiendóque conantur efficere deteriorem, vt ſuam quæ deterrima eſt, æquiorem reddant, quod & ab Arnaldo præcipuo Ianſenij fautore, Apolog. 3. pag. 47. factum eſt. Sed Ianſenium ipſum exploremus, vt quid velit, quid ſentiat compertum habeatur.

Lib. 10. de gratia Chriſti, cap. 2. colligens ſummatim, quæ priùs docuerat, ait, *nunc præterea nullum dari medicinale Chriſti, quaſi potentiale adiutorium, quod ſufficiens dicunt*; nam omnem Chriſti gratiam efficientem eſſe contendit. vnde concludit, *non poſſe ſtatui, quod recentiores plerumque ſolent, voluntatem quandam generalem, qua Deus velit omnes homines, in damnatione primi peccati poſitos ſaluos fieri, ex qua voluntate non ſolùm generalia redemptionis remedia, ſed etiam ſufficientia adiutoria omnibus reprobis præparauerit.*

Notandum autem ab Aduerſario negari, non modò reipſa data, aut oblata, ſed etiam *præparata* reprobis remedia, & auxilia ſufficientia. Tum addit, *Auguſtinum ab initio conuerſionis vſque ad vitæ terminum in vniuerſis ſuis ſcriptis non agnouiſſe talem voluntatem, qua Deus velit omnes omnino ſaluos fieri.* Quem faciebat modò rerum iſtarum ignarum ante Epiſcopatum; iam ſub ipſum tempus conuerſionis vult fuiſſe earundem ſcientem; fortaſſe dicti illius non meminerat, cuius excuſationem in tanta præſertim ſcriptorum ſuorum copia, ac perturbatione poteſt habere non difficulter. Sed memorem eum eſſe oportebat, ne pugnantia loqueretur. Hoc leue, iſtud grauius, & quod ad rem magis pertineat. Auguſtinum ait, hunc *Pauli locum, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, de efficaci voluntate, quam circa prædeſtinatos habet, ſemper explicuiſſe, eóſque inſignis abſurditatis, & ineptiæ redarguiſſe, qui Deum circa omnes prorſus, etiam illos qui pereunt, talem voluntatem habuiſſe ſentirent.* Quapropter Ianſenius, ne ineptus,

ptus, abſurdúſque habeatur ab Auguſtino, locum illum Apoſtoli de ſolis prædeſtinatis conteſtatur eſſe accipiendum. nam ſi aliorsùm acciperet, abſurdum ſe profiteretur. Mox ſubiicit, *talem voluntatem generalem fuiſſe Maßilienſium baſim*, hoc eſt, caput errorum de prædeſtinatione non gratuitâ. Deinde docet *Deum ſolis electis beneficia liberationis danda præparaſſe, cæteris excluſis negatiuè*, ſed paullò pòſt addit etiam *poſitiuè reprobatis*.

At quis Catholicus dubitet, quin nullum gratiæ Chriſti auxilium eſſe queat, niſi quod liberationis eſt beneficium? Solis igitur electis, & prædeſtinatis gratiæ Chriſti auxilium aut datum, aut præparatum eſſe Ianſenius docet cum Caluinianis, reprobos autem Deus *non ſolùm non vult liberare, ſed etiam poſitiuè vult in damnatione relinquere*. Idem habet eodem lib. cap. 18. at longè fuſiùs lib. 3. vbi cap. 18. & 19. mala fide calumniatur aduerſarios ſuos Moliniſtas, hoc eſt, non Caluinianos, quos ait gratiam ſufficientem velle omnibus eſſe debitam, quod quàm abhorreat ab eorum inſtituta diſputandi ratione, non attinet hîc me dicere. Tantùm enim abeſt, vt dicant deberi, cùm gratuitò omnibus offerri à Chriſto, pararíque contendant.

Cap. verò 20. propoſitis quatuor loci ex Apoſtolo ſuperiùs allati interpretationibus, de quibus erit mihi paullò pòſt dicendum; quarum prima, & altera pertinet ad ſolos prædeſtinatos, tertia verò eò ſpectat, vt pro omnium etiam reproborũ ſalute preces apud Deum fundantur: quarta demùm pertinet ad vniuerſos; primam, ſecundam, & tertiam amplectitur; ita tamen de tertia id vult accipiendum, vt cùm Deus vult nos orare pro reprobis, non ſignificet propterea ſe eorum ſalutem ſincerè velle, ſed electorum tantùm. Vnde cap. illo 20. non aliam Dei voluntatem circa reproborum ſalutem admittit, quàm *antecedentem*; eam porrò ſic explicat, *vt in ſola præciſione mentis, adeóque nuda quadam velleitate nihil omninò gratiæ cauſante conſiſtere poßit, qualem etiam erga damnatas creaturas ſiue hominum, ſiue Angelorum Deus habet, qua non obſtante, ſicut poteſt conſequente voluntate iuſtitiæ Angelos omni gratia ſufficiente, & ſalute ſpoliare, excæcare, obdurare, damnare: ita non obſtante eadem voluntate, quibuſdam ho-*

Digitized by Google

minibus originali labe damnatis, conſequente voluntate iuſtitiæ, fidem, iuſtitiam, ſalutem, felicitatémque negare poteſt, eóſque nolle ſaluos fieri.

Quapropter auctore Cornelio Deus ob ſolum peccatum originale, non magis quibuſdam hominibus vult ſalutem, quàm ipſis, quos iam exercent æterna ſupplicia, Dæmonibus. Quinam autem ſint quidam iſti, ſubiicit poſtea omnes eſſe reprobos; facilè vt intelligas de omnibus id velle. Nam cap. 21. poſtquam multis pro more ſuo vſus eſt ambagibus, tandem diſertè ait Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis eſſe paſſum. nam ait Auguſtinum *paſſim omnes locutiones ſcripturarum, quæ quandam vniuerſitatem effectuum paſſionis, aut mortis, aut redemptionis, aut diuinæ gratiæ inſinuant, ad ſolos prædeſtinatos reuocare, ac reſtringere.* quod autem Auguſtino tribuit Ianſenius, quis neget tenere eundem, qui cum primis adhærere ſe Auguſtino gloriatur?

Deinde addit, *Chriſtum pro cæteris, qui non ſunt prædeſtinati non eſſe mortuum, non oraſſe, non ſemetipſum dediſſe redemptionem.* Si compertos haberemus, qui prædeſtinati ſunt, *non magis nobis Deum pro reprobis quàm pro Diabolo deprecandum eſſe.* quod quia Chriſto erat perſpectum, hinc colligit eum non magis pro reprobis, quàm pro Diabolo Patrem oraſſe. *Nullo modo*, inquit, *Auguſtini principiis conſentaneum eſt, vt Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iuſtorum non perſeuerantium æternâ ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur: ſciuit enim quò quiſque iam ab æterno prædeſtinatus erat, ſciuit hoc decretum neque vllius pretij oblatione mutandum eſſe, nec ſeipſum velle mutare. Ex quo factum eſt, vt iuxta ſanctiſſimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit.*

Neque diuerſus eſt à Caluino quantùm ſpectat ad eos, qui licèt reprobi, tamen iuſtitiam à Deo recipiunt, ſed in ea non perſtant. ſic enim cap. 21. *Pro his in tantum mortuus eſt Chriſtus, in quantum temporalibus quibuſdam diuinæ gratiæ effectibus donandi ſunt, eandem fidem & charitatem temporalem* appellat, *inſtabilem, & imperfectam ſanctificationem*, quæ

electis potiùs, quàm iis ipſis qui accipiunt eam temporaliter, proſit, &c. quæ planè prompta ſunt à Caluino; certè ad eius ſententiam accommodata. Verùm non ſatis perſpicuè declarat, vtrum non perſeuerantis iuſtitiam, fidem, charitatem, eiuſdem cum prædeſtinatorum iuſtitia, rationis, ac ſpeciei eſſe velit, an verò, vt placet Caluinianis, *inferioris cuiuſdam notæ.* Certè docet non obſcurè Deum, & Chriſtum Dominum nolle illis dare gratiam, & iuſtitiam, niſi temporalem, adeo vt non magis durare eam velit, quàm durent caducæ res, fluxæque: vique diuini decreti, illa temporalis iuſtitia, aliquando ſit intermoritura, cùm certos habeat præfiniti temporis limites, vltra quos nolit eam Deus produci. cúmque, vt antè monſtratum eſt, damnatorum reprobationem, in electorum commodum conuertat, temporariorum iſtorum iuſtorum gratia quid habere poteſt vtilitatis, quod in eos redundare queat?

Quòd ſi res ita ſit, cùm Iudam vocabat ad ſe Chriſtus, cùm ſuauiſſima conſuetudine ſua deuinciebat, cùm ornabat donis, cùm gratiarum ſuarum copiâ cumulabat; non eum ſincero beneuolentiæ affectu proſequebatur. Neque enim tunc ei bene cupiebat, cui dona ſua largiebatur, non propter ſe, qui erat reprobus, ſed propter cæteros diſcipulos, quorum causâ, quippe qui prædeſtinati erant, eum iuſtum ad certum tempus eſſe voluit, vt electorum commodis ſeruiret. Vt ſi cuipiam bene facio, propter alium, quem habeam chariſſimum, nemo prudens dicat, eum, cui bene facio, mihi propterea eſſe amicum, cùm eum alterius commodo ſeruire velim; neque is vulgò amor amicitiæ ſit, qui vtilitatis duntaxat vnius rationem habeat.

Hominem, qui tam multa afferat, vt ſuam ſuper ea re mentem aperiat, ſi quis expoſtulet non ſatis intelligenter locutum; næ ille meo iudicio erit admodum iniuſtus. Sed ſe parùm feciſſe exiſtimauiſſet Aduerſarius, cùm negauit Deum velle omnes omnino ſaluos, niſi etiam, qui ſecùs ſentirent, hæreſis Pelagianæ notauiſſet. Quod prolixè facit lib. 8. de hæreſ. Pelag. cap. 2. 3. & 15. vbi ait *ſenſum illum verborum Pauli, è contrario Auguſtinum, ſimul atque Deus eum ab illo errore reuocaſſet, ſæpiùs conſtantérque deteſtatum eſſe.* Addit

Digitized by Google

illam de Apoſtolico loco ſententiam eſſe ipſiſſimam Semipelagianam opinionem, quam Auguſtinus ante ſuum Epiſcopatum docuerat, & in lib. de ſpiritu & litt. cap. 33. diſputandam refellendámque proponit. Lib. 3. de gratia Chriſti cap. 20. ait eſſe *contrariam diuinæ gratiæ ſinceritati ...... omnes genuinos defenſores gratiæ illam expoſitionem tanquam diſcrepantem à veritate reprobaſſe .... Auguſtinum, Proſperum, Fulgentium vno conſenſu profiteri, eos non intelligere ſcripturam, qui illam ſaluandi voluntatem indifferenter ad vniuerſos ſine exceptione protendunt.* (obſeruandum verò eſt à Ianſenio fucum, & fallaciam fieri in ea voce *indifferenter*) denique *illam expoſitionem ſcopo Apoſtoli manifeſtè repugnare, ab errantibus introductam, & pertinaciter defenſam fuiſſe.* Denique cap. 21. *recentiores*, qui eam in medium afferunt, *hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere, machinámque eam eſſe à Semipelagianis introductam.* Quis non miretur hominem qui tam mira dicat & tam inaudita? Et erit præterea quiſquam, qui de illius mente quantùm ſpectat ad eam partem, dubitare queat?

ARTICVLVS III.

Pelagianorum errores in hanc ſententiam afferuntur.

QVOD peccatum eſt circa doctrinam de prædeſtinatione à Pelagianis, cùm idem fermè ſit, atque illud, quod docebant de voluntate Dei erga omnium ſalutem malè intellectâ; de primo vbi dictum eſt; breue eſt quod reſtat dicendum de altero.

Nos itaque imprimis ſumus admonendi, Pelagianorum ſuper propoſita re errorem eſſe non vnum, cùm & voluntatem Dei de omnium tam reproborum, quàm prædeſtinatorum ſalute omnino æqualem fuiſſe, & diſcrimen illud quod interueniebat in partis vtriuſque ſorte, non à Deo, ſed ab hominis, qui ſe diſcerneret, voluntate proficiſci voluerint; In quo vtroque ab iis erratum eſt. Hæc autem duo Pelagianæ hæreſis præcipua fuiſſe capita, breuiter ex Proſpero, & Hilario oſtendo.

Proſper in epiſt. ad Auguſt. aſſerit Semipelagianos exiſti-

Digitized by Google

maſſe, *vniuerſis hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti ſine exceptione eſſe propoſitam, vt quicumque ad fidem, & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poſſint.* Quòd autem iſtam iam bonam voluntatem diuinæ gratiæ ope muniendam, & iuuandam, non præoccupandam cenſuerint, patet ex ſequentibus, cùm aiunt, *remoueri omnem Induſtriam, tollíque virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præueniat voluntates.* Addunt etiam, *omnes ad cognitionem Dei per diſcretionem boni, & mali ſuam poſſe dirigere voluntatem, & ad gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, peruenire per naturalem facultatem, & ad hoc ſalutis donum omnes homines vniuerſaliter ſiue per naturalem, ſiue per ſcriptam legem, ſiue per euangelicam prædicationem vocari, vt qui voluerint, fiant filij Dei, & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint: quia iuſtitia Dei in eo ſit, vt qui non crediderint, pereant, bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter vniuerſos velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* In quibus verbis maximè notanda vox illa, *indifferenter,* in ea enim vis erroris continetur.

Eódem pertinet conſequens oratio, ab eodem loco petita. *Itaque quantum ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab iis eam apprehendi, qui ſponte Deo crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Quæ clariora ſunt, quàm vt indigeant interpretatione. Idem ſtatuendum de ſequentibus. *Cùm duo ſint quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt eſſe obedientiam quàm gratiam, vt initium ſalutis ex eo, qui ſaluatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſaluat: & voluntas hominis diuinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubiiciat voluntatem.*

Sed luculentum eſt de eorum erroribus Proſperi teſtimonium, in eo carmine quod ſcripſit de ingratis. in quo ſic eos inducit loquentes:

Cùm ſine delectu ſeu lex, ſeu gratia Chriſti,
Omnem hominem ſaluare velit, Dominíque vocantis
Sic ſit propoſitum, vt nullus non poſſit ad illud
Libertate ſua, propriόque vigore venire,
Sítque ſalus dignis ſaluari ex fonte volendi.

Digitized by Google

Vt electionem Dei gratuitam repudiant propriis meritis arcano quodam faſtu fidentes, vt humanæ voluntati ſecretionem electorum à reprobis tribuunt, quod cap. 10. 11. 12. 13. & 14. ad ſatietatem ita repetunt, vt nullum finem faciant.

Quid porrò Hilarius, cui res fuit cum Semipelagianis? ille in litteris datis ad Auguſtinum ſignificat interpretationem loci illius ab Apoſtolo petiti, quam ipſe dabat Auguſtinus, de iis tantùm, *qui ad ſanctorum numerum pertinent*, ideò à Maſſilienſibus reiectam, *ne eligendorum, reiiciendorúmque eſſe definitum numerum* fateri cogerentur. Ex quibus manifeſtum eſt eos æqualem Dei erga reprobos, & electos ſalutis voluntatem eſſe voluiſſe.

Neque verò obſcurè id ſignificant ipſi Pelagiani. Nam de Iuliano ſic ipſe loquitur Auguſtinus, lib. 4. contra Iul. cap. 8. *Ab eo dicis*, erat mentio de Deo, *pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſaluos fieri... vt videlicet intelligamus docentibus vobis ideò non omnes ſaluos fieri .... quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare*. Quin ipſe Pelagius apud Hieronym. cap. 2. epiſt. 1. ad Timot. ſic illa verba, *qui omnes homines* &c. ſic explicat: *Hic probatur nemini oportere ad credendum vim inferre, nec tollere arbitrÿ libertatem*. Et iſtà, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, ſic exponit: *Ille ſe pro omnibus dedit, ſi omnes redimi vellent*. Ita omnia refert in ſuum ſenſum, cui ſeruit vni. Fauſtus autem Rheg. lib. 1. de libero arbitrio, de voluntate Dei erga omnes ſaluandos, déque Chriſto pro omnibus mortuo diſputans, eodem offendit. Cap. enim 16. ſic habet: *Volentes redemit voluntatum remunerator; iuſtus enim arbiter Deus voluntarium cupit redire, quem non inuitum meminit corruiſſe;* & cap. 17. aliquod vocati meritum vult antecedere; *vt per quandam voluntatis anſulam comprehendi, & attrahi valeat qui vocatur*. Et paullo antè, *Hæc attrahentis Dei miſericordia, ſi dignis datur, aduertis quia iam, & ſtudio humanæ vtcumque ſeruitutis impenditur; ſi verò indignis, conſequens eſt, vt etiam reprobis non negetur; & euidenti miſeratione bonitas Dei indiſcretè, & iuſtis & peccatoribus offeratur*. En ſumma doctrinæ Pelagianorum, quæ breuiter hoc loco erat proponenda, vt Aduerſario faciendi fuci, calumniæque falsò imponendæ locus eriperetur.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Diui Thomæ mens explicatur.

QVAM fuerit D. Doctor in exponenda hac Apoſtoli ſententiâ diligens, & accuratus, argumento eſt cum primis celebris ille locus qui 1. p. q. 19. art. 6. habetur, vbi triplicem huius effati, *Deum velle omnes homines ſaluos fieri*, affert expoſitionem. Prima eſt *per diſtributionem accommodam*, qua nullus dicitur ſaluus fieri, niſi quem Deus vult ſaluum fieri. Altera, ita vt fiat *diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum*, ſitque propoſitionis illius ſenſus, *Deus vult ex quolibet ſtatu hominum ſaluos fieri*. Vtraque ſententiam illam ſolis prædeſtinatis accommodat, & eſt ab Auguſtino petita. Addit & tertiam, qua Deum omnium omnino ſalutem velle contendit, de qua fuſiùs erit diſputandum. Præter iſtas etiam quartam adhibet, quam à Damaſceno fatetur eſſe ductam. Hanc porrò admittit de voluntate antecedente Dei, non conſequente, ita vt Deus antecedenter velit omnem hominem ſaluari. Quid autem ſit antecedens Dei voluntas, quid conſequens apud D. Thomam, iam ſatis eſt explicatum. Certè S. Doctor antecedentem illam voluntatem magis *velleitatem* appellat, quàm perfectam, abſolutámque voluntatem. Rem accipit Ianſenius in ſententiam ſuam ſatis commodè, cùm ait Deum reuerâ, vt creatorem, & antecedenter ad præuiſionem peccati originalis, omnem hominem ſaluum fieri velle; ſed minùs conſentiens cum D. Doctore, qui poſito etiam peccato originali, & præuiſa totius generis clade, Deum tamen, poſt conſiderata Chriſti merita, circa omnium ſalutem voluntatem habere antecedentem pronunciat, vt patet ex 1. ſentent. diſt. 46. q. 1. a. 1. vbi eandem quæſtionem ita ſoluit, vt antecedentis illius voluntatis *effectum velit eſſe ipſum ordinem naturæ in finem ſalutis, & promouentia in finem omnibus communiter propoſita tam naturalia, quàm gratuita, ſicut potentiæ naturales, & præcepta legis & huiuſmodi*. Vides ab eo appellari gratuita media legis præ-

cepta, & alia, quæ non niſi ex merito Chriſti Deus iam operatur, & facit.

Præterea in cap. 1. ad Timot. lect. 1. S. Doctor hoc dictum Pauli de voluntate diuina beneplaciti exponens, addit quartum ſenſum iſtum Auguſtini, quem ille *cauſalem locutionem* appellat, quia Deus facit nos velle, vt omnes ſalui fiant, & ſubiicit dictum id probari his verbis, *vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; adeo vt ratio vna ſit ex parte Dei, quia eſt vnus Deus omnium, qui ſaluat, altera ſit ex parte Chriſti, quia ſcilicet Chriſtus eſt mediator hominum *non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines*, & *hoc non fuiſſet, niſi vellet omnes ſaluare:* quod manifeſtè repugnat expoſitioni Ianſenianæ. Quod autem S. Thomas ibidem ait, Chriſtum eſſe *propitiationem pro peccatis noſtris, pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter, quia pretium ſanguinis eius eſt ſufficiens ad ſalutem omnium, ſed non habet efficaciam, niſi in electis propter impedimentum:* Aduerſarius non aliter pro reprobis hominibus, quàm pro dæmonibus ſufficiens illud pretium eſſe contendit. Sed doctrinæ tam nouæ inſolentia paullò pòſt caſtigabitur. hîc tantùm obſeruo, quod ait S. Doctor, pretium illud non habere efficaciam niſi in electis, eum intelligere efficientiam ſalutis, ſeu gloriæ ipſius, non verò gratiæ, quia haud dubiè habet efficientiam gratiæ in reprobis, qui iuſtitiam tanquam ſanguinis Chriſti pretium accipiunt. Adde quod antea de prædeſtinatione diſputans dixi, Deum, & Chriſtum ſolos prædeſtinatos ſaluare efficaciter velle, alios autem velle efficaciter, vt ſaluari poſſint, alios magis, minúſve pro diuerſa ratione auxiliorum, quibus habent reprobi, vt ſaluari queant, licèt non ſaluentur; quia non ex parte Dei, ſed hominum, & cauſarum creatarum, eorum ſalus impeditur. Vnde liquet, eſſe expeditum, & in promptu, quidquid ex parte Chriſti ad eorum ſalutem requiritur, ipſúmque Chriſtum eorum ſalutem ſeriò, ac ſincerè velle.

Háncque D. Thomæ eſſe mentem non ex vno loco colligere poſſumus, cùm paſſim & vbique Chriſtum pro omnibus

Digitized by Google

nibus & ſingulis hominibus eſſe mortuum doceat; ita in epiſt. ad Rom. c. 5. lect. 5. vbi ait dici poſſe quòd *iuſtificatio Chriſti tranſit in iuſtificationem omnium hominum quantùm ad ſufficientiam; licèt quantùm ad efficientiam procedat ad ſolos fideles.* Quibus verbis non docet Chriſti mortem ſufficere ad iuſtificationem hominum omnium, ſicut & Dæmonum, cùm habeat, vt in effectum tranſire poſſit, in omnibus & ſingulis hominibus, quod in Dæmones cadere non poteſt. Ita etiam lect. 3. c. 2. ad Hebræos in hæc verba, *vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*, laudat interpretationem Chryſoſtomi. *Pro omnibus hominibus generaliter mortuus eſt, quia omnibus pretium ſufficit. Etſi omnes non credunt, ipſe tamen quod ſuum eſt impleuit.* Quam tamen expoſitionem Chryſoſtomi tanquam Pelagianam haberi à Ianſenio, damnaríque vidimus. Sed ad illam ſtabiliendam, confirmandámque D. Doctor affert illud Pauli 1. ad Tim. c. 4. *Saluator omnium maximè fidelium.*

Sic in 3. p. q. 1. a. 2. *Quia homo purus ſatisfacere non poterat pro toto humano genere, Deus autem ſatisfacere non debebat: vnde oportebat Deum & hominem eſſe Ieſum Chriſtum, quia tota natura humana erat per peccatum corrupta, nec bonum alicuius perſonæ vel etiam plurium poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum recompenſare.*

Notandum autem hîc D. Thomam non facere mentionem de infinitate peccati cuiuſlibet mortalis, ob infinitatem maieſtatis offenſæ, ſed de illis pro quibus fuit ſatisfaciendum, quod ad homines pertinuit vniuerſos. Quæſt. verò 46. artic. 6. probat dolorem Chriſti patientis *fuiſſe maximum inter dolores præſentis vitæ, quia doloris eius interioris cauſa fuit, omnia peccata humani generis pro quibus ſatisfaciebat patiendo.* Quid planius? & ad 2. *Chriſtus vt ſatisfaceret pro peccatis omnium hominum, aſſumpſit triſtitiam maximam quantitate abſoluta.* Quantùm igitur de doloribus Chriſti detrahit Aduerſarius, qui eum pro ſolis electis doluiſſe vult? Reclamat enimuerò D. Doctor, & ad 4. *Chriſtus* (inquit) *doluit pro peccatis omnium aliorum, & pro omnibus peccatis ſimul doluit.*

Multa in hanc ſententiam alia prætermitto. Iſtud tamen

quod ad rem facit vel maximè, præterire non poſſum. 3. p. q. 8. a. 3. quæſtionem hanc inſtituit, *Vtrum Chriſtus ſit caput omnium hominum.* tum reſpondet *Chriſtum eſſe caput omnium hominum, ſed ſecundùm diuerſos gradus*, quos omnino quinque numerat, adeo vt *quinto ſit ille caput eorum, qui in potentia ſunt ſibi vniti, quæ nunquam reducetur ad actum.* Intelligit infideles, quos à reprobis poſt hanc vitam, ſeu damnatis diſtinguit, *quòd iſti totaliter deſinunt eſſe membra Chriſti, quia nec ſunt in potentia vt Chriſto vniantur.* Adeóque longè aliter Chriſtus eſt caput infidelium in hac vitâ degentium, quàm vel Dæmonum, vel hominum iam damnatorum; quod planè repugnat Ianſenio. Et ad primum, *Illi* (inquit) *infideles etſi actu non ſint de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia in potentia, quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primò quidem, & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis: ſecundò in arbitrij libertate.* Quod probat inſigni illo loco epiſt. 1. ad Timot. c. 4. *eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium.* & 1. Ioan. c. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Quibus videtur ſatis ſignificare ſe doctrinam hanc, fidei Catholicæ dogma cenſere.

Quòd ſi quando innuat omnes homines per Chriſtum minimè ſaluari, id docet ita fieri, vt omne ſalutis impedimentum in eos refundat. *Quòd*, inquit, *ſaluari nolint.* Id autem in adultis intelligi non poteſt de ſolo impedimento peccati originalis, vt ipſe ſatis explicat l. 4. contra gentes c. 55. rat. 7. vbi hæc habet: *Incarnationis diuinæ virtus ſufficiens eſt ad omnium hominum ſalutem, ſed quod non omnes ex hoc ſaluantur, ex eorum indiſpoſitione contingit, quòd Incarnationis fructum in ſe recipere nolunt, incarnato Deo per fidem & amorem non inhærendo. Non enim erat hominibus ſubtrahenda libertas arbitrij, per quam poſſunt vel inhærere, vel non inhærere Deo incarnato, ne bonum hominis coactum eſſet, & propter hoc abſque merito, & illaudabile redderetur.*

Quæ voces, quàm multis modis conficiant miſerum Iprenſem, promptum eſt vnicuique conſiderare. Nam procul dubio alia ratione ſufficiens eſt Incarnatio Chriſti pro

ſalute omnium hominum etiam infidelium, quàm Dæmonum; quod non exiſtimat. Deinde ſi non omnes homines per Chriſtum ſaluantur, id ex *eorum indiſpoſitione* non quâlibet, ſed quòd *nolint recipere fructum eius paſſionis*, non verò ab ipſo Chriſto proficiſci: cùm tamen ſecùs contendat Aduerſarius. Nolunt autem, quia libertatem arbitrij, eámque poſitam in indifferentiâ retinent, per quam Chriſto poſſunt inhærere, vel non inhærere, quia ſine hac indifferentia & libertate, laus boni operis, meritúmque conſtare non poteſt, quod negat Ianſenius.

ARTICVLVS V.

Accedit conſenſus cæterorum Doctorum Theologorum.

QVI profeſſionem fidei à Pio IV. præſcriptam emittit, is admittere ſe & amplecti profitetur *ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum; nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum acceptam.* in quibus verbis notandæ potiſſimùm voces iſtæ, *quem tenuit & tenet*, vt non ſolùm ſuperioris ætatis, ſed etiam præſentis Eccleſia ſignificetur; quæ in Doctoribus iis, qui à quingentis annis floruerunt, continetur. Conſtat autem, ipſo non repugnante Aduerſario, omnes Doctores, qui poſtremis ſæculis nomen aliquod in ſcholâ obtinuere, Chriſtum pro omnibus, ac ſingulis mortuum ſumma animorum conſenſione docuiſſe, adeóque, quod liquidò conſequens eſt, ipſam Eccleſiam in iis Doctoribus ita ſenſiſſe.

Cæterùm ne eatur in immenſum, certos mihi propoſitum eſt definire limites, quibus omnis controuerſia definiatur. Nam cùm poſſem Doctores afferre mearum partium quamplurimos, ad vnum, & alterum rem contraho, poſterioris æui alterum, alterum ſuperioris, Eſtium videlicet, & Bonauenturam, vt in vtroque quid in tota illa quingentorum annorum perpetuitate ſenſerit Eccleſia, intelligatur. Cùm autem vnum Eſtium ex omnibus recentioribus ſibi maximè vindicent Ianſeniani, eúmque cæteris præferant, dabo ope-

ram, vt illam de paſſo pro omnibus Chriſto expoſitionem, quemadmodum accipimus, eum quoque accepiſſe ſentiant. Is porrò in comment. epiſt. 1. ad Timot. c. 2. exponens illud, *Qui omnes homines*, &c. octo omninò affert interpretationes, quas ſummatim refero. Prima eſt, qua vult omnes homines ſaluos fieri, modò & ipſi velint, quam reiicit vt Pelagio conſentaneam, adeóque minùs probabilem, & quia non poteſt cadere in pueros infantes, in quo manifeſtum eſt quantum in partes noſtras inclinet, dum eam non vt hæreticam, ſed vt minùs probabilem repudiat. Secunda eſt diſtributiua pro generibus ſingulorum, à nobis propoſita. Tertia eſt de voluntate antecedente, quatenùs (inquit) Deus omnes homines creauit, quam vult eſſe D. Thomæ, parùm intelligenter. Quarta de Chriſto, quem ait velle omnibus ſalutem, non voluntate abſolutâ, ſed quæ ſit tantùm deſiderij. Quinta eſt de parte pro toto, id eſt, de omnibus qui ſalui fiunt. Sexta, qua Deus vult, & facit pios velle & deſiderare ſalutem omnium. Septima, qua Deus præcipit à nobis agi, vt omnes ſalui fiant, quæ differt à ſexta, quòd hæc ſit voluntas ſigni, illa beneplaciti, hanc Deus præcipiat, illam operetur. Poſtrema, *qua Deus vult omnes ſaluos fieri, quatenùs media quædam, & auxilia generalia contulit ac propoſuit humano generi in vniuerſum, quibus nimirum poſſint homines ad ſalutem perduci, licèt hæc ad ſalutem conſequendam abſque mediis & auxiliis ſpecialibus minimè ſufficiant.*

Eſtius enim prudenter diſtinguit media, quibus homines *poſſint perduci* ad ſalutem, quæ omnibus, & ſingulis offeruntur, ab illis mediis peculiaribus ad ſalutem conſequendam neceſſariis, quibus electi de facto ſaluentur. Media autem vniuerſalia ſunt, *hominis creatio ad beatitudinem, lex naturæ hominum mentibus impreſſa, ſpeculum totius creaturæ, beneficium redemptionis Chriſti toti mundo expoſitum, & ex Chriſti præcepto per omnes gentes prædicandum.* Quod vltimum ex Chriſti meritis homini ſoli proprium eſſe liquet, neque vllo modo cum Dæmonibus commune. Si res ita habeat, vt certè habet; quid fiet de te Corneli, qui Eſtium tibi vindicabas? Is enim reiectis aliis huius loci expoſitionibus, 1. 2. & 5. quòd faciant ſenſum non omnino vniuerſalem, 3. quæ ni-

mis latè pateat, 4. quæ ſit impedita, 6^{am}. 7^{am}. & 8^{am}. admittit vt *congruentiores Apoſtolico contextui*, quod cùm dicit ſatis ſignificat, quid de cæteris ſentiendum ſtatuat.

Eò etiam accedit, quod idem Doctor in verbis Apoſtoli conſequentibus: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*, diligenter animaduertat, vniuerſale ſignum *omnium* in vtraque propoſitione deſiderari, illúdque ſupplendum; alioqui probatio ſuperioris ſententiæ, planè nulla videretur. Vt enim *beneficium creationis commune eſt omnibus, ita beneficium reconciliationis, & redemptionis omnibus*, non dæmonibus, *ſed hominibus propoſitum eſt, & Chriſtus redemptor omnibus datus eſt à Deo*, inquit Eſtius, qui conſuli poteſt Rom. 14. & 2. Corint. cap. 5. vbi Ianſenij cenſuram, qua expoſitionem communem facit hæreticam, damnat. Quod exiſtimaui hoc loco obſeruandum, vt qua fide Ianſeniani proferant auctores pro dogmate ſuo tuendo, quàm ſiniſtrâ, oſtenderem; tum etiam vt ex eo appareat, ſi vel vnus Doctor productus ab illo grege, tam parùm ei faueat, quid de cæteris ſuſpicari par ſit.

Venio ad Bonauenturam hominem doctrina, ac pietate ab omni parte excellentem. Is in 1. diſt. 46. vbi cum Magiſt. Sentent. tum ille, tum alij magiſtri interpretes diſputant, vtrum, & quâ ratione Deus velit omnes homines ſaluos fieri, ſic rem definit. Audiat omnis ſchola Ianſeniana, & tanti viri ſenſa percipiat. *Dicendum*, inquit, *quòd cùm Apoſtolus dicat quòd Deus hoc vult, ſcilicet omnes ſaluos fieri, neceſſe habemus concedere, quòd Deus velit: & cùm non poſſit exponi de voluntate ſigni, neceſſe habemus exponere de voluntate beneplaciti: ſed cùm non omnes ſaluentur, & voluntas Dei nunquam fruſtretur: ideo neceſſe eſt quòd fiat vis in modo diſtribuendi, vel in modo volendi. Egregius Doctor Auguſtinus duplicem facit vim in modo diſtribuendi.* vtramque intelligit à nobis ex Auguſtino allatam, quam ſuſceptam à magiſtro profitetur Bonauentura, ſubdítque *neceſſe eſſe ſic vel ſic ſoluere*, id eſt, alterutro illo ſenſu; tum verò non ita multò pòſt, *Sed Damaſcenus facit vim in modo volendi. diſtinguit enim in Deo voluntatem antecedentem, & voluntatem conſequentem, & voluntas antecedens eſt voluntas reſpectu eius propter quod Deus hominem fecit, & eſt*

Digitized by Google

irrefragabiliter bonorum. Suſtinendus eſt etiam aſſenſus, donec omnis orationis complexio teneatur. nam quæ conſequuntur minimè fauent Aduerſario, cùm ex Damaſceno Bonauentura non modò de voluntate Dei vt creatoris, ſed etiam vt redemptoris & poſt ruinam generis humani loquatur in hanc ſententiam. *Voluntas autem conſequens eſt voluntas, non quæ ſequitur merita, ſed quæ vult aliqua ſecundùm ſcientiam meritorum. Prima ſcilicet antecedens dicitur à magiſtris voluntas conditionalis, ſiue voluntas qua Deus vult quantum in ſe eſt.* Attendis Corneli, & vides Moliniſtas tuos, in quos ita amarus aſpérque es, cum antiquis illis Doctoribus loqui? *Secunda autem ſcilicet conſequens dicitur abſoluta. differentia autem inter hanc voluntatem, & illam non eſt ſecundùm diuerſitatem affectionis, ſiue modi volendi, qui ſit in Deo*, (nam Deus ipſe eſt) *ſed ſecundùm rationem connotandi, & intelligendi. prout enim Deus dicitur velle omnium ſalutem, quantùm in ſe eſt, & antecedenter, connotatur in omnibus ordinatis ad ſalutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ. dedit enim Deus eis naturam, ſecundùm quam poſſent eum cognoſcere, & cognitum quærere, & quæſitum inuenire, & inuento inhærere, ac per hoc ſalutem obtinere.* Doctrinam Ianſenianam hæc vtcumque ferunt, iſta quæ conſequuntur labefactant, *gratiam ſimiliter obtulit dum filium miſit, & obtulit, cuius pretium omnium ſaluti ſufficit* ... tum paullo pòſt: *Ipſe etiam præſto eſt omnibus inquirentibus, & propè eſt omnibus inuocantibus eum.* Quòd ſi pleriſque negatur auxilium ſufficiens ad ſalutem conſequendam, vt contendit ita animosè Cornelius, falſus eſt animi Bonauentura, qui omnibus præſto eſſe Deum profiteatur. *Velle ergo*, inquit, *hominem antecedenter ſaluare non connotat ſalutem, ſed ordinabilitatem ad ſalutem. Velle autem conſequenter, ſiue abſolutè ſaluare, eſt velle dare ſalutem ei, quem præſcit ad ſalutem peruenturum, & ſuum auxilium & gratiam, & connotat ſalutis euentum, & ſic non eſt dicere quòd Deus non velit omnes homines ſaluos fieri.* Habent hîc Ianſeniani, ſi qui ſint intelligentes, in quo æſtuent. nam non video quid diuiniſſimo illi Doctori reſpondere poſſint. deſinant porrò, nî mortalium omnium iniuſtiſſimi videri malint, maledictis ſuis Molinam inſectari, cùm nihil dicat à Bonauenturâ priùs non di-

ctum. *Huic autem reſponſioni*, inquit laudatiſſimus is Doctor, *magis conſonant magiſtri, quamuis vtraque bona ſit.* Si vtraque Bonauenturæ placet, altera quæ noſtra eſt, cuique *magis conſonant magiſtri*, immeritò damnatur ab Aduerſario, qui vel calumniator habendus, quòd illam reſponſionem, quæ viri tam probati ſit, faciat hæreticam, vel ipſe Bonauentura cum magiſtris doctoribúſque æui ſui Semipelagianus eſt habendus; cum quo malim errare, quàm cum homine tam nouo, & tam ſibi fidenti bene ſentire.

Articvlvs VI.

Eccleſiæ vniuerſæ doctrina ſuper inſtituta quæſtione.

CVM vim faciant maximam ſancti Patres in Scripturæ, traditioníſque auctoritate, vbi quid diſceptatur; priuſquam eos profero, quid cùm ex Scripturâ, tum ex traditione haberi poſſit, breuiter propono. Vt autem prædeſtinatos, de quibus nulla inter nos, & Caluinianos eſt controuerſia, prætermittam; quæro vtrum pro omnibus omnino reprobis hominibus Chriſtus mortuus fuerit. In eo enim totius diſceptationis illius ſumma vertitur; & an Deus quantùm in ſe eſt, eorum ſalutem velit.

Ad illius autem quæſtionis explicationem obſeruandum eſt imprimis, quatuor omnino reproborum ordines eſſe poſſe. Primus eſt eorum, qui in iuſtitia à Deo per Chriſtum accepta non conſtiterunt; qualis fuit nefarius proditor is, à quo Chriſtus Dominus datus eſt vænum acerbiſſimis inimicis ſuis. In eodem ordine ponendi videntur ij omnes, qui quidem fidem receperunt, ſed nunquam perfectæ iuſtificationis gratiam ſunt conſequuti. Alter eorum eſt, qui verbum diuinum audientes non crediderunt; quales fuêre peruicaces illi, obſtinatíque Iudæi. Tertius eorum, ad quos Dei verbum non peruenit, cuiuſmodi ſunt plerique qui in extremo orbe in ſyluis, rupibúſque deſertiſſimis habitant Barbari. Quartus eſt denique puerorum illorum infantium, quibus vel abortiuis, vel recentibus à partu, improuiſo fato ereptis baptiſmus conferri non potuit.

Digitized by Google

Manifeſtum eſt primò, Chriſtum non pro ſolis electis eſſe mortuum, ídque catholicæ fidei dogma ab omnibus haberi, adeo vt is verè, propriéque mortuus ſit pro quibuſdam reprobis; quod à Synodo Tridentinâ ſeſſ. 6. cap. 2. & 3. iis verbis eſt definitum: *Hunc*, videlicet Chriſtum, *propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi. verùm etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed ij duntaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur.* Explicat videlicet Synodus illum locum epiſt. 1. Ioan. cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* quæ verba tametſi non obſcurè ſignificent nullum eſſe omnino peccatum, vel peccatorem, cui expiando propitiator Chriſtus non venerit; quia tamen reipsâ non omnes liberat, ideò Synodus inſinuat Chriſtum pro nonnullis, qui mortis illius beneficium non recipiunt, eſſe mortuum. Sanè cùm omnes prædeſtinati beneficium mortis Chriſti non quodlibet, ſed eximium illud, quod eſt vita æterna, recipiant; præter illos oportet alios ſupereſſe, pro quibus Chriſtus ſe morti deuouerit.

Manifeſtum eſt ſecundò, iiſdem verbis ſignificari pro omnibus omnino hominibus, ipsíſque adeò paruulis Chriſtum mortuum. Nam primi, ſecundi, & tertij ordinis reprobos, vt poſtea erit oſtendendum, aliquâ ex parte redemptionis à Chriſto factæ liquet eſſe participes. Neque enim primam illam gratiam vel vocationis, vel iuſtificationis, niſi vi meritorum Chriſti obtinere potuerunt, quod ab eodem Concilio eadem ſeſſ. cap. 5. ſi quis dubitationi relictus eſſet locus, ſatis ſupérque declaratum eſt. Quapropter ſi præter triplicem illum reproborum ordinem, cum quibus mortis Chriſti beneficium communicatur, ſint & alij, pro quibus mortuus eſt, eos oportet eſſe pueros infantes, ad quod genus duntaxat vnum nulla tanti beneficij pars perueniat, cùm tamen peruenire poſſit; cùm Chriſtus per ſeſe paratus ſit, vt fructum mortis ſuæ cum illis communicet, quod ideò non fit, quia ponitur impedimentum ab eo, cui id muneris offertur.

Nam in omni diuinæ gratiæ dono duplex cauſæ genus con-

conſiderari debet; efficientis alterum, alterum verò recipientis, ſiue materialis. Nullus autem eſt defectus ex parte cauſæ efficientis, adeóque ſi quid eſt impedimenti, illud ex parte recipientis eſſe neceſſe eſt. Quamuis autem Deus ſinat illa cauſarum ſecundarum impedimenta, quæ poſſet tollere, nec facit, non propterea cenſeri debet nolle effectum qui impeditur, cùm poſſit eum velle voluntate antecedente, non verò conſequente, cuius proprius eſt effectus gratia acceptata, & recepta, non verò oblata, quæ voluntatis antecedentis effectus eſt.

Eandem etiam doctrinam colligo ex cap. 6. eiuſdem ſeſſ. vbi qui præparantur ad iuſtitiam, dicuntur *credere vera eſſe, quæ diuinitùs reuelata, & promiſſa ſunt, ac imprimis dum peccatores ſe eſſe intelligentes. .... ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Cùm enim complures reprobi verè iuſtificant, vt contra Caluinum docent cum Tridentino Catholici omnes, iidem credunt, tanquam quid diuinitus reuelatum ac promiſſum, Deum ſibi fore propitium propter Chriſtum, qui proinde pro illis mortuus cenſendus eſt. Neque verò in illa reuelatione, promiſſionéque, vlla fit mentio prædeſtinationis, ſed tantùm à Deo *iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* qui niſi pro illis mortuus ſit, non video quomodo id intelligi queat.

Eò accedit, quod nihil frequentius habeatur tum in omni paſſim Scripturæ contextu, tum etiam in ipſis, quæ ſolent ab Eccleſia vſurpari, precibus, quàm *Deum nolle mortem peccatoris, ſed potiùs vt conuertatur, & viuat,* eundem omnium redemptorem, ſeruatorémque, illúdque vt plurimum inculcari nobis, ex cap. Sap. 11. petitum, *Miſereris omnium quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, diligis enim omnia quæ ſunt.* tum & illud ex eodem loco ſumptum, *Parcis omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas*, quæ ratio quoſcumque homines complectitur. vnde colligi poteſt, quomodo demùm Deus ex ſeſe erga homines ſit animatus, quantùm in ſe eſt, eos amet, iiſque benè velit, neque proinde, quod fruſtra nobis perſuadere contendit cum omni Caluinianorum familiâ, Ianſenius,

Deum quorumdam eſſe oſorem, eóſque perdere velle, quod cap. 12. lib. Sap. repugnare omnino videtur. ſic enim habet: *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti? non enim eſt alius Deus, quàm tu, cui cura eſt de omnibus ... virtus tua iuſtitiæ initium eſt, & ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.*

Infinita ſunt eiuſmodi alia Scripturæ loca mihi, ne ipſe infinitus ſim, neceſſariò omittenda, quibus Deus omnium hominum ſalutem velle dicitur, quod nonniſi poſt fatalem generis vniuerſi ruinam intelligi poteſt, cùm de Angelis reprobis nunquam ita loquatur Scriptura. Quid dicam de crebris illis expoſtulationibus, quibus Chriſtus tam ſæpe de peruerſo Iudæorum animo conqueritur, eâdémque operâ conteſtatur, ſe nihil prætermiſiſſe eorum, quæ ſuarum eſſent partium, pro ſalute eorum procurandâ, ſed per eos tantùm ſtetiſſe, quominùs id perficeretur? Hîc verò notari velim quod ſcienter admodum obſeruatur à Petauio tom. 1. Dogm. theol. lib. 9. cap. 10. in ſalutis noſtræ procuratione eſſe nonnulla, quæ Deus per ſe ſolum efficiat, cuiuſmodi eſt inſtituere media noſtræ ſalutis, qualia erant Sacramenta legis naturalis, ſcriptæ, & nouæ, adultis gratiam, & ea auxilia, quibus illi reſpondere liberè poſſint, offerre, adminiſtraréque; alia verò, quæ nonniſi adhibito cauſarum creatarum miniſterio faciat. Talis eſt Sacramentorum, aliorúmque mediorum ſalutis applicatio, gratiarum diuinarum vſus, receptio gratiarum, iuſtificatio. De prioris generis auxiliorum acceptione, intelligendæ voces illæ ſparſæ paſſim in ſcripturis, Iſaiæ cap. 5. *Quid debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* Ierem. cap. 51. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Matt 23 *Quoties volui congregare filios tuos .. & noluiſti.* 1. Timot. cap. 4. *Deus omnes homines vult ſaluos fieri.* Ezech. cap. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij?* Quæ & pleraque in hanc ſententiam alia de voluntate Dei erga hominum ſalutem, antecedente, vt dictum eſt antè, ſumenda ſunt, non verò de conſequente, quæ ſemper media ſecundi generis complectitur, vt patet ex dictis de vtraque Dei voluntate.

Animaduertit præterea idem Petauius eodem loci, Deum

ſi poſito peccato originali, nonnullis omnia ſalutis adiumenta & præſidia neceſſaria neget, non modò non illos amare, ſed odiſſe plurimùm, cùm amare ſit bonum velle efficienter, adeóque illud quantum in ſe eſt efficere, quod à memoratis Scripturæ locis prorſus videtur eſſe alienum.

ARTICVLVS VII.

Patrum antiquorum in hanc ſententiam admirabilis conſenſio.

QVIS in vniuerſa illâ quæſtione de voluntate Dei erga ſingulorum hominum ſalutem, déque fructuoſiſſima omnibus Chriſti morte, Patrum antiquorum ſenſus fuerit, laudatus ſuprà Petauius tom. 1. Dogm. theol. lib. 10. cap. 4. & 5. & tom. 4. parte 2. lib. 12. cap. 1. & ſequentibus, tam diligenter perſecutus eſt, vt operam perdiderim, ſi quid in ea parte ad hominis tam accurati diligentiam addere me poſſe putem. Quapropter illius veſtigiis, quantùm mihi fas eſt ſic inſiſtam, vt eas Patrum ſententias, quæ è noſtra re magis eſſe videbuntur ſelectas, breuiter perſtringam.

Nihil dicam de Græcis, Latiníſque compluribus, quos Ianſenius, cum Caluinianis, hæreſis Semipelagianæ ſuſpectos habet. Nam Eccleſiam Græcam primis temporibus aiunt in rerum, de quibus diſputamus, ignorantiâ miſerrimè iacuiſſe; quæ calumnia quàm iniuſta ſit, aliorum eſto iudicium. Certè non poteſt optimo cuique non videri mortalium iniquiſſimus Ianſenius, qui contaminatiſſimo ſpiritu ſpargat maledicta in doctiſſimos quoſlibet, ſanctiſſimóſque priorum temporum viros, eóſque notet erroris, ſi ſibi ipſi ſuper ea re repugnent.

Nec verò omittere poſſum, quod habet apud Petauium Clemens Alex. l. 7. Strom. pag. 505. Deum videlicet qui noſtri cauſa carnem aſſumpſit, eſſe omnium Dominum, & omnium curam habere, quia eſt ſaluator omnium. Non enim aliam affert cauſam, cur Dominus ſit omnium, adeóque iudex futurus, quàm quia omnium ſalutis curam habuit, *quia eſt ſaluator omnium.*

Cyrillus Alex. lib. 2. in Iſaiam tom. 3. illud dictum Pauli *vult omnes ſaluos fieri*, ſic interpretatur, vt voluntas illa pertineat ad vniuerſos. Cui conſentit Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 270. quia, inquit, Deus vult omnes ſaluos fieri, idcircò ad eos mittit qui remedium adhibeant, licèt non ignoret fore, vt illi morbo intereant; id autem eum facere, vt omnem eis excuſationem eripiat, & hunc fructum conſequatur, quòd ſuas partes ipſe obierit. Ita quoque Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Euthymius, Aſterius, Baſilius, Cyrillus Hieroſolym. Gregorius Nazianz. quanti quámque omni doctrinæ, pietatíſque laude illuſtres viri! ita cætera totius Orientis lumina cùm de Deo, tum de Chriſto ipſo ſumma animorum conſenſione pronuntiarunt.

Sed cæteris omnibus Patribus prætermiſſis, vnum habeo, in quo tanquam in teſte omnium locupletiſſimo prorſus acquieſcam. Is eſt Cyprianus vir magni apud omnes Catholicos nominis, exploratæque virtutis, qui lib. 3. epiſt. 3. ad Fidum negat pro baptizando infante, octauum diem eſſe expectandum, quemadmodum Fidus exiſtimabat. Hìc appello gregem omnem Ianſenianorum, vt, ſi modò animum colligere, ſéque ab præiudicatâ opinione ſuſtinere queat, intelligat aliquando ab Cypriano quis antiquorum Patrum de re propoſita ſenſus fuerit. Nam teſtimonium affero Concilio 66. Epiſcoporum, ipſiúſque Auguſtini auctoritate confirmatum, quod ſic habet. *Vniuerſi iudicauimus nulli hominum nato miſericordiam Dei, & gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat: filius hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſaluare: quantùm in nobis eſt, ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt.* Non ita perditi ſunt, opinor, furioſíque Ianſeniani, qui negent in procuranda infantium ſalute omnem diligentiam ſedulò adhibendam, nihílque operæ parcendum.

At ſi quæras à Cypriano, quamobrem nos ita animatos eſſe oporteat, reſpondebit, nullam animam, quantùm in nobis eſt perdendam, quia nullam Chriſtus perdere voluit. Nam addit Cyprianus: *quid enim ei deeſt, qui ſemel in vtero Dei manibus formatus eſt.* An amor Chriſti? abſit vt deſit id, quod primum adeſſe debet, nam *eſſe apud omnes*, inquit,

Digitized by Google

ſiue infantes, ſiue maiores vnam diuini muneris æqualitatem, declarat nobis diuinæ Scripturæ fides. Agit nimirum de communi illa in omnes beneuolentiâ, cùm ſit & quædam alia peculiaris, quæ non omnium eſt: tum factum Elizæi ſeſe demortui infantis artubus aptantis, docet fuiſſe Chriſti figuram omnibus hominibus ſe applicantis. *Illic*, vt ait, *qualitas diuina, & ſpiritalis exprimitur, quòd pares, atque æquales ſint omnes homines, quando à Deo ſemel facti ſunt.* Rem etiam magis explicat, ne quid contortè, obſcuréque dictum ſit. *Nam Deus vt perſonam non accipit, ſic nec ætatem, cùm ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ conſecutionem æqualitate librata præbeat patrem.* (*parem* legunt nonnulli) tum breuiter ſententiam ſuam proponit, & ita clarè, vt qui dubitet, nullus eſſe poſſit. *Et idcircò frater chariſſime, hæc fuit in Concilio noſtra ſententia, à baptiſmo, atque à gratia Dei, qui omnibus miſericors, & benignus, & pius eſt, neminem per vos debere prohiberi.* Quòd ſi Deus omnibus miſericors, benignus, & pius eſt, quemadmodum teſtatur Cyprianus, quî demum fieri poteſt, vt aliquorum ſalutem nolit, vt contendit Ianſenius?

Hoc porro Cypriani teſtimonium quo loco habendum ſit, vel ex eo manifeſtum eſſe poteſt, quòd ſexaginta ſex Epiſcoporum ſimul congregatorum auctoritate confirmatum eſt, tantúmque in eo ponderis ineſſe putat Auguſtinus, ac momenti, vt lib. ad Bonifac. 4. cap. 8. illud afferat, laudétque tanquam maximè Catholicum; neque id ſemel, ſed iterum lib. 3. de remiſſ. pec. c. 5. obſeruat illud Concilium inſtitutum eſſe ad quæſtionem à Fido de paruulis ante diem octauum baptizandis propoſitam ſoluendam. Quid autem de illius definitione cenſet Auguſtinus? Is nimirùm cuius nomen tam magnum eſt, vt eſſe debet, in ſchola Ianſenianâ; neque propterea reclamabit credo, tanto Doctori, ſic de Cypriani, Conciliíque totius ſententia ſtatuenti: *eum protuliſſe* (inquit) *hæc documenta ſine vlla diſceptatione certiſſima ex antiqua, & indubitata fidei regulâ.* quòd ſi qui ſint è Ianſenianis, qui Auguſtinum ita ſibi repugnantem, ſuum eſſe prædicent, næ illi videbuntur parùm conſiderati.

Digitized by Google

Ad Cyprianum poteſt accedere Ambroſius, qui, quo in pretio fuerit apud Auguſtinum, non ignorant vel ipſi doctrinæ Auguſtinianæ rudes, & ignari. Is quoque lib. 2. in Luc. c. 2. de aduentu Magorum, *de via, quæ ducit ad regnum, déque patria cæleſtis æterno habitaculo. Non electis*, inquit, *tantùm præmia iſta propoſita ſunt, ſed etiam omnibus, quoniam omnia & in omnibus Chriſtus.* Quæ ſunt verba Apoſtoli Coloſſ. 3. ad inſtitutum noſtrum mirum in modum accommodata. Ibi enim, vt ait Paulus, in Chriſto *non eſt gentilis, & Iudæus, barbarus, & Scytha, ſeruus, & liber. Sed omnia in omnibus Chriſtus.* Conſpirant cum Ambroſio in loci iſtius expoſitione, Aquinas, Oecumenius, Tirinus, Salmeron, Iuſtinianus, & alij quamplurimi, qui rectè notant Paulum hac vti ratione, vt nos ad mutuam charitatem cohortetur, quam cùm ad omnes nemine planè excepto habere debeamus, manifeſtum eſt ex parte Chriſti neminem quoque excipi debere, alioqui eius cohortatio minùs conſentanea videretur.

Idem verò ſuprà memoratus S. Pater lib. 2. de pœnit. c. 5. *Bonum*, inquit, *Dominum habemus, qui velit donare omnibus*, quod de ipſo Iudâ mortalium perditiſſimo, déque Simone mago intelligendum docet. & lib. 2. de Abel, & Cain cap. 3. *Ipſe qui pro ſalute vniuerſorum expectatus aduenit, pro me eſt vtero editus virginali, pro me oblatus, pro me guſtauit mortem, pro me reſurrexit, in quo omnium hominum ſuſcepta eſt redemptio, aſſumpta eſt reſurrectio.* Hinc patet Ambroſium, non aliâ de causâ ſperare ſe in Chriſtum, quàm quia credit eum pro ſalute vniuerſorum veniſſe; quam ſpem impij Caluini ſimul & Ianſenij doctrina videtur funditus labefactare: tum de Deo hæc ſubiicit: *Videbat laborantes non poſſe ſine remedio ſaluari, & ideò medicinam tribuebat ægris; Ideò omnibus opem ſanctitatis detulit, vt quicumque perierit, mortis ſuæ cauſas ſibi aſcribat, qui curari noluit, cùm remedium haberet, quo poſſet euadere; Chriſti autem manifeſta in omnes prædicetur medicina, eo quòd ij qui pereunt, ſuâ pereant negligentia; qui autem ſaluantur, ſecundùm Chriſti ſententiam liberentur, qui omnes homines vult ſaluos fieri.* An erit præterea tam durum in toto, illo Ianſenianorum grege,

Digitized by Google

támque ferreum caput, quod dictorum Ambroſij vis & acies non perfodiat?

Hæc porrò idem habet lib. 1. de Iacob cap. 6. *Vereris dubios vitæ anfractus, & aduerſary inſidias, cùm habeas auxilium Dei, habeas tantam eius dignationem, vt Filio proprio pro te non pepercerit? Pulchro verbo vſa eſt Scriptura, vt Dei Patris erga te pium propoſitum declararet, qui ſe morti pro te totum obtulit. Quod in Patre fuit nihil ipſe reliquit;* & cætera quæ fuſiùs ibi proſequitur. additque mirè ſubiectum ab Apoſtolo Rom. 8. *Chriſtum pro nobis omnibus tradidit illum*, Pater nimirum, *vt oſtenderet quòd ita omnes diligat, vt dilectiſſimum ſibi filium pro ſingulis traderet.* Quiddam habet iis non abſimile in enarr. Pſ. 72. *Venit Dominus Ieſus, vt ſaluum faceret, quod perierat. Venit enim, vt peccatum mundi tolleret, vulnera noſtra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, ſed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis vlceris; ideò volentes curat, non adſtringit inuitos ..... Pulchrè autem Apoſtolus, vt præmiſimus, explanauit, quia & omnibus bonus eſt Deus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & maximè fidelibus diuinæ pietatis prærogatiua ſeruatur, quibus & voluntas Dei opitulatur, & gratia.*

Neque multùm abhorret ab Ambroſio Hieronymus in cap. 63. Iſaiæ. *Quòd ſi* (inquit) *prudens lector tacita cogitatione reſponderet, quare multi non ſunt ſaluati, ſi ipſe ſaluauit eos, & dilexit, & pepercit filiis ſuis, & redemit eos ſanguine ſuo, ſuſcepítque & exaltauit aſſumptos? Infertur cauſa perſpicua. Ipſi autem non crediderunt, & exacerbauerunt Spiritum ſanctum eius ... voluit itaque Deus ſaluare cupientes, & prouocauit ad ſalutem, vt voluntas haberet præmium, ſed illi credere noluerunt ... nec ſtatim in culpa eſt, ſi plures credere noluerunt, ſed voluntas venientis hæc fuit, vt omnes crederent & ſaluarentur.* Ite nunc Ianſeniani, & hæc tot clariſſimorum virorum, qui primis Eccleſiæ ſæculis, cum tanta doctrinæ, ſanctimoniæque famâ floruerunt, pronuntiata, vel Moliniſtarum commenta, vel reſponſa Pelagianorum, quæ veteres cantilenæ veſtræ ſunt, in infimum vulgus ſpargite. Nam nunquam poteritis perſuadere doctis, & ſapientibus, Hieronymum fuiſſe aliquando Pelagianum, qui primus om-

Digitized by Google

nium Pelagium tam grauiter, & acerbè fuit inſectatus.

Quid commemorem Paulinum, cui res fuit cum Auguſtino tam frequens, támque familiaris? Sic enim ille epiſt. 2. *Qui nos illò vocat, vbi ſedet ad dexteram Dei in gloria Patris, omnibus dicit; venite ad me onerati, & laborantes, & inuenietis requiem animabus veſtris; omnem enim, quantùm in ipſo eſt hominem ſaluum fieri vult, qui fecit omnes. Nam idcirco deſcendit ad nos.* Attendis Corneli? *quantum in ſe eſt*, quod tam præfractè negas. Illud eſt nimirùm in quo tantopere vexas miſeros illos Pelagianos, vt eos qui tibi aduerſantur, hac ſuſpicione grauare malitiosè queas? vide ne quid ſecus dicas de Leone viro ab omni eiuſmodi errore ita abhorrenti, cùm tamen afferat ſerm. 1. de nat. Dom. *Quod vna cunctis lætitiæ eſt ratio, quia Dominus noſter peccati mortíſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et ſermon. 1. de paſſ. quàm clarè rem definit cap. 4. *Mortuo pro omnibus impiis Domino, potuiſſet etiam fortè hic* (Iudam intelligit) *conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum.* Et ſerm. 6. quod Ioan. 12. dicitur, *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me, Id eſt*, inquit, *totam cauſam humani generis agam, & olim perditam in interitum reuocabo naturam, in me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur.* Quam porro in partem conuertat ſeſe heſternus homo noſter totius antiquitatis auctoritate oppreſſus, non ſatis diuinare poſſum. nam puerile eſt ac ineptum, ne quid acerbius dicam, eos Patres quos pro iure ſanè quidem meritiſſimo, omnis Eccleſia colit, ac veneratur, in Pelagianæ hæreſis ſuſpicionem vocare velle.

ARTICVLVS VIII.

Auguſtini doctrina à noſtra non abhorret.

VIDES, quò res tibi redierit Corneli? vix vnum iam habes ex antiquis Patribus, quem pro te ſuggeras, cùm tamen omnium ſuperiorum ætatum auctoritatem tanta cum oſtentatione tibi vindicares. At quia ſentio te præ-

Digitized by Google

præſertim hærere in Auguſtino, in quo mirum quàm confidenter gloriaris, & exultas; nullam cauſam dico, quin me profligatum putes, nî te quamprimùm ab illa munitiſſima arce, quam credis inexpugnabilem planè deturbem. Ne quis autẽ locus vel errori ſit, vel fraudi, animaduerſo eſt opus, Auguſtinum in tota illa, quam habuit cum Semipelagianis, cõtrouerſiâ, hanc præſertim dare operam, vt prædeſtinationem probet eſſe gratuitam, cùm ſecùs ſentirent Semipelagiani; neque proinde Deum ex æquo velle omnium ſalutem; gratiámque ipſam, quemadmodum contendebant illi, pro meritis minimè dari. Vnde non mirum ſi in iis Scripturæ locis, quæ generale Dei erga omnium ſalutem ſtudium ſignificant exponendis, præcipuè interpretationem illam acceperit, quæ eſt de eâ Dei prædeſtinantis voluntate, quam Theologi vocant conſequentem. Ex quo fit, vt poſtquam Pelagium fateri coëgerit, boni *poſſibilitatem* eſſe nobis à Deo gratis conceſſam, lib. de nat. & grat. deinceps totus ſit in aſſerendâ gratiâ, & adiutorio *voluntatis, & actionis;* quod ſemper ad agendum volendúmque efficiens ſit, ac nunquam deficiat, quod vtrumque negabat Pelagius.

Deinde id vnum ſpectabat contra Semipelagianos, vt oſtenderet gratiam primam, quam fidei, & poſtremam, quam perſeuerantiæ finalis vocat, non dari pro cuiuſcumque meritis, vt patet ex lib. de prædeſt. SS. & de dono perſeu. ac præſertim poſtremi illius cap. 1. 20. 21. & vltimo; eamobrem prudenter admodum illâ Scripturæ expoſitione potiſſimùm vſus eſt, quæ tantùm pertinet ad electos. Neque enim quicquam in aduerſarios vnquam potuiſſet efficere, ſi aliorſum rem accepiſſet.

Nam cùm duplex ſtatuatur à Theologis in Deo circa ſalutem hominum voluntas; altera quæ ſit antecedens; altera conſequens; factum eſt, vt quæ Scripturæ loca Patres interpretantur vt plurimùm de voluntate antecedente, quæque ad hominum genus pertineat vniuerſum, Auguſtinus, quando rem habuit cum Semipelagianis, qui voluntatem Dei pro omnium ſalute faciebant ab omni parte æqualem; ea in anguſtum magis deduxerit, quod ſtatim arripit Aduerſarius, & in eo triumphat. parùm conue-

Digitized by Google

nienter; nam vt acceptiones locorum iſtorum ab Auguſtino factæ, ad ſolos electos referuntur, ſunt de voluntate Dei conſequenti intelligendæ, quod erat faciendum contra Pelagianos, Semipelagianóſque; neque tamen propterea ſenſum illum vniuerſaliorem datum à Patribus exiſtimauit eſſe reiiciendum, cùm ipſe, & Deum etiam reproborum ſalutem, quantum in ſe eſt, velle efficaciter, & Chriſtum pro omnibus mortem oppetiiſſe non obſcurè profiteatur Auguſtinus. quæ duo ſi demonſtrauero, non ampliùs habebit, opinor, Aduerſarius, cur Auguſtinum ſibi vindicare poſſit.

Diſputat autem ea de re potiſſimum epiſt. 107. in Enchir. cap. 95. & ſequentibus, lib. 4. contra Iulian. c. 8. lib. de correp. & grat. c. 14. & 15. At in epiſtola illa 107. poſtquam ita explicuit illud 1. Timoth. cap. 2. *Quia omnes qui ſalui fiunt, niſi ipſo volente non fiunt.* Addit, *& ſi quo alio modo illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt, vt tamen apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos* (eſt mentio de paruulis vt apparet ex ſuperioribus) *volentibus hominibus, ſed Deo nolente ſaluos non fieri, contraria eſſe non poſſint.* Non ergo damnat noſtram de voluntate Dei antecedente expoſitionem, quemadmodum contendit Ianſenius, ſed eam tacitè probat, quam illis dictis non eſſe contrariam Patres à me laudati, Doctoréſque manifeſtiſſimè declarant.

Eandem quæſtionem fusè tractat in Enchir. à cap. 95. vſque ad 100. & præſertim de hac Pauli ſententia diſputat, vt propoſitæ cap. 95. difficultatis nodum ſoluat, *Quàm certa,* inquit, *& immutabilis, & efficaciſſima ſit voluntas Dei, quàm multa poſſit, & non velit, nihil autem velit quod non poſſit, quámque ſit verum, quod in Pſalmo canitur, omnia quæcumque voluit fecit. Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit, & quod indignius eſt, ideò non fecit quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Quæ omnis oratio partim de voluntate Dei conſequenti eſt accipienda, partim de antecedenti: cùm illa abſoluta ſit, ſuúmque ſemper effectum obtineat, de qua hæ Dauidis voces ſunt intelligendæ, *quæcumque voluit fecit,* hæc verò conditionata, qua quidem Deus revera vult, ídque non fit, eo quòd ſub certa, ratá-

Digitized by Google

que conditione velit; quæ ſi defuerit, deſtinatæ efficientiæ nihil admodum conſequatur, ſic tamen vt *Dei voluntas non ſit ſuperata hominum voluntate*, ita quippe fert illius orationis contextus. *Nam voluntati eius quis reſiſtit? quia nolente Ieruſalem filios eius Deus collegit, quos voluit.* Et cap. 100. *Hæc ſunt magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, & tam ſapienter exquiſita, vt cùm Angelica, & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quòd ille, ſed quòd ipſa voluiſſet, feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod creator noluit, impleret ipſe, quod voluit, bene vtens & malis tanquam ſummè bonus..... Quantùm enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit fecerunt, quantùm verò ad omnipotentiam Dei, nullomodo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipſo quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas eius. propterea namque magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam fit contra eius voluntatem, quia non fieret, ſi non ſineret; nec vtique nolens ſinit, ſed volens. nec ſineret bono fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene.*

Quibus docet Auguſtinus, cùm quis peccat, hunc facere quod ipſe vult, non quod Deus vult, nec illud modò, ſed quod Deus non vult, adeò vt id fiat contra aliquam eius voluntatem. Cùm enim aliud ſit Deum non velle aliquid, aliud eum nolle, non tantùm Deo non volente, ſed etiam nolente peccatum fit, & contra eius voluntatem. Nam ea voluntas fieri non dicitur, contra quam quidpiam fit. Ex quibus manifeſtum eſt ipſo auctore Auguſtino aliquam eſſe in Deo voluntatem antecedentem, quæ ſuum non conſequatur effectum, neque quicumque hanc Auguſtini orationem attentè conſiderauerit, id poterit inficiari.

Sed quæ ſequuntur ex cap. 104. petita minùs etiam obſcurè voluntatem antecedentem, & conditionatam in Deo ponendam perſuadent. *Quod Deus*, inquit, *Adamum in ea ſalute in qua conditus erat cuſtodire voluiſſet, & ad meliora perducere, ſi ad permanendum ſine peccato ſicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum eſſe præſciſſet*: & in cap. ſuperiori nimirum 103. docet Deum velle omnes homines ſaluos fieri, quamuis aliunde compertum ſit non omnes ſaluari,

Digitized by Google

non *propterea tamen debemus*, inquit, *omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare;* ideóque plures pronunciati illius expoſitiones, à me alio in loco memoratas proponit, quæ pertinent omnes ad conſequentem Dei voluntatem, quam vult eſſe *omnipotentiſſimam.* qui locus conſuli poterit ab otioſis, iíſque præſertim, quibus nihil ægrius, quàm vt id credant.

Quorum iam mihi videre videor non neminem, qui diuerſos ab iis quos affert ſenſus hoc loco Auguſtinus, ab eodem tanquam Pelagianos lib. 4. contra Iulian. cap. 8. damnari contendat. Sed quàm parùm prudenter, ac conſideratè, conſequens oratio prompta ex eo loco contra Iulianum, ſatis poteſt declarare. *Sed ponis* (verba ſunt Auguſtini ad Iulianum) *Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes vult ſaluos fieri ..... vt videlicet intelligamus docentibus vobis, ideò non omnes ſaluos fieri .... quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare ..... ſed hunc veſtrum ſenſum infantes illi ipſa ſua taciturnitate conuincunt, qui nec petunt.* Ex quibus liquet quod ſit Auguſtini inſtitutum, non aliud, opinor, quàm vt confutet Pelagianos, ipſúmque cum primis Iulianum, quòd neminem ſaluum fieri affirmarent, niſi qui velit; quod in pueris infantibus liquidò falſum eſt. Tum verò vbi ratione tam manifeſta eorum errorem peruicit, pergit porrò illud dictum Apoſtoli ſic exponere, *ita vt omnes poſiti ſint pro multis*, quos ad iſtam gratiam Deus venire vult, *voluntate* nimirum *omnipotentiſſimâ*, quemadmodum ipſe eodem in loco illam appellat, cuíque reſiſti non poteſt, quòd conſequens, abſolutáque ſit, non verò illa antecedens quæ à quibuſdam conditionibus pendeat.

Poſtremò locus eſt lib. de correp. & grat. cap. 14. & 15. à quo non parùm lucis rei noſtræ poteſt accedere. ita habet præſertim cap. 14. *Sic velle & nolle, in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his enim quæ faciant, quæ non vult, facit ipſe quæ vult.* Quæ ſatis ſignificant eſſe voluntatem in Deo, quæ impediri poſſit, cùm fit id quod non vult, eámque nullam aliam eſſe poſſe quàm antecedentem, cùm de conſequente certum ſit eam nec impediri, nec ſuperari.

Digitized by Google

Quæ prompta ab Auguſtino eò pertinent vniuerſa, vt expoſitionem illam communi Patrum memoratorum ſuffragio comprobatam, ab Auguſtino minimè damnari vt Pelagianam demonſtrent, cùm ea ſola Pelagiana habeatur ab Auguſtino, quæ voluntatem Dei circa hominum ſalutem, ab eorumdem hominum voluntate faciat eſſe quodammodò ſuſpenſam. Idque vnum contra Pelagianos ab Auguſtino caueatur, ne *omnipotentiſſima* Dei voluntas, quæ non alia eſt quàm conſequens, & abſoluta, vel fruſtrari, vel ſuperari dicatur. quod nemo noſtrûm inficiatur.

ARTICVLVS IX.

Quòd Deus velit nos pro communi omnium ſalute orare, argumentum eſt, eam velle voluntate antecedenti.

QVISQVAMNE erit bene ſanus qui veriſimile putet, Deum velle, vnumquemque noſtrûm orare pro vniuſcuiuſque ſalute, quam tamen ipſe nolit? nam quorſum orari ſe vult, niſi ſit ita affectus, vt quod oratur, id dare, quantum in ſe eſt, paratus ſit? Quòd enim pro omnium, ac ſingulorum ſalute ſe velit orari, ſatis manifeſtum eſt apud Auguſt. ſerm. 26. de diuerſ. cap. 15. & ſequentibus, *Diligendus*, inquit, *inimicus, & orandum pro illo, & bene illi faciendum: ita & primum præceptum implebis vt diligas proximum tuum hominem, & oderis inimicum tuum diabolum: & ſecundum, vt diligas proximos tuos homines, & ores pro eis qui te perſequuntur. Vis ergo & illud antiquorum cuſtodire præceptum? dilige proximum tuum, hoc eſt omnem hominem. ex duobus enim primis parentibus omnes nati, omnes vtique proximi ſumus.* tum addit, *quia patientia Dei inimicum ad pœnitentiam adducit*, &c. quæ eo loco in hanc ſententiam habentur, quibus ſignificat Deum erga omnes bene eſſe animatum, qui velit quoque nos etiam erga inimiciſſimos quoſque, & flagitioſiſſimos, quòd proximi noſtri ſint, eſſe bene animatos. Nam ſi quempiam nouiſſem Deo inuiſum, & Chriſto, illum diligere minimè tenerer; alioquin vanæ eſſent rationes, quibus Scripturæ, & Patres, nobis proximi etiam perditiſſimi cuiuſque dilectionem exemplo Dei, & Chriſti Domini commendare ſolent.

At miſſum facio illud, quod ab eo præcepto ſumitur, argumentum, neque vim in illo facio, quæ fieri poterat. hoc, modò contendo, quod me Deus gratiæ ſuæ donis eò adducat, vt paratus promptúſque ſim qui pro communi omnium ſalute orem, eam prorſus velle. Nam cur orari velit, ſi nolit exorari? quod vt liquidò oſtendam, pauca ſunt petita à D. Thoma de vi, atque efficientiâ orationis, eáque apud omnes Theologos certiſſima, ad diſputationem hanc breuiter præmunienda.

Imprimis obſeruandum, orationem hominis duplicem habere apud Deum vim, alteram meriti, alteram verò impetrationis, de quâ nobis in præſentia ſermo eſt inſtituendus. Nam vis meriti tota cadit in bonum ipſius orantis, cùm altera latiùs pateat, & ad alios pertinere queat.

Obſeruandum ſecundò ex S. Thoma opuſc. 7. quod eſt de oratione Dominica, *orationem eſſe efficacem & vtilem ad omnia deſideria obtinenda.* quod ex locis Scripturæ probat compluribus. Matth. c. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis.* & cap. 7. *Petite & dabitur vobis: quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur.* Marci 11. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Ioan. cap. 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.* Quorſum autem tot ad orationem cohortationes adhiberet Chriſtus, niſi quod oratur, dare in animo haberet? Qui tam crebras Chriſti promiſſiones in anguſtum deducit, is profectò Chriſto facit iniuriam.

Tertiò obſeruari debet, quatuor à Theologis requiri conditiones in oratione, vt idonea ſit quæ, quod orat, impetret. prima eſt, vt orans piè oret, ſecunda vt pro ſe oret, tertia vt conducant ad ſalutem, quæ petit; quarta vt in oratione conſtans ſit. Quas conditiones fusè explicat in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 7. & in 2. ſecundæ quæſt. 83. a. 7. D. Thomas: *Quæ omnes ſunt neceſſariæ*, inquit, *non ad effectum merendi, ſed ad indeficientiam impetrandi*, de quo poſtremo cùm iam nobis ſermo ſit, pauca ſunt quæ ab eodem S. Doctore cenſuerim notanda in illo art. 7. *contingere quandoque, quòd*

oratio pro alio facta non impetrat, etiamſi fiat piè, perſeueranter, & de pertinentibus ad ſalutem. Quod ait S. Doctor euenire, *propter impedimentum ex parte eius pro quo oratur.* vnde Toſtatus in cap. 7. Matt. quæſt. 18. ait, quòd *interdum malitia eius pro quo oratur, non permittit orationem exaudiri.* quibus ſatis declaratur ex parte Dei ipſius, & Chriſti nihil deſiderari, quod ad impetrandum neceſſe ſit.

Neque opponas ibid. ad tertium à S. Thoma dici, *orantes pro aliis non exaudiri pro peccatoribus omnibus, ſed pro quibuſdam*, prædeſtinatis nimirùm. Id enim Aquinatis dictum de ſalute ipſa, ac gloriâ eſt accipiendum, neque id aliter accipi poſſe manifeſtum eſt: quod ſi fiat, vt, quæ funduntur pro reprobis precationes, interdum non exaudiantur, id ex ipſorum reproborum parte, qui impedimentum aliquod ponunt, proficiſci ſolere.

At quid porrò impedimenti diuino muneri & gratiæ poni poteſt à puero adhuc infanti? ſed tantæ difficultati ſoluendæ ſuus paullò pòſt erit locus. Certè idem D. Doctor quæſt. 24. de verit. art. 11. ad 8. exponens illud Ioan. epiſt. 1. cap. vlt. *Eſt peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt quis oret*, docet non prohiberi quemquam *pro quibuſcumque peccatoribus in hac vitâ orare, ſed in verbis Apoſtoli inductis ſignificari, quòd non ad quemcumque pertinet pro obduratis in peccato orare, ſed ad aliquem perfectum virum, quia*, vt quæſt. 3. de malo art. 15. ad 3. ait, *non quicumque eſt tanti meriti, vt orando gratiam obdurato, & ex malitia peccanti impetrare poſſit, quia ſanatio talium, eſt quaſi miraculoſa: ſicut ſi diceretur pro ſuſcitatione mortui, non dico, vt oret quis pro eo, id eſt, quicumque: ſed aliquis magni meriti apud Deum.*

Quartò obſeruandum, licèt vis impetrandi maximè diuinâ miſericordiâ nitatur, nihilominùs non quælibet oratio, nec à quouis facta, & cuiuſlibet meriti apud Deum tantæ virtutis eſt, vt quidquid orauerit impetret, vt ſatis perſpicuum eſt ex poſtremis S. Doctoris verbis, cùm maximum pondus afferat ad impetrandum morum probitas, vitæque ſanctimonia, quæ non omnium eſſe ſolet. Verùm ſi conditiones omnes ad impetrandum requiſitæ ſimul concurrant, nihilque ponatur obicis, atque impedimenti, ab eo pro quo

ores, continenter impetrabis quod flagitas. Sed contingit vtplurimùm, quòd impedimentum ponatur ab eo, pro quo oratur, maius multo, quàm ſit orationis ipſius vis; quo fit, vt oratio ſuo effectu interdum deſtituatur.

Obſeruandum poſtremò, orationem cum certâ ſpe, ac fiducia id quod ad ſalutem pertinet impetrandi, ita debere eſſe coniunctam, vt hæc conditio ſi deſit, oratio eſſe non poſſit. Quæ porrò mihi ſpes eſſe poteſt, ſi ſemper pendeam animi, incertúſque ſim, an quod oro, in eorum numero ſit, quæ Deus nolit concedere? nam quid ſperem, niſi certus ſim Deum, id quod ſpero, donare non modò poſſe, ſed etiam velle? Ecquam verò in omne genus orationis, anxietatem inducunt Ianſeniani, ſi velint eſſe quæpiam, vt volunt, quæ nec Deus dare velit, nec fidelis queat obtinere? Quæ conſequetur ab illa doctrina ſolicitudo animorum, qui timores, quæ religio? Nam ſi ſpei firmitas quam oratio ferre debet præ ſe, à certiſſima prædeſtinationis vel fide, vel perſuaſione conſtare debet, vt aiunt, quotuſquiſque erit, qui quod habet Iacobus, poterit *orare cum fide nihil hæſitans?* Cùm doceat Trident. ſeſſ. 6. cap. 12. *Neminem quàmdiu in hac mortalitate viuit de prædeſtinatione vſque adeò præſumere debere, vt certò ſtatuat ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum: & ſimiliter*, inquit, *de perſeuerantiæ munere, nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceri debet, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent.*

Quòd ſi ita ſit, nihílque habeat fidelis penes ſe, in quo ſpem ſuam fundare poſſit, cùm ſpes aliquo fundamento niti debeat, vt firma ſit, reliquum eſt, vt in Deo ipſo collocetur, quod tamen non ſinunt Ianſeniani, illúdque ſpei noſtræ fundamentum planè labefactant, cùm Deum nolunt eſſe ita animatum, qui, quantum in ſe eſt, paratus ſit id non negare, quod oratur. quo ſublato fundamento, ſpes omnis ruat neceſſe eſt; quod cùm faciunt Ianſeniani, fiunt mortalium deſperatiſſimi, qui non modò ſibi, ſed & cæteris omnibus ſpem omnem eripiant. In quo mirum quantum diſcrepent à Patribus, qui ſecùs omnino exiſtimant; vt auctor nobis eſt 2. 2. quæſt. 83. art. 15. D. Thomas in hæc verba: *Oratio efficaciam impetrandi habet ex gratia Dei, quem oramus,*

qui

Digitized by Google

qui etiam nos ad orandum inducit. vnde Auguſtinus dicit in lib. de verb. Domin. ſermone 5. & 29. non nos hortaretur, vt peteremus, niſi dare vellet. quæ voces diligenter attendendæ. & *Chryſoſtomus dicit, nunquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant ſua pietate inſtigat.*

ARTICVLVS X.

Auguſtinus, Deum, cùm nos pro communi omnium ſalute orare iubet, eandem velle, arbitratur.

CELEBRE eſt imprimis dictum illud Auguſtini Enarr. in Pſ. 85. *Chriſtus orat pro nobis, vt ſacerdos noſter: orat in nobis, vt caput noſtrum: oratur à nobis, vt Deus noſter .... oramus ad illum, per illum, in illo* &c. *& dicimus cum illo, & dicit nobiſcum. Cùm dicimus in illo dicit in nobis ... ſi ſe in Chriſti corpore agnoſcit* (Chriſtianus) *vtrumque dicat, & Chriſtus dicit, & ego dico. non potes aliquid dicere ſine illo, & dicit aliquid ſine te.* Quod ſi ita habet, orat mecum Chriſtus, cùm me pro aliquo orare iubet, & facit: quod ſatis ſignificat Auguſtinus tract. 1. in epiſt. Ioan. *Inuicem*, inquit, *pro ſe omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.* quaſi velit membrum pro cæteris membris orare non poſſe, niſi caput, quod eſt Chriſtus, ſe auctoritatémque ſuam apud Patrem interponat.

Ibidem. *Sic dilige inimicos tuos, vt fratres optes. Sic dilige inimicos, vt in ſocietatem tuam vocentur: ſic enim dilexit ille, qui in cruce pendens ait, Pater ignoſce .... Mortem ſempiternam ab eis repellebat prece miſericordiſſima, & potentiâ præſtantiſſimâ. Multi ex eis crediderunt*, &c. Vides non omnes pro quibus Chriſtus moriens orauit, ſed multos duntaxat crediſſe. Vides nos non orare pro impiis, niſi vt quod ipſe Chriſtus fecit, faciamus, eúmque magiſtrum imitemur. Si etiamnum dubitas, audi eundem Auguſtinum ex tract. 5. in eandem epiſt. ... *Paratus ſis mori pro fratre. Perfecta iſta charitas eſt, vt paratus ſis mori pro fratre. Hanc in ſe Dominus ipſe exhibuit mortuus pro omnibus, orans pro eis, à quibus crucifigebatur, & dicens: Pater ignoſce .... ſed ſi ſolus hoc fecit;*

non erat magiſter, ſi diſcipulos non habebat. Secuti diſcipuli hoc fecerunt ... Stephanus amabat, à quibus occidebatur .... Tract. 84. *Diligamus inuicem, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ... cúmque ſic imitemur pia obedientia, vt ei nos comparare nulla præſumamus audacia.* quod haud dubiè facit Ianſenianus, ſi, quod debet, orat pro nonnullis, quos Chriſtus verè non dilexit. Taceo quod Tract. 92. *dicitur Chriſti ſanguis ſic in remiſſionem peccatorum omnium fuſus, vt ipſum etiam peccatum poſſet delere quo fuſus eſt*, eodem videlicet ſenſu, quo Ambroſius & Leo à me anteà laudati.

Quòd autem oratio noſtra per ſeſe ſit efficax, cùm aliorum causâ fit, idem docet ſerm. 5. de verbis Dom. vbi exponens illud, quod Matth. 7. habetur, *qui petit, accipit*, non tantùm ait, quod ex D. Thoma ſuprà retulimus, *hortatur vt petas, negabit quod petes?* ſed cap. 5. explicans, quod Luc. cap. 11. de eo qui hoſpitem ſuſceperat, cibum ab amico petit, & impetrat, quamobrem autem? propter improbitatem. *Ille*, inquit, *qui nolebat dare, quod petebatur, fecit, quia ille in petendo non defecit. Quanto magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur, vt petamus, cui diſplicet, ſi non petamus.* Eſt autem ſermo de oratione facta pro aliis, quia is, de quo mentio eſt, non pro ſe, ſed pro hoſpite ſuo panes petebat. Et ſerm. 29. cap. 1. *Chriſtus inter nos petitor, cum patre Doctor, non vtique nos tantùm hortaretur vt peteremus, niſi dare vellet. Erubeſcat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere .... Euigilemus, & hortanti credamus, promittenti obſequamur, & ad dantem gaudeamus.* Ibi verò loquitur de eo cui venerat amicus fatigatus, *de via mala, hoc eſt de vita malâ.* Quòd porro Deus nemini oranti ſe deſit, ſermone 71. de tempore declarat ſatis apertè Auguſtinus: *Quare timeant petentes egentiam, cùm nulli aliquando denegarit miſericordiam? Quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt?*

Tu verò Corneli, vide ſi quid habes, in quo te apud Auguſtinum purgare hoc in loco poſſis. Nam fœdè ab eo diſcedis, qui Deum non raro iuſtis etiam petentibus auxilium denegare tam fidenter aſſeueras. *Si pulſant, qui deſiderant caſtitatem, das eis continuò gratiam, & ſanctitatem,*

Digitized by Google

& dicit eis, nolite ambulare polluti, nolite incedere maculoſi, ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Nec mirum eſt fieri interdum, vt qui petunt caſtitatem, nihilominùs caſtè non viuant, non quia petitam à Deo caſtitatem non accipiant, ſed quòd cùm liberi ſint, ea impetratâ cùm poſſint vti, nolint. *Hoc amat ianua ſaluatoris, vt pulſatoribus ſemper abundet opportunis, importunis. Propterea ipſe Dominus videns ianuam ſuam à petitorum voce, à pulſantium clamore ſilere, inuitat omnes ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem:* quo in loco mentio habetur amici illius, qui pro hoſpite quem excepit, diuitem rogat, ea vti ſibi ſufficiat, quæ neceſſaria ſint.

At illum de oratione ex animi ſententia diſputantem epiſt. 121. ad Probam audiamus. Cap. 8. quærit, quid cauſæ ſit, cur Deus nos ita ad orandum inuitet, immo etiam compellat, cùm nihil illum latere poſſit eorum, quæ rem in noſtram ſint, quæque à nobis deſiderentur, etiam antequam quicquam petamus. Reſpondet verò, eum non *velle ſibi voluntatem noſtram innoteſcere .... ſed exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere, quod præparat dare.* Quibus oſtendit à Domino præparari, quod rogari vult. *Illud enim valde magnum eſt, ſed nos ad capiendum parui, & anguſti ſumus.* Deinde cap. 13. expoſita oratione Dominica, *Hæc,* inquit, *& pro nobis, & pro noſtris, & pro alienis, atque pro inimicis ſine fluctu dubitationis oranda ſunt.* Vnde porrò illa rei oratæ demùm obtinendæ certitudo conſtare poteſt, niſi ab ipſo Deo, qui nî paratus ſit, quantùm in ſe eſt, dare quod oratur, ſemper precationis hæſitationi locus erit relictus?

Ex quo conficitur Chriſtum Dominum non præcipere nobis, vt facit, nec dare, vt oremus pro omnibus etiam reprobis, eorúmque ſalute, niſi velit ipſe eos ſaluari, ea nimirum voluntate, quæ ſit antecedens, vt ſuperiùs fuit explicatum. Quod etiam ſatis declarat idem Auguſtinus lib. de cor. & grat. cap. 15. quo vno duntaxat loco dictum illud Pauli vult ita exponi poſſe, vt Deus omnes ſaluos fieri velit, quòd pro ſingulis præcipiat orari. *Singulos quoſque vt occurrerint cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, vt*

Digitized by Google

iuſtificati ex fide pacem habeant ad Chriſtum ... pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto reconciliari Deo. Quod poſtremum ſic interpretatur D. Thomas, vt pro Chriſto is oret, qui id ob eius amorem facit. Sic autem exponunt interpretes alij, vt eius nomine id faciamus, quemadmodum fieri ſolet à legatis, vt eorum magis, à quibus delegantur, perſonam agant, quàm ſuam. At vtramuis in partem res accipiatur, liquet Chriſtum, idem planè atque nos, velle; Neque enim id ob amorem eius volumus, niſi quod eum velle credimus, ſic vt voluntas noſtra cum illius voluntate conſentiens ſit. Si verò cùm quoſlibet hortamur, vt non nolint ſe ſaluos, Chriſti legatione defungimur, haud dubiè ab illius voluntate non diuerſi ſumus, cùm nihil rerum agat legatus, niſi vice illius à quo delegatur. Hîc verò vos quotquot Ianſenius de Dei erga omnes & ſingulos miſericordia minùs ſperare iubet, compellat Auguſtinus de agone Chriſt. cap. 11. *Erigat ſpem ſuam genus humanum, & recognoſcat naturam ſuam, & videat quantum locum habeat in operibus Dei. Nolite vos ipſos contemnere viri, Filius Dei virum ſuſcepit. Nolite vos ipſas contemnere feminæ, Filius Dei natus ex femina eſt ... O medicinam omnibus conſulentem .... Quis de ſe deſperet, pro quo tam humilis eſſe voluit Filius Dei?*

ARTICVLVS XI.

Chriſtum pro omnibus hominibus nemine excepto mortuum eſſe docet Auguſtinus.

TRACTAT hunc locum petitum ex cap. 5. ad Rom. ex inſtituto in lib. 6. contra Iulian. cap. 4. in hanc ſententiam. *Commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Hoc tu,* Iuliane, *dictum exceptis paruulis vis putari,* ita videlicet, vt reliquos omnes Iulianus intelligat, Auguſtinus ne vel ipſos paruulos excipi poſſe contendat. *Vbi ſi abs te quæram, ſi non ſunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus eſt, qui pro peccatoribus mortuus eſt? reſpondebis non pro*

Digitized by Google

ſolis peccatoribus mortuum, quamuis ſit etiam pro peccatoribus mortuus .... Ego dico non niſi pro peccatoribus mortuum .... dicit enim ad Corint. 2. cap. 5. quoniam vnus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt ... Eo modo intelligimus mortuos, pro quibus omnibus vnus mortuus eſt Chriſtus. At per hoc vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, oſtendens fieri non potuiſſe vt moreretur, niſi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes eſſe mortuos, quia pro omnibus mortuus eſt vnus, impingo, inculco, infercio recuſanti. Accipe ſalubre eſt, nolo moriaris. Vnus pro omnibus mortuus eſt. Ergo omnes mortui ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, vt intelligantur eſſe mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt. Miſſas facio omnes Ianſenianorum cauillationes, ad Ianſenium totius gregis ducem rem defero. Quæro, quinam ſint illi pro quibus mortuus eſt? ſi omnes nemine planè excepto, cauſa eſt profligata, vicimus. Si secùs, ſed aliqui tantùm ex quolibet genere, vel ij demùm, quiqui ſunt, quos Deus prædeſtinauit: eandem in ſententiam, omnes qui peccato mortui ſunt erunt accipiendi. Niſi malit Auguſtini mentem in ambigua vocis illius vſurpatione, eſſe variam, & aliter eum intelligere *omnes mortuos*, quàm omnes pro quibus Chriſtus mortuus eſt, quod leuiculi ſophiſtæ eſt, non grauiſſimi, vt eſt Auguſtinus, Doctoris. Quòd ſi paullò pòſt ſubiicit, *& ibi in Adamo omnes, & hîc in Chriſto omnes, quia nemo ad mortem niſi per illum, nemo ad vitam niſi per iſtum.* Quæ ſententia non repugnat ſuperiori, vímque illius atque vniuerſitatem non minuit, cùm ipſe addat, *quoniam verum dicit Apoſtolus, nulli intelliguntur excepti* ..... concludátque *paruulos iſta generalitate concludi*, quod ſatis manifeſtè declarat, cùm ait omnes pro quibus Chriſtus mortuus eſt *ſub generalitate* ſumi, nemine planè excepto. Eundem Pauli locum ſic exponit Proſper lib. 2. de vocat gent. cap. 16.

Nec deſunt pleraque alia Auguſtini, eáque locupletiſſima teſtimonia, quibus Chriſtum pro reprobis paſſum affirmat, vt patet ex iis lib. 2. de ſymb. ad cath. c. 5. verbis, *O munde immunde, venit qui te redimat, & turbaris? & hunc tu vis perdere, quando ille te diſpoſuit liberare.* Ad quos autem pertinet hæc oratio? Ad Iudæos, opinor, eóſque omnes qui

Digitized by Google

Chriſto necem nefariè moliebantur. *Ille tibi annunciat Deum hominem ſuſcepiſſe, pro te, & tu vis perdere eum, qui venit redimere te.* Et c. 8. Chriſtum inducit tanquam iudicem apud flagitioſos, ac perditos quoſque in hanc ſententiam loquentem. *Ecce hominem quem crucifixiſtis: Ecce hominem, & Deum, in quem credere noluiſtis. Videtis vulnera quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis. Qui non eſtis redempti pretio mei ſanguinis, non eſtis mei.* Intelligis credo, Corneli nonnullos pretio *ſanguinis Chriſti non eſſe redemptos*, quos tamen ipſe *venerat redimere, quóſque liberare diſpoſuerat*, qui tamen reiiciantur? *Non eſtis mei,* inquit, tametſi pro illis mortuus ſit.

Et lib. de cath. rud. c. 26. *De nullius hominis correctione deſperet, quem patientia Dei videt viuere non ob aliud, ſicut Apoſtolus ait, niſi vt adducatur ad pænitentiam*: ad quam ſi qui venire non poſſent, cohortatio illa minùs idonea videretur. ſubdit etiam. *A quo interitu, hoc eſt, à pœnis ſempiternis Deus miſericos volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit vnigenitum Filium ſuum ... vt deletis omnibus peccatis præteritis credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur.* In quibus potes ſi non nolis, Corneli, voluntatem Dei antecedentem, & conditionatam de communi omnium ſalute recognoſcere, qua vult eos liberare, *ſi ſibi ipſi non ſunt inimici, ſi miſericordiæ Dei non reſiſtunt.*

Si verò, quod ſpectare videris Corneli, miſericordiam Chriſti imminuis, vt iuſtitiam eius magis commendes, vide te vtramque labefactare, cùm teſte Auguſtino Chriſtus eorum duntaxat iudex futurus ſit, quos ſaluare voluit. Ita enim tract. 36. in Ioan. habet: *Venit Chriſtus, ſed primò ſaluare, poſteà iudicare, eos iudicando in pœnam, qui ſaluari noluerunt, eos perducendo ad vitam, qui credendo ſalutem non reſpuerunt. Prima ergo diſpenſatio D. N. I. C. medicinalis eſt, non iudicialis ..., priùs erat eius miſericordia prærogãda, & poſt exerendum iudicium, quia de illo cantauerat* Pſalmus 10. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine ... Quæ eſt porrò miſericordia? Creator hominis homo eſſe dignatus eſt: factus eſt quod fece-*

Digitized by Google

rat, ne periret quod fecerat. Tam igitur latè patet eius miſericordia redimentis, quàm extenditur bonitas creantis, & iuſtitia iudicantis.

ARTICVLVS XII.

Locus Auguſtini ex lib. de Spiritu & littera cap. 33. & ſequent. expenditur.

VENIMVS ad hunc locum Auguſtini, qui omne Ianſenianorum vulgus tam miſerè torſit, in quo non poteſt dici quantum æſtuauerit ipſe gregis magiſter, quibus, & quàm miris modis ſeſe vexarit tum paſſim alibi, tum præſertim lib. 8. de hær. Pelag. cap. 15. vt tam manifeſti támque locupletis teſtimonij vim infringeret. Sic ille; *Librum illum ſub initium hæreſis Pelagianæ conſcriptum eſſe, poſt quem cùm in aliis omnibus aduersùs hoſtes gratiæ lucubrationibus oppoſitam ſententiam amplexus fuerit, & conſtantiſſimè defenderit, nónne tacitè priorem illam negligendo reprobauit?* Hæc eſt prima videlicet Aduerſarij contra illum Auguſtini locum reſponſio: quæ ſi cadere in quemquam debuerat, certè non debuit in Ianſenium, Auguſtino, vt ipſe gloriatur, tam bene cupientem. Nam quid durius poteſt dici ab inimico, Auguſtinum tunc temporis rerum earum fuiſſe inſcientem? Quod ipſe auctore Auguſtino manifeſtiſſimæ falſitatis reuinci facilè poteſt, tum ex lib. de prædeſt. SS. c. 3. & 4. tum præcipuè ex lib. 2. retractationum c. 37. vbi hunc librum recognoſcens ait ſe *quantùm Deus adiuuit, acriter diſputaſſe contra inimicos gratiæ.* Qui, opinor, erant Pelagiani, & Semipelagiani. Quod autem oppoſitam huic loco ſententiam eum deinde fuiſſe amplexum contendit Ianſenius, parùm verecundè facit, cùm ipſe non ignoret, nihil extare vbiuis gentium, quo id probare queat; certè apud Auguſtinum nihil paret eiuſmodi.

Sentiebat quàm leuis, ac nugatoria eſſet hæc prima reſponſio, Aduerſarius, qui quærit alteram, in qua acquieſcere poſſit, ratus rem fore confectam, ſi quam tradit de verbis Apoſtoli hoc loco ſententiam Auguſtinus, illam diceret

ab eo proponi non vt ſuam, ſed vt Semipelagianorum opinionem, ex quo factum, vt toto cap. 33. diſceptationem quæſtionis eſſe velit, non ſolutionem. Et l.2. de grat. Chr. c. 30. eundem locum tractans aſſerit Suarem, & alios, Pelagianorum obiectionem pro ſolutione ab Auguſtino data, vſurpare, *quod ita manifeſtum eſt* (inquit) *vt mihi prodigij loco ſit, quomodo in mentem alicui erudito venire poßit, verba illa Auguſtini ſenſum continere.* Nihil fuit propriùs, quàm vt cæteros omnes Doctores nouus iſte cenſorio quodam ſupercilio notaret. amabo te, mi Corneli, ſuſtine te paululùm, dum etiam licet, ne quo temerè offendas. nam ſi conſideratè magis res pendatur, periculum eſt, ne ipſe tecum pugnare videaris? ſi enim id temporis Auguſtinus etiamnum Semipelagianus erat, vt tute ipſe diſputas lib. illo 8. de hæreſi Pelag. quomodo reſponſio illa Pelagiana non fuit Auguſtini? Neque enim ſatis intelligo, quid cauſæ ſit, cur ab Auguſtino opinionem eam quæ Semipelagianum ſapiat, remouere adeò contendas, qui illum non modò non neges tunc temporis fuiſſe Pelagianum, ſed etiam aſſeras?

At longum eſt in omnibus hærere, videamus quid eo loci quærat Auguſtinus? quid diſputet? quid ſtatuat? c. 31. *Quæret aliquis* (inquit) *vtrum fides ipſa, in qua ſalutis vel ad ſalutem connexionis huius, quam commemoraui, eſſe videtur exordium, in noſtra conſtituta ſit poteſtate.* Quod vt ſoluat exponit quid ſit poteſtas, quid voluntas, & docet hanc ſe dicere poteſtatem, *vbi voluntati adiacet facultas faciendi, vnde hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit; ſi non vult, non facit.* Demùm fidem qua credimus Deo, vel in Deum, ſtatuit eſſe in noſtra poteſtate. *Nec enim quiſquam credit ſi noluerit, aut non credit ſi voluerit, quia credere non eſt niſi conſentire, verum eſſe quod dicitur. Conſenſio autem vtique volentis eſt. At vt credamus Deus dedit, quia non eſt poteſtas niſi à Deo, cùm nuſquam ſcriptum reperias, non eſt voluntas niſi à Deo.* quia Deus alioquin peccati auctor eſſet. *Sed cùm poteſtas datur, non neceßitas vtique imponitur.* Quæ ſi reputet ſecum Aduerſarius, ſentiet id etiam de poteſtate boni, déque gratiæ Chriſti auxilio ab Auguſtino intelligi debere, & neceſſitatem impoſitam non de ſola coactione, ſed de ea

neceſ-

neceſſitate, quæ opponitur indifferentiæ, explicari, qua qui poteſt agere, poteſt etiam non agere; vnde & affert Dauidis exemplum, qui *cùm Saulis occidendi poteſtatem accepiſſet, maluit parcere, quàm ferire.*

Tum verò vbi cap. 32. ſtatuit fidem illam in poteſtate credentis eſſe, quoniam cùm cuique libitum eſt, credit, & cùm credit, volens credit, libénſque. *Deinde quærendum eſt,* (inquit) *quam fidem commendet Apoſtolus.* Demùm ſtatuit eam eſſe, qua *creditur Deo*, non tamen quamlibet, nec eam *quâ non iuſtitia diligitur, ſed damnatio timetur.* Poſtquam autem poteſtatem fidei illius, quæ per dilectionem operatur, à Deo eſſe docuit, quia nemo credit, niſi qui poteſt, & vult; cap. 33. *Conſequens eſt*, inquit, *paululùm quærere, vtrum voluntas, qua credimus, etiam ipſa Dei donum ſit: an ex illo naturaliter inſito libero adhibeatur arbitrio. Si enim dixerimus eam non eſſe donum Dei, metuendum eſt .... ne reſpondere poſſimus, ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus, ecce vbi gloriamur, quòd non acceperimus. Si autem dixerimus etiam huiuſcemodi voluntatem non eſſe niſi donum Dei, rursùs metuendum eſt, ne infideles ſe iuſtè excuſare videantur, ideò non credidiſſe, quòd dare illis Deus iſtam noluit voluntatem .... Si credimus, vt impetremus hanc gratiam* (qua poſſint eſſe hominis opera bona,) *& vtique voluntate credimus, de hac quæritur vnde ſit nobis. ſi natura, quare non omnibus, cùm ſit idem Deus omnium creator? ſi dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, cùm omnes homines velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Quibus omnibus tum quæſtio, tum etiam dubitandi rationes ab Auguſtino fusè deſcribuntur: quibus demùm ſic ipſe reſpondet. *Priùs igitur illud dicamus & videamus, vtrum huic ſatisfaciat quæſtioni, quòd liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt.* Hæc erat nimirum Pelagianorum ſententia, ita ſtatuebant liberum arbitrium, quod per ſeſe ſuapte vi, abſque gratia Chriſti tam valeret ad fidem, & aliud quoduis bonum, quàm ad malum: quod reiicit Auguſtinus, cùm addit, *& ideo nec iſtam voluntatem, qua credit Deo, dici poteſt homo habere, quam non accep-*

rit, quandoquidem vocante Deo ſurgit de libero arbitrio quod naturaliter cùm crearetur accepit.

Nec verò iſta reſponſio tanquam Pelagiana neceſſariò eſt repudianda, cùm Dei vocantis tantùm meminerit. nam ſæpenumero Auguſtinus, potiſſimúmque quæſt. 2. lib. 2. ad Simplic. vocationis neceſſitatem pro diuini neceſſitate auxilij affert, neque propterea opus eſt, vt ea vocatio pro ſola ſcientia abſque infuſione gratiæ voluntatem afficientis accipiatur, quemadmodum eam Pelagiani intelligebant. Et ita ſoluit Auguſtinus quæſtionem hanc, vtrum voluntas illa, qua credimus, ſit donum Dei. Quòd verò obiiciebatur, ſi fides donum Dei eſt, infidelibus excuſationis locum non defuturum; reſpondet Deum quidem velle omnium ſalutem, tametſi fides quæ medium ſit ad ſalutem, non omnibus detur, *non ſic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur.* Quæ reſponſio, nî fallor, catholica eſt; nam cenſere, vlla Dei voluntate nobis adimi liberum arbitrium, planè Caluinianum eſt. Scio, quid ſentiant in hanc partem Pelagiani, qui Deum non priùs velle ſalutem hominum, quin anticipatæ cognitionis ſuæ vi bonum eorum arbitrij vſum præceperit: à quo prorſus abhorret iſta reſponſio.

Eſt autem, quod conſequitur omninò Catholicum, adeóque Auguſtinianum. *Infideles contra voluntatem Dei ita facere, vt eam nihilominùs non vincant.... Quia voluntas Dei ſemper inuicta eſt, vinceretur autem, ſi non inueniret quid de contemptoribus faceret, aut vllo modo poſſent euadere, quod de talibus illis conſtituit.* Eodem pertinent, quæ ſequuntur. *Qui enim dicit, verbi gratia, volo, vt hi omnes ſerui mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur,* ita vt quiſquis eorum *hoc noluerit in piſtrino ſemper molat: videtur quidem quicũque contempſerit, contra voluntatem domini ſui facere, ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit. quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate.* Hæc eſt enimuerò vera, germanáque doctrina noſtra, quam quidem fuiſſe ab Auguſtino propoſitam negat Aduerſarius. non video quamobrem. nam ſi cætera quæ in eodem libro continentur, recognoſcas, nihil parebit vbiuis locorum, quo ſignificet Auguſtinus id ſe non probare; Quod cùm in contextu totius reliqui capitis illius 33. clarum ſit, eum ex

ſua, non aliena loqui ſententia: ſtultum videbitur omni bene ſentienti exiſtimare, eum ita ambiguè locutum, vt vno, eodémque in loco, vnius, eiuſdémque orationis contextu, ipſe & ſuam, & contrariam ſententiam aperiat. *Ille igitur* (inquit) *reus erit ad damnationem ſub poteſtate eius, qui contempſerit ad credendum miſericordiam eius. Quiſquis autem crediderit, is qui ſe à peccatis omnibus abſoluendum, & à vitiis omnibus ſanandum, & calore, ac lumine eius accendendum, illuminandúmque non contempſerit, habebit ex eius gratia opera bona, ex quibus ..... coronetur, &c. ..... Ita nec arbitrium liberum tollimus. nec Pſalmiſta ignorans Dei iuſtitiam, ſuam vult conſtituere ..... & iuſtus viuit ex fide, quæ per dilectionem operatur. Quæ dilectio diffunditur in cordibus noſtris, nec per ſufficientiam propriæ voluntatis, nec per litteram legis, ſed per Spiritum S.* Quibus non video quid dici poſſit magis explicatè.

Tu verò qui ſemper aliorſum accipis ea, quæ tibi negotium faciunt, audes dicere hæc ab Auguſtino proponi refutanda? Redi (ſi potes) ad ſanam mentem, & totum illum tuum c. 30. lib. 2. de grat. contextum caſtigatione dignum tam merita recognoſce. nam ſi paullo conſideraſſes, nunquam veniſſet tibi in mentem dicere: *Cùm hactenus* (hoc eſt toto cap. 33.) *Auguſtinus reſponſionem Pelagianam, quæ poſteà Maſſilienſium fuit diſputando ventilaſſet, ac propugnaſſet, tandem ad veram ſolutionem propoſitæ quæſtionis illius, vnde voluntas credendi proficiſcatur accedens, ita loquitur. hæc diſputatio.* Quod eſt initium cap. 34. Quæ enim ex cap. 33. attuli eſſe Auguſtini, & acerrimi illius gratiæ defenſoris, qui non videt, is mediâ in luce cæcus ſit, neceſſe eſt.

Sed audiamus quæ conſequuntur cap. 34. *Hæc diſputatio ſi quæſtioni illi ſoluendæ ſufficit, ſufficiat,* &c. Audis diſputationem ab eo dici, in qua oportet eum propoſuiſſe ſaltem nonnulla certa, exploratáque, de quibus inter eos qui diſputant, conuentum ſit. Præterea quomodo ſufficeret ſoluendæ illi quæſtioni, an voluntas credendi in Deũ ſit à Deo, ſi tota Pelagiana eſſet? Cùm verò, de eo quod dicitur, *quid habes quod non accepiſti:* cuiquam poſſit eſſe dubitandi locus, an æquè peccatum, ac voluntas credendi Deo tribuatur? Vt huic dubio occurrat Auguſtinus; *attendat* (inquit) *& videat.*

non ideò tantùm iſtam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, ſiue extrinſecùs per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat, ſiue intrinſecùs, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.

Fateris eo loci Auguſtinum ex animi ſententia fuiſſe locutum, ſentio quàm hoc tibi durum ſit, ſed tamen fateris. Quid verò de conſequenti oratione exiſtimabis tibi ſtatuendum? *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus, miſericordia eius præuenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.*

Nihil enimuerò Aduerſarius habet, quod frequentiùs repetat, & inculcet pro ſtabilienda ſua illa gratiâ, quæ voluntatis indifferentiam tollat, quàm quia per eam Deus in nobis operatur velle. At Auguſtinus docet Deum operari in homine ipſum velle credere, quando cum anima rationali agit modis illis, ſcilicet exhortationibus, ſuaſionibus, & vocationibus, & ita agit, vt nihilominùs propriæ voluntatis ſit conſentire vocationi, vel diſſentire. Poſtremò quærit Auguſtinus, cur illi *ita ſuadeatur, vt perſuadeatur, illi autem non ita.* mirum quid reſpondeat; quid autem? *duo ſola* (inquit) *occurrere interim quæ reſpondere illi placeat, ô altitudo diuitiarum: & numquid iniquitas apud Deum. cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat præſumptores.*

Cap. verò 35. quæ toto libro docuit, ſummatim colligens, docet *hominem ſine peccato poſſe eſſe in hac vita per Dei gratiam & liberum eius arbitrium.* Percipis credo, Corneli, nam loquitur ſatis intelligenter Auguſtinus, & vides non tantùm *per gratiam cum libero arbitrio*, quemadmodum nugaris, ſed ſimul *per liberum arbitrium, & per gratiam hominem ſine peccato eſſe poſſe?* Addit *liberum arbitrium ad Dei gratiam, & Dei dona pertinere, nec tantùm vt ſit, verùm etiam vt bonum*

Digitized by Google

ſit ... & ita vt gratia non ſolùm oſtendat, quid faciendum ſit, ſed adiuuet etiam vt fieri poſſit quod oſtenderit. Nec verò prætermittendum quod ait gratiam non tantùm dare, vt bonum fiat, quod dicere ſolet Ianſenius, verùm etiam *vt fieri poſſit. Iuſtè viuere eſſe opus Dei, & ſimul per nos agi, licèt Deo donante nos agamus*, cùm tamen Aduerſarius velit, quia bonum opus Dei eſt, & Deo donante illud agimus, fieri per gratiam, *non per nos, ſed nobiſcum* tantùm. *Nunc perfectam iuſtitiam poſſibilem eſſe, fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei: eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum, quæ pertinent ad iuſtitiam nos lateret, & ea ſic delectarent animum, vt quidquid aliud ſiue voluptas, ſiue dolor impedit, delectatio illa ſuperaret.* Cùm igitur iuſtitia non eſt, quæ eſſe poteſt, haud dubiè illius *poſſibilitas*, hoc eſt gratia adeſt, nec defectus eſt niſi voluntatis, quæ tamen eſſet, niſi ſcientiam certam, & delectationem victricem impediret contraria voluptas, aut dolor. Gratia igitur ſufficiens & per ſe efficax, niſi ſit aliunde impedita, bonum efficit: quod impedimentum procul dubio à Deo proficiſci non poteſt, cùm ipſe det opem, quâ, quod impedit, ſuperetur.

ARTICVLVS XIII.

D. Proſperi de eadem quæſtione ſententia.

SI quis ſit, cui fides ſuper inſtituta re debeatur, is potiſſimùm meo iudicio cenſendus D. Proſper; qui propemodùm omnium primus de Semipelagianorum hæreſi recèns etiamnum orta ſcripſerit. Ille epiſt. ad Ruff. dictum hoc Chriſti, *Venite ad me omnes*, ait *à Pelagianis dici ad omnes homines pertinere, ita vt qui voluerint humilitatem ſaluatoris imitari, inueniant requiem ... Qui autem hæc facere noluerint, ſua culpa, careant ſalute, quam ſi voluiſſent potuerunt obtinere.* Quæ quidem non reiicit Proſper, at id tantùm addit, *ſed audiant & dictum à Domino libero arbitrio vtentibus, Sine me nihil poteſtis.* Quod vtrumque cùm à nobis dicatur, Proſperum nobiſcum conſentientem habemus.

Neque verò quiſquam putet eum nobis aduerſari, quòd illud Pauli dictum de diuina omnium ſaluandorum volunta-

Digitized by Google

te cum Auguſtino, de iis interpretetur, qui reipſa ſalui fiunt: hanc enim expoſitionem ita adhibet, vt alias non reiiciat, ſed quia res illi fuit cum Semipelagianis; omnis eius oratio ad illorum confutationem erat accommodanda.

Nec iterum dicas Proſperum in reſp. ad cap. Gall. cap. 8. habere, *Quòd non omnes homines velit Deus ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum:* cùm id, quidquid eſt, iam ſuprà à nobis vnà cum Theologis omnibus ſit ſolutum. Liquet enim Deum velle ſaluos omnes voluntate antecedente, definitum autem illum prædeſtinatorum numerum ad voluntatem conſequentem pertinere. Fateor equidem non viſum idem Proſpero quod Pelagianis, Dei voluntatem circa omnes prorſus eſſe mediam, ac indifferentem, quod illi aſſentior. ſic autem habet: *Deinde remoto obſcurarum turbine quæſtionum, ad reuelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus, dicamúſque cum Apoſtolo, Quomodo Deus vult omnes, &c. & iterum dicamus cum Apoſtolo, Qui eſt ſaluator omnium maximè fidelium.* Et propoſitis promiſſionibus, addit, *quæ promiſſiones, quia veriſſimæ ſunt, nec poſſunt vlla ex parte nutare, in his implentur, qui ſalui fiunt.* quod poſtquam probauit, ſic concludit: *Omnium ergo hominum cura eſt Deo, & nemo eſt, quem non aut euangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conueniat; ſed infidelitatem hominum ipſis aſcribamus hominibus; fidem autem hominum Dei donum eſſe fateamur, ſine cuius gratia nemo currit ad gratiam.*

Quibus verbis Proſper dictum illud Apoſtoli ſumit in tota ſignificationis ſuæ amplitudine, ſed ita vt tamen Dei voluntas circa omnium etiam infidelium ſalutem non impleatur, nec ſalutem operetur niſi in prædeſtinatis, quibus nihil ſignificatur aliud, quàm quod ſæpe dictum eſt à nobis, Deum velle omnium ſalutem voluntate antecedenti; velle autem ſalutem prædeſtinatorum voluntate conſequenti. Quòd autem ſalutem etiam infidelium velit, perſpicuum eſt ex illis verbis; *omnium hominum cura eſt Deo*, quæ cura pertinet ad ſalutem, quam procurari à Deo circa omnes contendit, eo quòd velit non aliam ob rationem ipſis hominibus *infidelitatem aſcribi*, quàm quia Deus omnibus offert fidei donum, aliquo ex iis tribus modis, quibus ad fidem eos vocat, quóſque eodem loci exponit.

Digitized by Google

Sunt qui ab eodem Doctore opponant; *Quòd non pro totius mundi redemptione ſaluator ſit crucifixus.* At ille reſpondet, *nullum omnino eſſe, ex omnibus hominibus, cuius natura in Chriſto Domino noſtro ſuſcepta non fuerit.* Quibus innuit ſatis, Chriſtum pro omnibus fixum cruci, qui naturam omnium ſuſceperit. Nam ſi quis ſit pro quo non paſſus ſit, conſequens eſt, quòd nec illius naturam ſuſceperit: at quæ ſequuntur minùs obſcurè illius mentem ſuper ea re ſignificant. Addit enim *Chriſtum crucifixum pro nobis omnibus, licèt nemo ſit ſaluatus cruce Chriſti, qui non eſt crucifixus in Chriſto .... cùm igitur rectiſſimè dicatur ſaluator pro totius mundi redemptione, crucifixus propter veram naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit.* Quæ oratio nihil habet, opinor, ambiguitatis.

Quidquid porrò nobis imponat Aduerſarius, illud idem eſt quod dicimus, quódque ſubiicit Proſper, parti noſtræ magis fauet, quàm Ianſenianæ. Sic ille: *Mundus eum non cognouit, vt poſſit ſecundùm hoc dici redemptor mundi, dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit.* & eodem in libro ſententia 8. *Qui dicit quòd non omnes homines velit ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult ſaluos fieri .... & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos præſcitos prædeſtinauit.* Quæ voces ſunt eiuſmodi, vt de Proſperi ſententia dubitare nos præterea non ſinant. Nam manifeſtè declarant Deum præter prædeſtinatos, in quibus propoſitum ſuum implet, ſaluos alios fieri velle. Idem docet in obiect. 1. Vincent. & 2. his verbis: *Remota hac diſcretione* prædeſtinatorum, & reproborum, *quam diuina ſcientia intra ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè credendum, atque profitendum eſt, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant. Siquidem Apoſtolus, cuius iſta ſententia eſt, ſollicitiſſimè præcipit quod in omnibus eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* quæ cùm audiunt Ianſeniani, habent in quo ſuperbiſſimum illud ſupercilium ſuum contrahant, & Proſperum ſibi vindicare porro deſinant.

Digitized by Google

Articvlvs XIV.

Quid ex libris de vocatione gentium ſuper ea re habeatur.

NOn mihi propoſitum eſt hoc loco diſputare contra ſcholam Ianſenianam, an libri illi à Proſpero ſcripti ſint, necne; quemadmodum in rebus dubiis fieri ſolet; de quo tamen dubitare non venit in mentem Cornelio noſtro, mortalium confidentiſſimo. Mihi ſatis eſt, opus illud apud omnes bonos habitum fuiſſe ſemper fidei Catholicæ maximè conſentaneum.

Nunc quid toto in illo opere diſputetur, ſummatim colligo, vt de Proſperi doctrina quam trahunt in ſuas partes Aduerſarij, certum magis iudicium ferri poſſit. Libro primo, cap. 1. ſic habet: *Inter defenſores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudum quæritur quæſtio... vtrum velit Deus omnes homines ſaluos fieri; & quia hoc negari non poteſt, cur voluntas omnipotentis non impleatur inquiritur, cúmque hoc ſecundùm voluntates hominum fieri videatur, gratia videtur excludi: quæ ſi meritis redditur, conſtat eam non donum eſſe, ſed meritum. Vnde iterum quæritur; cur hoc donum, ſine quo nemo ſaluus eſt, ab eo qui omnes ſaluari vult, non omnibus conferatur.* Propoſitam difficultatem ita ſoluit. fatetur imprimis negari non poſſe, quin Deus velit ſaluos fieri homines vniuerſos, neque eos duntaxat qui ſalui fiunt, vt volunt Ianſeniani, ſed eos etiam, in quibus voluntas Dei non impletur. Nam ſi de ſolis prædeſtinatis diſputaretur, eſſet animi falſus Proſper, & nodum (vt aiunt) in ſcirpo quæreret, quod eſſet hominis parum intelligentis.

Docet autem cap. 5. apud alios 2. haberi non ſemel in Scriptura quaſdam gentes à Deo deſeri. Quid ad hæc ille? *At quamuis hæc, & multa ſimilia veritatis Scriptura pronunciet, ſecundùm ipſam tamen credimus, & confitemur, quòd nunquam vniuerſitati hominum diuinæ prouidentiæ cura defuerit.* Vnde ait *inexcuſabiles factos, qui Deos ſibi dona Dei fecerunt.* Haud dubiè ſermonem facit Proſper de cura ſalutis à Deo

cum

Digitized by Google

cum omnibus facta communi, vocátque inexcuſabiles eos, quòd commentitiorum numinum cultui ſeſe addixerint: vúltque hoc eſſe dogma fidei, quod ipſe credat, ac profiteatur, quódque *ſecundùm Scripturam credimus, & confitemur.* Cap. 12. al. 4. de illa Pauli ſententia 1. Timot. cap. 2. diſputans, ait *eam particulam ſe integrè plenéque ſuſcipere*; tum paullò pòſt, *De hac doctrina Apoſtolicæ regula, qua Eccleſia vniuerſalis imbuitur, ne in diuerſum intellectum noſtro euagemur arbitrio, quid in ipſa vniuerſalis Eccleſia ſentiat requiramus.* Quamobrem quam eius teſtimonij ſententiam, & interpretationem paullo pòſt affert, non modò probabilem, ſed & Eccleſiæ vniuerſalis doctrinam eſſe contendit. Docet verò *Eccleſiam vbique ſupplicare Deo pro omnibus infidelibus*, ex quo conficit Deum omnes ſaluos velle, *Miſericors*, inquit, *& iuſtus Dominus pro omnibus ſibi hominibus vult ſupplicari* ... Cap. 13. *Quòd ſi aliquos ſicut videmus accidere ſaluantis gratia prætererit, & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta diuinæ iuſtitiæ iudicia referendum, & agnoſcendum eſt ſecreti huius profunditatem nobis in hac vitâ patere non poſſe.*

Breuiter exequor quæ in hanc ſententiam habentur lib. ſecundo, ac primùm cap. 2. al. primo, concionatoribus à Deo mandatum inſinuat, vt omnes adeant, omittant mortalium neminem. Ad omnes prorsùs homines miſſum eſt euangelium crucis Chriſti: cap. 4. al. primo pluribus docet, quòd etſi populus Iſraël, ſingulari quodam modo electus dicatur, *& aliæ gentes permiſſæ viuere ſecundùm propriam voluntatem, non ita ſe tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cognoſcendum ſe, & metuendum nullis ſignificationibus admoneret.* Idque probat, & docet omnem naturam creatam ita conſtitutam; *vt natura rationalis .... ad cultum, & dilectionem ſui imbueretur auctoris, implente omnia ſpiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & ſumus. Quoniam etſi longè eſt à peccatoribus ſalus, præſentia tamen ſalutis ipſius, ac virtute nihil vacuum eſt,* quod ibidem fusè perſequitur, probátque ex Actor. c. 14. vbi Deus dicitur non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquiſſe. Cap. 13. al. 4. quomodo Deus erga Cain ſe geſſerit enarrans, hæc habet: *cùm talia ad Cain loqueretur Deus, numquid ambiguum eſt, voluiſſe eum, & quantùm ad*

medendi modum ſufficiebat, egiſſe, vt Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret: ſed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, vnde debuit eſſe correctior.

Quid poterat Proſper dicere manifeſtius, quo demonſtraret Deum & ſalutem Cain voluiſſe, & ſufficientem gratiæ opem, remediúmque peccati procuraſſe? Cap. 15. al. 5. negat vllam infideli excuſationem eſſe poſſe. *Adhibita enim ſemper eſt vniuerſalis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ: quæ etſi parcioris, occultioríſque gratiæ fuit, ſufficit tamen, ſicut Dominus iudicauit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* Quæ quàm accommodata ſint ad gratiam ſufficientem probandam, quæ ſufficiat omnibus ad teſtimonium, nihil me attinet hoc loco dicere.

At quàm manifeſtum illud, quod cap. 16. aliàs 6. habetur, *Nulla ratio dubitandi eſt Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum pro impiis, & peccatoribus mortuum.* Tum paullò pòſt quærens, an *pro omnibus Chriſtus mortuus ſit?* ipſe reſpondet; *prorsùs pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, quod probat illo 2. Cor. cap. 5. effato, *ſi vnus pro omnibus mortuus eſt.* Videant enimuerò Aduerſarij, reputéntque ſecum, quid ſibi de Proſpero ſtatuendum ſit, qui totus ita noſter eſt, vt doctrina noſtra penitùs ab eo doctore deprompta eſſe videatur.

De nationibus verò, quibus nondum erat annunciatum Euangelium, hæc habet: *Quibus tamen illa menſura generalis auxilij, quæ deſuper omnibus hominibus eſt præbita, non negatur.* Illud eſt nimirum vniuerſale auxilium gratiæ, quod à Molinæ ſectatoribus aſſertum Ianſenius totis faucibus clamat eſſe Pelagianum.

Cap. 20. al. 8. contra voluntatem illam Dei, quæ ad omnium ſalutem pertinet, opponit ſibi miſeram atque infelicem ſortem puerorum infantium qui nondum ſacro fonte expiati, diem ſuum obeunt. In quo argumento mirum quàm ſibi placeant Ianſeniani, hunc enim nodum putant à nobis minimè ſolui poſſe. habeant quid ſentiat hoc loco Proſper, *In hoc ſanè anguſto quidem, ſed recto intelligentiæ tramite non parùm difficultatis opponit conſideratio paruulorum*, quos liquet gratiæ non eſſe negligentes. Cap. 21. negat nihilominùs, *cor noſtrum conturbari, ſi firma, & ſtabili fide omne iudicium Dei*

Digitized by Google

iuſtum eſſe credamus, nec de immaturitate mortis eorum nos poſſe conqueri, cùm ſemel in naturam noſtram per peccatum ingreſſa mortalitas obnoxium ſibi omnem vitæ noſtræ fecerit diem. Quaſi dicat, non mirum videri debere, ſi Deus eum mori ſinat, qui morti obnoxius ſit. *Quod ergo ab initij ſui die mortale eſt, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit. nec vnquam ei vicinius eſt poſſe viuere, quàm poſſe deficere.* Quod vt confirmet, ſummam naturæ humanæ imbecillitatem pluribus perſequitur.

At cap. 23. *Cùm quærimus*, inquit, *quomodo omnes homines ſaluos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces? Non irreligiosè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa nationibus: qua vtique, ſi bene eorum vterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuuarentur.* Quibus verbis ruit omnis illa ſcholæ Ianſenianæ celebris machina, quâ tam fidenter exultabat. Docet hic nimirum eam eſſe puerorum infantium conditionem, vt ſalutem conſequi per ſeſe non poſſint, ſed alienam opem requirant: *Sicut*, inquit, *ex aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate, aut diſſimulatione non credunt.*

De paruulis fidelium, quibus iſti vt maximè velint, baptiſmum procurare non poſſint, paullò pòſt erit differendum, ſatis ſit in præſentia declarare Proſperi mentem de illa quæ pertineat ad homines vniuerſos Dei beneuolentia. Affirmat enim *prouidentiam vniuerſis generationibus communiter, atque indifferenter impenſam, nullam eſſe ambiguitatem, tam de benignitate generali, quàm de ſpeciali miſericordia. Deo autem placuit, & hanc multis tribuere, & illam à nemine ſubmouere, vt ex vtraque appareat, non negatum vniuerſitati quod collatum eſt portioni, ſed in aliis præualuiſſe gratiam, in aliis reſiluiſſe naturam.* Quæ ſingulæ voces ſuum habent pondus ac momentum, quod Ianſenianis cùm vacui erunt, relinquo æſtimandum. Eadem habet cap. 25. & cap. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificationibus præeminet ... ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur .... de ſua habens mutabilitate, ſi deficit, de gratiæ opitulatione, ſi proficit. Quæ*

Digitized by Google

opitulatio per innumeros modos ſiue occultos, ſiue manifeſtos omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia, quòd autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt diuinæ, & voluntatis humanæ. Intelligat aliquando Aduerſarius à Proſpero, ſi gratia non conſequatur effectum, non ipſi gratiæ, ſed hominis nequitiæ eſſe tribuendum

Quamobrem cap. 29. *abundè ſe probaſſe* ait, *quod vniuerſitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper & conſulit, vt neque vlli pereuntium excuſatio ſuppetat, de abnegato ſibi lumine veritatis; neque cuiquam ſit liberum de ſua iuſtitia gloriari, cùm & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & iſtos Dei gratia perducat ad gloriam.* quæ omnia rem Ianſenianam, quàm profligent, nemini credo non perſpectum.

Sed telum omnium validiſſimum contra aduerſarios noſtros habet Proſper cap. 31. al. 9. *Elaboratum eſt ... vt probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe prouidentia quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere, diuerſáque menſura. Quoniam ſiue occultè, ſiue manifeſtè ipſe eſt (vt Apoſtolus ait) ſaluator omnium hominum maximè fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ breuitatis, & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc de qua egimus controuerſiam dirimit. Dicendo enim, qui eſt ſaluator omnium hominum, confirmauit bonitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem. Adiiciendo autem maximè fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei diuinitùs inſpiratæ, ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis prouehatur.* Deſinat porrò factio Ianſeniana perſuadere velle pro ſe eſſe Proſperum, nî ſe ridiculam omnibus & amentem præbere velit.

ARTICVLVS XV.

Quid cæteri poſteriorum ætatum Patres ea de re ſentiant?

QVAM coniunctus ſit Auguſtino Fulgentius, quàm illius partibus addictus, nemo neſcit eorum, qui vel mediocriter in vtroque fuerint aliquando verſati. Is lib. de Incarn. & grat. I. C. cap. 31. ita cum Auguſtino, omnes illos, quos Deus vult ſaluos fieri dicit, vt non niſi ſolos prædeſtinatos intelligat. *In iis omnibus quos Deus vult ſaluos fieri, non totum omnino genus ſignificatur hominum, ſed omnium vniuerſitas ſaluandorum.* In quo loco agit Fulgentius de illa voluntate conſequente, quam in Deo ſtatuimus, neque in ea parte diſſidet à nobis qui idem illud profitemur: quemadmodum & ille ſentit cum nobis de voluntate antecedente, cùm c. 22. ſic ait: *Omnibus hominibus curam eſſe Deo, cæleſtibus eloquiis edocemur. Naturæ igitur humanæ competit fides, cuius tantam curam creator habere dignatur.* adeóque voluntatem conſequentem ita admittit, vt non reiiciat antecedentem. Nam curam illam quæ ſe extendat ad vniuerſos, non modò de naturalibus bonis, ſed etiam de iis quæ ad fidem, & ſalutem pertinent, ex ipſo orationis contextu contendo intelligi debere.

Sed quia de ſuperiorum ætatum Patribus iam dictum eſt, venio ad eos qui poſteriores ſunt, & ad eos præſertim qui ſub nonum ſæculum floruerunt, quo tempore hæc eadem controuerſia in diſſidium reuocari cœpta eſt, & magna animorum contentione Gotteſchalco, qui Chriſtum pro omnibus paſſum negabat, ab omnibus bonis vehementer eſt reclamatum.

Rabanus Moguntinus, & Hincmarus Remenſis Epiſcopus cumprimis hominem de Chriſti nece, ac Dei ipſius circa ſaluandos ſincera voluntate, nefariè ſentientem omnibus modis exagitarunt, vt ad frugem reuocarent, tum in inſtituto errore retinendo obſtinatum, erroris notarunt. Vnde in ſynodo Cariſiaca duæ conſtitutæ ſunt propoſitio-

Xxx iij

nes, quarum altera ſic habet. *Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſaluos fieri, licèt non omnes ſaluentur. Quòd autem quidam ſaluentur, ſaluantis eſt donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.* Altera verò: *Chriſtus Ieſus Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cuius natura in illo aſſumpta non fuerit; ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, licèt non omnes paſſionis eius merito redimuntur.*

Cùm verò maximæ exortæ eſſent in illorum temporum confuſione contentiones inter eos Epiſcopos, qui ſynodum illam habuerunt, & Carolo Regi parebant, & Lugdunenſes, Viennenſes, cæteróſque non paucos, qui morem gerebant Lothario; res demùm ad manifeſtiſſimum diſſidium ita exarſit, vt hi illos maledictis proſcindere, & quæ ab iis in ſynodo conſtituta fuerant, confutare rationibus, & dicteriis vellicare aggreſſi ſint. Quod tumultuoſum hominum genus, cùm ſtare pro ſe gloriarentur Ianſeniani, nihil non egerunt, vt eorum ſcripta magno ſtudio collecta typis vulgarent, rati è factionis ſuæ re futurum, ſi turbulentorum hominum ſocietatem, & ſuffragium ſibi aſciſcerent.

Ego verò vt ab Hincmari, eiúſque collegarum defenſione abſtineam, id vnum dico in præſentia, ſi vel ipſis Lugdunenſibus fides habeatur, Ianſeniana dogmata prorſus eſſe hæretica, Patrum enim hac ſynodo congregatorum doctrinæ ſumma his tribus articulis continetur. Primus eſt, licèt, quòd Deus dicitur velle omnes ſaluos, poſſit facilè exponi vno ex tribus modis ex Auguſtino allatis, nimirum vel pro omnibus prædeſtinatis, vel pro iiſdem cuiuſuis conditionis, vel quia Deus etiam pro reprobis iubet vt oretur: nihilominùs quartam illam expoſitionem, qua omnes etiam reprobi intelliguntur, ſaltem probabilem eſſe fatetur; in quo maximè repugnat Aduerſario, qui vult expoſitionem eam omnino eſſe Pelagianam, & damnat vt hæreticam. Secundus eſt, quòd cùm contendat Aduerſarius pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe Chriſtum, vt ex allatis eius teſtimoniis oſtenſum eſt; Patres ij damnant eos erroris, qui dicunt Chriſtum pro fidelibus, & baptizatis

reprobis minimè paſſum. Tertius denique, quòd iidem negent Chriſtum paſſum eſſe pro illis infidelibus, qui cùm Chriſtus paſſus eſt, erant iam damnati; quòd hæreticum ſit Chriſtum ad infera loca damnatorum deſcendiſſe, vt nonnullos eorum qui iam cruciatibus æternis erant addicti, liberaret. Vtrum autem pro infidelibus, qui tunc temporis adhuc viuebant, aut aliquando erant in lucem venturi, & nunquam futuri fideles, Chriſtus mortuus dici queat, non definiunt.

Quòd autem res ita habeat, manifeſtum eſt ab illorum Patrum teſtimoniis. Primum eſt Flori magiſtri (vt placet Ianſenianis) ipſius Eccleſiæ Lugdunenſis, aduersùs Ioan. Scot. c 11. vbi de iis quos Deus vniuerſali aquarum inundatione perdidit ita loquitur: *Et tamen benigniſſimus iudex, & conditor, etiam illos quos merito iniquitatum, & impietatum eorum, ad tam horrendum exitium, atque interitum prædeſtinauerat, non ſine miſericordiæ ſuæ bonitate, & pietate reliquit, tribuens eis tempus, & ſpatium pœnitendi, vt intra centum & viginti annos, aut dignè pœnitendo, Deo ſatisfacerent ... aut inexcuſabiles perirent.* Vnde colligere poteſt Aduerſarius locum eorum excuſationi futurum, niſi Deus miſericordiæ ſuæ bonitate copiam pœnitentiæ, ac poteſtatem gratiæ ſufficientis auxilio reliquiſſet.

Miram vim faciunt Aduerſarij in Lupo Seruato, qui lib. de tribus quæſtionibus ſub finem tertiæ explicat illud Pauli, *qui vult omnes ſaluos fieri*, tribus illis expoſitionibus promptis ab Auguſtino: ſed non eſt cauſa, cur auctorem illum ita pro partibus ſuis oſtentare pergant; cùm idem in vtraque quæſtione, qui de omnibus vniuerſim illud dictum Apoſtoli ſumant, eos minimè damnari aut refutari debere pronunciet. Sic enim ille: *Curioſos tamen diuinorum eloquiorum non fugiat, probabiliter dici poſſe, mortuum pro omnibus Chriſtum, qui eius fidei Sacramenta, ſiue ſeruaturi, ſiue non ſeruaturi ſuſcipiunt .....: Verùm hoc quidem velut blaſphemum vehementer execrantur, & damnant, quòd derogetur plurimùm Redemptori, niſi generaliter omnes homines redemerit. Nos autem ſalua fide, hoc eſt, quòd ſuo ſanguine Deus redemerit omnes quos voluerit, & nulli ſint redempti, niſi quos ipſe*

redemerit, ita cauſam in medio relinquamus, vt ſi quilibet eundem ſanguinem Redemptoris prodeſſe etiam aliquid perditis valeant demonſtrare, non ſolùm reſiſtamus nihil, verùm etiam libenter in eorum ſententiam tranſeamus ..... Verùm ne me irridendum, & reſpuendum pronuntient, quibus placet, omnes ſiue bonos, ſiue malos indifferenter à Chriſto redemptos, ponam vnum quod cum eis faciat teſtimonium, & omnes eos, vt opinor, in gratiam reduxero. Ioannes CP. doctrina, & ſanctitate iuxtà inſignis Epiſcopus, vt gratia Dei pro omnibus guſtauerit mortem ....ſic expoſuit, qualiter gratia Dei pro omnibus guſtauerit mortem, non pro fidelibus tantùm, ſed pro mundo vniuerſo: & ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt. Quid autem ſi non omnes credunt? Ille quod ſuum erat, impleuit. Eligat ſanè ſuperioribus acutè conſideratis quod optimum ei Deus occulta inſpiratione ſuggeſſerit, aut magiſtra eius ſcriptura manifeſta ratione prætulerit. Ita videlicet tecum conſpirat Lupus, Corneli, qui Chryſoſtomum, & eos qui ei aſſentiuntur excuſat, quos tu Pelagiani erroris accuſas; & quam ſententiam hæreticam dicis, illam ab vnoquoque tutò retineri poſſe profitetur?

Nunc verò quid pro cauſa Ianſenij, Lugdunenſis Eccleſia, quam ille ſibi vindicat, habere queat, breuiter explorandum. Ea lib. de 3. epiſt. c. 11. de illo Apoſtoli pronunciato fatetur, *quæſtionem eſſe valde perplexam, & multipliciter expoſitam.* nimirùm *quatuor modis in ſcriptis Catholicorum Patrum.* De quarto autem cap. 12. ait, *dictum illud à ſanctis Patribus* ita intelligi, vt *ſimpliciter accipiatur de omnibus hominibus, quantùm in ipſo eſt Deum velle, eo quòd omnes ſaluari velit bonitate creatoris.* tum ſubiicit, *hunc ſenſum pium quorumdam Patrum piorum* eſſe; ſed cap. 13. monet in hoc quarto *modo illud ſine dubio cauendum, quia & occaſionem Pelagianæ prauitati præbet, quod Deum vt ſaluet homines humanas expectare aſſerit voluntates.* Quam expoſitionem, modò ſua cautio adhibeatur, non modò exiſtimat non eſſe reiiciendam, cùm etiam eam ab erroris Pelagiani ſuſpicione liberet.

Quod autem ibidem habetur Deum velle omnes ſaluos bonitate creatoris, & aliquanto pòſt à D. Thoma confirmatum, aliorſum ac oportuit ab Aduerſario acceptum eſt; qua-

Digitized by Google

quaſi ea creatoris voluntas non alia fuerit quàm quæ præceſſit peccati originalis prænotionem. Nam de eâ quæ peccatum præceſſit, nemini venit vnquam in mentem dubitare, & illi Catholici Patres eam voluntatem etiam nunc Deo tribuunt, quam ſi non intelligeret illa Eccleſia non ita loqueretur cap. 13. *Quod autem ibi ſimpliciter intelligitur, Deum omnes homines velle ſaluos fieri bonitate ſcilicet creatoris, ita, vt putamus, fideliter poteſt recipi, ſi hanc voluntatem bonitatis ſuæ erga ſalutem hominum non credatur humana obſiſtente voluntate implere non poſſe, ſed obſiſtente humana iniquitate implere nolle.* Neque niſi nobis aſſentiretur, ita concluderet. *Quæ omnia cùm tam obſcura ſint, & tam profunda, atque perplexa, nollemus inter fratres, & chariſſimos noſtros aliquid de his contentioſè ventilari, & temerè definiri, ſed potiùs, quod in eis certum eſt, ſine dubitatione defendi: quod autem etiam inter magnos diuerſo modo, ſed non diuerſa pietate ſentientes ambiguum, atque incertum remanſit, etiam apud nos reuerenter honorari; quia neutrum eorum videtur eſſe falſum, vel fidei contrarium.*

Cap. 26. vult *pariter recipi ſenſum vtrumque, ne propter iſtum ille damnetur, ſed potiùs vtrique ſenſui propter veracem, & piam Patrum auctoritatem fideliter obediatur.* Ideóne verò Lugdunenſis Eccleſiæ auctoritas à Ianſenianis ſic erat oſtentanda, vbi parti noſtræ quæ faueant, habeat tam multa? Certè ſi dictis Remigij, illiúſque adeò Eccleſiæ, quam ita iactabant audientes ſe præbuerint, ceſſabunt aliquando illos, quibus ita acerbi ſunt, Molinæ ſectatores calumniari, & Pelagiani erroris inſimulare, ſuíſque proinde turbidis contentionibus, quas à magiſtro ſuo primùm excitatas ab aliquot annis tam parùm Catholicè fouent, Eccleſiam liberabunt.

Idem porro Remigius cap. 15. & conſequentibus de Chriſti morte diſputat, cuius doctrinæ hæc ſumma eſt. Quatuor hominum conſtituit ordines, primum prædeſtinatorum; alterum eorum, qui in recepta à Chriſto fide non ſibi conſtant; tertium eorum qui nondum fideles ad fidem vocandi ſunt; quartum denique eorum qui nunquam gratiæ participes facti fuerunt. Qui poſtremus ordo etiam

Digitized by Google

biſariàm diuidi poteſt, in eos qui quo tempore Chriſtus patiebatur, aut poſtea infideles fuerunt, & eos quibus id temporis damnatis nulla præterea ſalutis ſpes ſuperabat. *Pro illis tribus ordinibus Chriſtum mortuum eſſe* cap. 16. *fideliter credendum tenemus* (inquit.) *Et hoc non ſolùm ex diuinis Scripturis, ſed etiam ex SS. PP. fide, & doctrina euidenter agnoſcimus.* Quibus manifeſtè damnat tanquam dogma fidei Catholicæ contrarium, quod docet Aduerſarius, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis eſſe mortuum. De non fidelibus qui poſt Chriſti mortem ab ipſo Chriſto viuunt ſeparati, in quorum numero ponit Antichriſtum, nihil definire audet, vt patet ex cap. 18. 19. & 20. Eadem habentur in lib. de tenenda veritate Scripturæ cap. 3. & verborum Apoſtoli vtramque intelligentiam nihil inconſequens, aut contrarium veritati, nihil mali, aut periculi habere. Neque demum quicquam aliud de morte Chriſti definit Concil. Valent. III. & IV. cùm tamen, ſuprà quàm dici poteſt, & iſtius Concilij, & Eccleſiæ Lugdunenſis auctoritatem tam prolixè oſtentent Ianſeniani, maximámque vim in vtroque pro cauſa ſua contra nos faciant; quàm infeliciter, ipſi cùm ſapient, viderint.

ARTICVLVS XVI.

An hominum aliqui ſint, pro quibus Chriſtus non ſit mortuus.

VIx vlla difficultas ſuper eâ re moueri poteſt, quàm vel de iis adultis, qui nunquam gratiæ ſanctificantis, ac fidei participes facti ſunt, vel de pueris illis infantibus abortiuis, qui priùs lucem quàm videant extincti, baptiſmo expiari minimè poſſunt. Imprimis conſtat inter omnes nihil opis quod pertineat ad ſalutem, dari hominibus, ſiue Chriſti tempora anteceſſerint, ſiue fuerint conſequuti, quod iis per ipſius Chriſti merita non detur. Deinde manifeſtum eſt præter gratiam Chriſti iuſtificantem habitualem, & actualem, prætérque donum fidei, quod vulgò prima gratia dici ſolet, pleraque alia eſſe auxilia gratuita, quibus Deus, quem vo-

Digitized by Google

cat, ad ſalutem præparat, eúmque bene afficit, adeóque nullum eſſe ſalutis ita deſperatæ, quin ab eo accipiat quo poſſit non peccare, proindéque non ponat obicem conſequentibus eius donis ad pietatem, & ſalutem ſpectantibus. Quis autem neget eiuſmodi auxilia, beneficiáque nobis diuiniſſimo Chriſti obitu non eſſe parta, cùm in confeſſo ſit apud omnes, eum Patri ſuo gratias egiſſe, quòd illa cum ipſis priſcæ legis cultoribus communicarit?

Ex quo confici poteſt quod partim à Patribus, partim ab Auguſtino ſuprà fuit declaratum, neminem vnquam extitiſſe ratione præditum, qui omni Dei notitia, auxilióque ſalutis caruerit, quo ſi ritè fuiſſet vſus, non quidem primam gratiam fuiſſet promeritus, quemadmodum placet Semipelagianis, aut ad eam ſe, animúmque ſuum præparaſſet, ſed non poſuiſſet impedimentum diuinæ beneuolentiæ, cuius demùm fructum aliquem recepiſſet, perueniſſétque aliquando diuinæ opis beneficio ad iuſtitiam primùm, deinde ad ſalutem. Vnde liquidò conſequens eſt, nullum vnquam mortalium fuiſſe rationis compotem, ad quem diuinæ Chriſti necis fructus aliquis non peruenerit, nullúmque proinde, pro quo Chriſtus non mortuus ſit.

Nec verò pigebit hîc referre quod in hanc ſententiam habet ille adeò laudatus à Ianſenianis Remigius, ſiue auctor lib. de tribus epiſt. cap. 27. explicans illud Ioan. cap. 1. *Lux in tenebris lucet.* &c. vbi ſic ait: *Quia lux illa præſentia maieſtatis ſuæ in tenebris lucem, id eſt, infidelium cordibus, maieſtate conditoris ſuam præſentiam exhibens, operatur aliquid in eis, & ſi non videant ipſam, tamen vt aliquid videant per ipſam, id eſt, vt intelligant inter iuſta, & iniuſta, inter bonum, & malum, inter agendum, & non agendum, vt ſint inexcuſabiles in die, quo iudicabit Deus occulta hominum. Quæ tamen lux non à facie illis reſplendet, quia non ad eam attendunt, ſed velut à tergo eis relucet.* Quod ſimile appoſitum videtur ad rei, de qua diſputatur, intelligentiam. Nam quemadmodum fieri ſolet, vt qui auerſus eſt à ſole, ſolem ipſum tametſi non videt, videat tamen luminis illius beneficio, quæ poſita ſunt ob oculos, quin etiam ſi ſpeculum ſibi propoſuerit, vel ſolis imaginem in ſpeculo repræſentatam videre, vel

etiam vt ſe ad eum coràm intuendum conuertat, hac admirabili ſpecie poterit excitari: Ita videlicet lumen rationis quod manat à Deo, per ſeſe ſic affulget homini, vt in iis quæ mores ſpectant, videat, quid vitare, ſectarive par ſit: interdúmque quidam quaſi monitor eſt, qui eum, vt ad veritatem primam, quæ lucis omnis fons eſt, refeſrat ſeſe, blandè excitet ac compellat, Deúmque ipſum intueatur, hunc audiat, hunc amet, in eóque totus acquieſcat.

Alterum eſt, quod & inter doctos habetur conſtantiſſimum, Deum neminem ſaluum fieri velle, aut vnquam voluiſſe voluntate etiam antecedenti, niſi propter merita Chriſti, adeóque voluntatem eam Dei circa hominum ſalutem, omnémque eius effectum, qui eò pertineat, aliquem eſſe mortis Chriſti fructum, pro quo impetrando Chriſtus deuouere ſe non dubitarit; quod manifeſtius eſt, quàm vt à quoquam bene, catholicéque inſtituto, in dubium vocari poſſit. quod ne vel de pueris ipſis infantibus negari poteſt.

Neque verò, tametſi mortis Chriſti fructus pertineat ad vniuerſos, propterea dicendum eſt, quod video à quibuſdam non bene ſanis iactari; Chriſtum etiam pro damnatis eſſe mortuum, & eamobrem locorum inferorum penetraſſe per illud triduum mortis, ſinus abditiſſimos, vt eos in libertatem aſſertos cœlo reuocaret. De cuius erroris auctoribus plura lib. 13. de Incar. cap. 18. Petauius habet, adeóque multis eum confutare velle videretur ſuperuacaneum. Hoc tantùm ſumus admonendi, voces illas, Chriſtum pro damnatis quoquo pacto eſſe mortuum, ab vllo Catholico non ferendas; neque exiſtimandum eum pro Patribus in ſinu Abrahæ tunc detentis eamobrem mortuum, vt eos iuſtos faceret, ſed tantùm, vt gratiæ donis, illis dum vitam agerent collatis, Deo Patri gratias haberet, tum vt vinculis, quibus tenebantur, aliquando expeditos in cælum perduceret. De damnatis verò ſic ſtatuendum, vt & iis nihil pepererit morte ſua beneficij, nihil gratiæ, aut auxilium contulerit.

Porrò cùm Chriſtus ſalutis hominum non modò cauſa moralis ſit, vt aiunt, ſed etiam phyſica, hoc eſt per modum *efficientiæ*, vt loquitur D. Thom. 3. p. quæſt. 48. art. 6. nihil

Digitized by Google

beneficij, vel opis efficienter attulit iis, qui cùm obiit, erant iam condemnati, licèt cauſa moralis fuerit eorum omnium, quæ, dum viuerent, à Deo ſuæ ſalutis adiumenta receperant. Qui verò degebant in ſinu Abrahæ iuſti, eos verè Chriſtus atque efficienter liberauit, gloriâ meritis mortis ſuæ partâ donauit, ſicque qui diſſentire ſuper ea re videntur Patres, commodè conciliari poſſunt.

ARTICVLVS XVII.

Vtrum Chriſtum pro omnibus, pueriſque etiam infantibus mortuum ſenſerit Auguſtinus.

CVM difficultas ferè nulla ſit, niſi de iis quibus Euangelium Chriſti non fuit annunciatum, & pueris abortiuis, quibus baptiſmus conferri non potuit; vnum, & alterum habeo quod dicam, mentem Auguſtini de primis omnino eſſe manifeſtam, obſcuram verò de poſtremis.

Quantùm ad primos attinet, in promptu eſt ex Scriptura, nulli vnquam rationis compoti Dei notitiam defuiſſe, legémque illam omnium mentibus innatam, inſcriptámque, de qua Paul. Rom. 1. & 2. tam clarè loquitur. Neque opinor aliam ob cauſam aſſerit illos non fideles, fuiſſe *inexcuſabiles*, quàm quia *veritatem Dei in iniuſtitia detinuerunt*. quod & Prouerb. 1. minùs obſcurè ſignificatur, cùm Sapientia dicitur *foris prædicare, in plateis dare vocem ſuam*. & alibi paſſim. in quibus, quoniam mihi propoſitum eſt quærere de mente Auguſtini: non vacat hærere.

Auguſtinus tract. 106. in Ioan. Deum à nullo ignorari ſic demonſtrat. *Quod Deus dicitur vniuerſæ creaturæ, etiam omnibus gentibus, antequam in Deum crederent, non omni modo eſſe potuit hoc nomen ignotum. Hæc eſt enim vis veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali, iam ratione vtenti, non omnino, ac penitus poßit abſcondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimiùm deprauata eſt, vniuerſum genus humanum Deum mundi huius fatetur auctorem.* Cuius dicti hæc ſententia eſt; neminem eſſe ita cæcatum malitia ſua, obduratúmque, qui Deum neget, ſed ad ſummum, ſi ſui oblitus ſit, ac vitiorum mala conſue-

tudine deprauatus eò dementiæ venire poterit, vt ſibi perſuadere conetur Deum vniuerſi iſtius auctorem prouidúmque rectorem non eſſe. Tum epiſt. 106. Quod à Pelagianis ferebatur. *Omnes homines gratiam Dei fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, eam ſua voluntate reſpuerent, quoniam Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* tum verò ſolos infantes opponit, quaſi de adultis id vltrò fateatur.

In quo ſentio quid nobis negotij fieri poſſit. nam cùm pueros infantes adultis opponat Auguſtinus, ſtatim conficient Ianſeniani viſum Auguſtino, voluntatem eam omnium ſaluandorum quam ponit diuinus ille Doctor in Deo, ad pueros illos minimè pertinere, nec Chriſtum pro illis eſſe paſſum; cùm & voluntas Dei, & Chriſti mors, eius efficientiæ ſint, quæ ſuo nunquam effectu fruſtrari poſſint. cùm verò nihil opis diuinæ iſtiuſmodi pueris conferatur, perſpicuum eſt nec Deum, nec Chriſtum eorum ſalutem voluiſſe. Cuius difficultatis vim non diſſimulabo, immo fatebor in noſtra doctrina, ſi quæ eſſe poteſt, hanc eſſe maximam: cui tamen ex antea dictis promptum eſt ſatisfacere. Cùm enim ſatis ſupérque tum ab Apoſtolo, tum à Patribus Chriſti mortem ad vniuerſos pertinere conſtitutum ſit, non video quid cauſæ eſſe poſſit, cur ab illa vniuerſitate pueri ſint eximendi, quibus remotis, nec Apoſtoli dicto veritas, nec vniuerſitas numero conſtabit.

Verùm vt nodum hunc impeditiſſimum ſoluam. Dico cum Proſpero ſuprà laudato, ideò Deum dici velle etiam puerorum infantium ſalutem, quòd remedium inſtituerit quod per ſeſe, & peccato originali expiando idoneum ſit, & maximè parabile, baptiſmum videlicet; quòd ſi contingat interdum, vt quibuſdam vel abactis per abortum, vel alio denique fato extinctis, adhiberi non poſſit; id euenit, non quòd Deus nolit iis adhiberi, ſed quòd, propter illud obiectum impedimentum, ita fieri permittat, ex quo ſtultum videretur propterea conficere velle, Deum in inſtituendo hoc communi remedio, illorum quibus non eſt adhibitum, ſalutis curam, rationémque habuiſſe omnino nullam.

Neque id magis mirum videri debet de pueris infantibus, quantùm ſpectat ad baptiſmum, quàm de adultis quantùm

ad gratiæ actualis auxilium; cùm par ſit vtriuſque, ſeruatâ tamen proportione, ratio. Vt enim Deus ab Auguſtino cæteríſque Doctoribus vniuerſis cenſetur velle adulti ſalutem, cui proponit & fidei donum, & gratiæ actualis auxilium, licèt non ita ſit comparatus, cui hoc beneficium prodeſſe queat, vanúmque adeò ac inane futurum ſit; ita cùm Deus inſtituit baptiſmum, procul dubio voluit ſalutem infantis huius, cui tamen ille nunquam eſt adhibendus: quia nimirùm & actualis gratiæ, & baptiſmi remedium per ſeſe quidem vtile eſt, & efficax, niſi aliunde fuerit impeditum, quod impedimentum licèt permittat Deus, non propterea deſinit velle, vt is in quo contingit, ſaluari queat.

Hîcque prætereà obſeruari velim, eum qui peccati originalis reus eſt, non modò mortalem eſſe, ſed etiam vt victimam iuſto ſupplicio deſtinatam, ſemper imminenti fato, ex quo reus eſt, eſſe obnoxium. Fruſtra fuit igitur Chriſtus, qui fuſo ſanguine reum redemerit. Immo verò, is enim redemptionis fructus fuit, hoc beneficium, quod Deus infantem peccati, mortíſque reum præmatura nece tollere, aut ei perniciem moliri, ac intentare cùm poſſit, nolit; ſed id fortuito quodam rerum ita comparatarum concurſu, vel parentum temeritate, vel denique improuiſo aliquo caſu contingere ſinat. Quod autem ſinit Deus id non velle cenſetur, quemadmodum ſuprà declaratum eſt à me cùm de voluntate Dei *permiſſiua* eſt diſputatum, & ex ipſius Proſperi doctrina lib. 2. de vocat. gent. cap. 20. & ſequentibus oſtenſum eſt. Si quod verò malum permittat Deus, hoc facit, vt maius bonum ex illa mali permiſſione eliciat, quod ſatis inſinuat Proſper eodem loci his verbis, *Sententia illius rigor, dum circa tales* (ſcilicet paruulos) *non reſoluitur, quàm magnum illud peccatum fuerit, demonſtratur.* hoc eſt, quemadmodum ex acerbiſſimo cupiditatis, & ignorantiæ vulnere, quo miſeros mortales malè haberi Deus ſiuit, ita ex præmatura illa paruulorum nece permiſſa, declarat Deus, quanta ſit peccati à primo parente commiſſi grauitas.

Quòd ſi Deus ita ſtatuiſſet de hominibus, vt & cùm infantes ſunt, nunquam fato concederent, donec baptiſmo expiarentur, vel cùm rationis ſunt confirmatæ, donec ad

Digitized by Google

iuſtitiam peruenirent, quid eſſet futurum, inquit Proſper: *Hac inamiſſibili felicitate infantium vehementiſſimè opinio illius roboraretur erroris, qui gratiam ſecundùm merita dari audet contra fidem Catholicam prædicare. Videretur quippe inculpabili innocentiæ hoc tota æquitate deberi, vt neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus perſtringeret.* Quemadmodum igitur Deo ita permittente, pleroſque videmus actualis gratiæ ope, & adiumento tam malè vti, vt nihil ab ea recipiant vtilitatis; ita etiam pueros infantes, propoſito omnibus paratóque remedio interdum fruſtrari. Quiſquis autem Dei adultorum lapſus permittentis, iuſtitiam conſideratè, vt par eſt, attendat, poterit hanc de permiſſa infantium præmatura morte, damnationéque abſque vllo negotio ſoluere quæſtionem.

ARTICVLVS XVIII.

Commemoratam tam frequenter ab Apoſtolo, prædicatámque iudiciorum Dei profunditatem, atque abyſſum apud Janſenium planè eſſe nullam.

SCITVM eſt illud Petri Diaconi lib. de Incar. & grat. cap. 7. & in rem noſtram planè appoſitum contra Pelagianos effatum. *Si res ita habet, vt illi iactitant*, inquit, *comprehenſa ſunt ab ipſis inſcrutabilia, & incomprehenſibilia Dei iudicia. Si enim, vt ipſi volunt, nolentes damnat, ſaluat autem volentes, nihil eſt omnino, quod quæratur vlterius.* Quod à Proſpero iiſdem obiicitur libro primo de vocat. gentium c. 21. & 22. al. 7. *Non ignoramus, eſſe quoſdam tam inconſideratæ præſumptionis, ... vt quod præcipuus magiſter gentium ſupra menſuram ſcientiæ ſuæ longè, & altè remotum eſſe confeſſus eſt, audeant falſi nominis temerare doctrina, & nihil velint eſſe occultum ..... quia omnem diſcretionem, qua Deus alios eligit, alios non eligit ... ad humanæ referunt merita voluntatis.*

Enimuerò in cuius criminationis communionem iure meritiſſimo vocari poſſunt Ianſeniani, quorum doctrina omnium Dei operum circa hominum ſalutem cauſas ita declarat, vt nihil ſit prætereà, quod à curioſis requiri poſſit. Ea

enim

Digitized by Google

enim duntaxat Dei opera dicuntur occulta, *quorum cauſis latentibus ſoli monſtrantur effectus; vt cùm pateat, quod geritur, non pateat cur geratur, negotio in medium deducto, & in occultum ratione ſubductâ, vt in eadem re, & de inſcrutabilibus præſumptio comprimatur, & de manifeſtis falſitas redarguatur*, vt habet Proſper lib. 1. de vocat. gent. cap. 14. al. 5.

Sanè quidem, ſi quid eſt, quod nos cogat cum Apoſtolo, præ ſumma admiratione exclamare, *quis nouit ſenſum Domini?* Illud eſt potiſſimùm cùm miſericordiæ, tum iuſtitiæ opus, quod in ſaluandis damnandíſque hominibus à Deo fieri ſolet. Stupendum enimuerò opus; cùm Angeli, in quibus tot ſunt expreſſa diuinitatis, & adumbrata ſigna, poſt peccatum deſeruntur à Deo, homines verò, quibus quid dici poteſt magis imperfectum, vnigenæ filij Dei acerbiſſimo obitu ſaluantur; cùm peccatores omnibus flagitiis inquinatiſſimi deſtinantur ad gloriam, multáque cum patientia à Deo ad frugem reuocantur; dum damnantur teneri infantes non tam ſuo, & proprio, quàm alieno, aut certè communi crimine rei. O rem ſuprà quàm dici poteſt pauendam! ô profunditatem iudiciorum Dei occultiſſimam! Deſertus eſt Eſau, Iacob electus. Quamobrem verò non pro meritis vtriuſque, nam antequàm quicquam boni, vel mali facerent, iam ſtatutum aliquatenùs fuerat de illis: eamobrem ſtupore attonitus Paulus clamabat: *ô altitudo diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius.*

At difficultatis illius quam mirum in modum pati ſe profitetur Apoſtolus, procliuis eſt apud Ianſenium explicatus, cui nihil difficile, nihil arcanum, nihil *incomprehenſibile* ſuper ea re videtur in ſchola Iprenſi, & vbi hæret Paulus, Auguſtinus ſtupet, pendent ſuſpenſi admiratione omnes Theologi, dum quærunt, quid cauſæ ſit, cur alter præ altero deſeratur, nullum patitur negotium in doctrina ſua Doctor Iprenſis, cauſam habet in promptu, peccatum videlicet illud, quod in ortu contrahitur, in quo fides docet tantùm eſſe grauitatis, vt ſi nullus ab eius ruina liberetur, nulli vel admirationis locus eſſe poſſit, vel querelæ.

At nos fugit (inquit) cur hos potiùs quàm illos à pœna

omnibus debitâ, velit immunes, in quo poſitum eſt occultiſſimum illud, de quo tam frequens apud Apoſtolum mentio, iudiciorum diuinorum arcanum. Bene habet, ſi arcanum illud occultum ſit, quod in Aduerſariorum doctrina video eſſe manifeſtiſſimum. Nam ſi de electis agitur, electionis eorum cauſa patet, miſericordia videlicet diuina, quæ numquam poteſt eſſe obſcura, neque qui nouerit, quod norunt omnes, *Deo eſſe proprium miſereri ſemper, ac parcere*, habebit, in quo cunctetur, cùm electionis ad beatitudinem cauſa erit requirenda, cuius facilis & prompta vnicuique poterit eſſe coniectura. Quapropter, ſi quæ ſit in toto illo negotio difficultas, ea maximè ex parte iuſtitiæ conſtare debet, cùm miſericordiæ opera manifeſtiora ſint, quàm vt à quoquam ignorari poſſint.

Neque verò reperias vnquam in ſacris Scriptis miſerationes Dei eſſe occultas, ſed ea, quæ iuſtitiæ opera ſunt, iudicia Dei; adeóque in deſperatiſſimam reproborum ſortem, quidquid id eſt occultum referri debeat. Cùm enim omnium paſſim, ipſorúmque adeò puerorum infantium ſalutem Deus velit, ea nimirum, quam ſuprà ſtatuimus, voluntate antecedenti, & conditionata; mirum planè videri debet, cur id non contingat, & quæ ſit illa conditio, cuius defectione Deus non ſaluos eos faciat, quæ ſi adfuiſſet, ſalui facti eſſent; aut quale ſit demùm impedimentum illud, quo poſito voluntas Dei ſuum effectum non obtineat. Hæc cauſa cunctationis illius, ſtuporíſque tam magni, quo tenebatur Apoſtolus, cùm iuſtitiæ diuinæ opera ſecum meditabatur. Vnde colligi debet, cauſam damnationis reprobo deſtinatæ, quidquid porro contendat Ianſenius, aliunde quàm à peccato originali eſſe petendam, alioqui occultiſſimum illud arcanum, cuius declaratio in ſupremum iudicij diem, teſte Apoſtolo, reſeruatur, iam pateret. Vnde colligendum exiſtimo, aliud eſſe ſalutis puerorum illorum impedimentum, ac illud quod vulgò ſolet afferri à Ianſenio peccatum originale.

Sed conſulamus Auguſtinum alium, quàm Iprenſem. Is libro de correptione & gratia, cap. 8. quærit quare non datur perſeuerantia iuſtis nonnullis, *Hîc*, inquit, *ſi a me quæ-*

ratur; cur eis Deus perſeuerantiam non dederit, quibus eam, qua Chriſtianè viuerent, dilectionem dedit, me ignorare reſpondeo. Sed de perſeuerantiæ finalis dono difficultas eſt peculiaris, nunc de pueris infantibus diſputo, de quibus ibidem mentionem facit Auguſtinus, *vt iudicia Dei, quoniam iuſta, & alta ſunt, nec vituperari poſſe, nec penetrari* oſtendat. Epiſt. verò 105. hanc quæſtionem fusè tractat, notátque imprimis; *quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, vt nec ille ſe indignum queratur, nec dignum ſe iſte glorietur, atque ibi potiùs nullam acceptionem fieri perſonarum, vbi vna, eadémque maſſa damnationis, & offenſionis innotuit, vt liberatus de non liberato diſcat, quod etiam ſupplicium ſibi conueniret, niſi gratia ſubueniret. Si autem gratia, vtique nullis meritis reddita, ſed gratuita bonitate donata. Sed iniuſtum eſt, inquiunt, in vna eadémque mala cauſa hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo iuſtum eſt vtrumque puniri, quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias ſaluatori, dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione ſimilium etiam nobis debitum fuiſſe cognoſcimus. Si enim omnis homo liberaretur, vtique lateret, quid peccàto per iuſtitiam debeatur: ſi nemo, quid gratia largiretur.*

Hìc verò Auguſtinus affert cauſam ſatis manifeſtam, cur infantium quidam damnentur, quòd pœnam illam eâ quâ contaminati ſunt patria labe promerentur, cur ſalui fiant alij, quia Deus ſummè miſericors eſt. Quid ergo in quæſtione tam difficili, vt eam vocat Auguſtinus & tam impedita latet obſcuritatis? Id nimirum quòd tametſi Deus ſaluos omnes velit, Chriſtúſque pro omnium redemptione ſe morti deuouerit, pereant tamen infantes nonnulli, nec baptiſmi, quod remedium pro cunctis inſtitutum eſt, participes fiant. Hic nodus, hoc negotium, in quo mirum quàm laboret Auguſtinus. hoc vnum certum habetur, deficere quippiam, quod ſi adeſſet, non id contingeret.

Quod autem deficit, id opinor non prouenit ex parte Dei, qui vult omnium ſalutem, neque ex ipſis infantibus non baptizatis. nam vanum eſt illud quod à Pelagianis dicitur, quòd futurorum, ſi vixiſſent, eorum meritorum à Deo ratio habeatur, & ab Auguſtino confutatum, *non fati neceſſitas*,

inquit ipſe Auguſtinus, non temeritas fortunæ; non illa Manichæa naturarum diuerſitas. Nec verò commodè afferri poteſt infirmitas corporum, non cauſa vlla naturalis aut caſus. Nam cur caſum illum, cauſámque naturalem Deus non impediat? aut ſi id dici poſſit, non video quomodo in ſummam illam iudiciorum Dei profunditatem referri queat, quam vnam vnà cum Apoſtolo Auguſtinus cauſari ſolet, non verò ſolum peccatum originale, quemadmodum ferunt Aduerſarij.

At in eadem epiſtola vnius peccati originalis meminit Auguſtinus, quod in damnationis cauſam afferat. ſic enim habet: *Quærimus meritum obdurationis, & inuenimus; merito namque peccati vniuerſa maſſa damnata eſt, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur; at potiùs, vt non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum miſericordiæ, nec inuenimus, quia nullum eſt, ne gratia euacuetur.*

At patet ſatis hîc peccatum originale afferri ab Auguſtino in primariam præcipuámque cauſam obdurationis, non damnationis ipſius. Neque enim induratur quis, niſi, qui praua peccandi conſuetudine animum deuinxerit ſuum; cuius conſuetudinis origo eſt animi prauitas; prauitatis autem radix eſt ipſum peccatum originale. Negotium quidem non facit Auguſtino damnatio adultorum. Nam in *maioribus*, inquit, *ætatibus meritò dici poteſt: hi noluerunt intelligere, vt bene agerent: alij, quod grauius eſt, intellexerunt, & non obedierunt.* At cùm de pueris infantibus diſputat, non habet in quo acquieſcat; *quam cauſam allaturi ſunt Pelagiani,* inquit, cur pietur ille baptiſmo, iſte minimè? *An hoc fato, vel fortunæ daturi ſunt? non opinor eos in tantam dementiam prorupturos.* Tum concludit diuina id fieri prouiſione, ſic vt merita tam puerorum, quàm parentum excludat; *bona enim ſunt illa Chriſtianorum, quorum filij repentinis mortibus ſine Chriſti baptiſmate perierunt; mala verò infidelium, quorum filij baptizantur; Et cur prouidentia ... quæ nec fato premitur, nec fortuitis caſibus impeditur, nec vlla iniquitate corrumpitur, vt renaſcantur ad hæreditatem cæleſtem, non conſulit omnibus paruulis*

filiorum ſuorum, & nonnullis conſulit etiam paruulis impiorum? quæ eamobrem affert Auguſtinus, vt Pelagianis oſtendat gratiam non pro meritis dari, cùm in pueris nihil meritorum eſſe poſſit. quod fuſiùs declarat exemplo Iacob & Eſaü, cùm in vtroque par fuerit meritorum dignitas. quæ omnia dicuntur ab Auguſtino in commendationem gratuitæ electionis prædeſtinatorum. Quod cùm dicit, nondum videtur aſſecutus pleniſſimum obſcuritatis, diuinæ prouidentiæ arcanum, quod poſt quamlibet accuratiſſimam perueſtigationem, vſquequaque tamen obſcurum eſt.

Fatetur tamen lib. de grat. & lib. Arb. cap 22. & 23. ea de re diſputans, tempus aliquando fore illud, cùm id patebit. *Hoc* (inquit) *nobis Deus reuelabit, & ſi non in hac vita, certè in alterâ. Nihil enim occultum eſt, quod non reueletur.* Et in Enchir. c. 95. *Tunc non latebit, quod nunc latet, cùm de duobus paruulis vnus eſſet aſſumendus per Dei miſericordiam, alius per Dei iudicium relinquendus; in quo is, qui aſſumeretur, agnoſceret, quid ſibi per iudicium deberetur, niſi miſericordia ſubueniret: cur ille potiùs, quàm iſte eſſet aſſumptus.* Eſt ergo diſcriminis illius, ac iudicij diuini quædam cauſa, quam ſcrutari, ac perueſtigare, dum miſerabilem vitam hanc viuimus, non poſſumus; adeóque quidpiam eſt à peccato originali diuerſum, quod cùm commune ſit omnibus, neminem Chriſtianum poteſt latere.

At vt finem ponat huic diſputationi, qui dedit initium Petrus Diacon. hæc habet lib. de Incar. & grat. c. 7. in rem noſtram ſatis accommodata. *Nos incomprehenſibilia credentes, & demonſtrantes iudicia Dei, ex vna maſſa perditionis alios ſaluari dicimus bonitate, & gratia Dei, alios iuſto, & occulto iudicio derelinqui* ... ſubiicit, *quòd ſi iſta nequeunt comprehendi, redeant ad ſe, & inuenientes ſe homines deſinant quærere, cur alios ſaluet gratuitò Deus, alios derelinquat iuſto, & occulto iudicio.* In quibus obſeruari debet, cùm mentio fit bonitatis, eam non dici occultam, cùm nihil minùs nos lateat, quàm bonitas diuina, ſed quod in hoc toto negotio occultum eſt, iuſto Dei iudicio tribuatur, quod vnum à nobis ignoratur.

Digitized by Google

Articvlvs XIX.

Soluuntur quæ contra propoſitam doctrinam ab Aduerſariis obiici ſolent.

Contendvnt imprimis hanc memorati toties loci illius 1. Timot. c. 2. de omnibus & ſingulis expoſitionem, à Pelagianorum ſchola eſſe petitam, quod obiicit non ſemel in ſua Apolog. 3. p. 1. cum duce, magiſtróque ſuo doctor Arnaldus. Sed copioſè fuit à nobis ſuprà declaratum, quam in partem acceptum ſit illud à Pelagianis dictum, in quo fuerit ab iis, & quo modo peccatum, eámque calumniam à ſchola Caluiniana depromptam, quàm parùm prudenter, ac conſideratè in nos deriuent, quámque indignè nobiſcum agant, qui Deum non alia voluntate, circa prædeſtinatorum, quàm reproborum ſalutem ferri, nos docere mendaciter imponant. Eò accedit, quod cùm Auguſtinum, eiúſque diſcipulos ita loci illius cæteras expoſitiones probaſſe oſtenderim, vt eorum nullus noſtram putet eſſe reiiciendam, imò pleroſque eorum magis ſimilem vero videri pro ſua parte affirment; nónne ſuam miſerè perdunt operam miſeri Ianſeniàni, cùm pro noſtra labefactanda, cæteras allatas à Patribus proponunt, cùm ſi vna ab iis admittatur, non neceſſe ſit, vt cæteræ omnes tanquam minùs idoneæ reiiciantur?

Contendunt 2. multis paſſim teſtimoniis Auguſtinum penitùs negare, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, Deíque voluntatem circa hominum ſalutem, ad ſingulos pertinere. Cui difficultati ſuprà tam abundè eſt ſatisfactum, vt pluribus id refutare velle videretur hominis eſſe in eo genere paullò intemperantioris. Nam Deum velle reproborum ſalutem voluntate antecedente, prædeſtinatorum verò conſequente, quod aliorſum ac oportet, accipiunt Ianſeniani, tritum eſt, ac peruagatum.

Sentio equidem lapſum errore hac in parte Apologiæ Ianſenianæ auctorem, qui, quod, vt D. Thomas aſſerit, Deus vult voluntate antecedente, *non ſimpliciter, & abſolutè* vult

illud, ſed *ſecundùm quid*, perperàm patrio ſermone reddidit *propriè*, quam voluntatem ait eſſe ſigni, non beneplaciti, eam non eſſe verè, ac propriè dictam voluntatem, quippe quæ nihil efficiat, & operetur, eámque, ſi quæ ſit, eodem modo ſe erga reprobos habere, ac circa dæmones ipſos. Quæ oratio ſuperiùs à me refutata, cùm hominis videatur eſſe parùm intelligentis, deinceps etiam nobis erit negligenda. Nam cùm dicit velle *propriè*, idem eſſe ac velle ſimpliciter, & abſolutè, declarat quàm parùm acutus ſit, qui neſciat, quod ipſi non ignorant Philoſophiæ nouicij, ens illud, quod vocant per accidens licèt non ſit ens ſimpliciter dictum, ſed tantùm ſecundùm quid, eſſe nihilominùs ens propriè dictum.

Quæcumque porro afferuntur ab Aduerſariis contra doctrinam noſtram prompta ab Auguſtino teſtimonia, ea probant ad ſummum, Chriſtum pro ſolis electis eſſe mortuum. quæ niſi noſtra voluntatis antecedentis, conſequentíſque acceſſerit diſtinctio, iuxta ſententiam vſurpatam à Tridentino explicari non poſſunt: Quapropter nihil illis cauſæ eſt, cur nobiſcum expoſtulent, ſi de Auguſtini doctrina ſic ſtatuamus, eiúſque verba ita debere ſumi cenſeamus; cùm in eo Theologorum propè omnium, ipſiúſque Concilij Tridentini expoſitionem ſequamur. Neque verò negant ipſi Chriſtum pro fidelibus reprobis eſſe mortuum, quanquam cùm ſuam doctrinam ſtabilire volunt, ea ſolent adhibere teſtimonia, quæ cùm preſsè accipiuntur, vt ab illis fieri conſuetum eſt, Chriſtum pro ſolis electis mortuum declarant; in quo mala eorum fides, vt in pleriſque aliis, meritò reprehendi poteſt. Ita factum vidimus cùm ab omnibus paſſim partium earum ſcriptoribus, tum ab ipſo præſertim totius ordinis defenſore Arnaldo 3. par. Apol. p. 2. art. 3 & ſequentibus.

3. Contendunt Chriſto venire in mentem non potuiſſe, vt pro iis oraret, quos certò nouerat eſſe reprobos, cùm futuram inanem ſuam pro iis orationem præſentiſceret, quorum reprobationem in decreto diuinæ voluntatis æterno, atque immutabili contineri intelligebat. Ita fermè rationes ſuas putant Ianſeniani, & eamobrem nobis oppo-

Digitized by Google

nunt Auguſtinum, qui monet nos pro omnibus, nemine planè omiſſo, orare idcirco debere, quia qui prædeſtinati ſunt, neſcimus. At Eccleſia quæ non ignorat certum eſſe, definitúmque electorum numerum, orat nihilominùs pro omnibus, non quòd poſitum à Deo ea de re decretum immutari velit, ſed quòd preces ſuas in mediis, quæ pertinent ad vniuſcuiuſque ſalutem vt plurimum contineri intelligit.

Quòd autem certam, & immutabilem Dei ſcientiam, adeóque prædeſtinationem ipſam ſolent prædicare Ianſeniani, quid faciunt aliud, quàm vt perſuadeant, nos de noſtra, aliorúmque ſalute, cuius iam poſitum à Deo decretum eſt, minimè ſolicitos eſſe debere; Quibus non aſſentitur D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2. vbi vtilitatem orationis tuetur, aduerſus eos qui decretorum Dei immutabilitatem ſolent opponere. *Conſiderandum* (inquit) *quòd ex diuina prouidentia, non ſolùm diſponitur qui effectus fiant, ſed etiam ex quibus cauſis, & quo ordine proueniant*: in quibus cauſis recenſet orationes, quibus oramus, *non vt diuinam diſpoſitionem immutemus, ſed vt impetremus, quod Deus diſpoſuit per orationes Sanctorum eſſe implendum.*

Idem omnino de Chriſto Domino exiſtimandum, atque adeò de ipſo rerum omnium moderatore, ac creatore Deo, qui non fruſtra creauit Angelos, eóſque tot ornauit gratiæ donis, quæ certò nouerat fore inutilia, cùm Angelorum ipſorum futuram damnationem iam tum animo præcipiebat. Illa eſt nimirum vetus ab omnibus impiis, ac flagitioſis ſolita vſurpari de Deo querela; cur creauerit quos præuidit perituros. At cùm in defendenda Dei bonitate, & ſapientia, contra has profligatiſſimorum quorumque querelas ſancti Patres tam diligenter verſati ſint, ineptus ſim, ſi diutiùs in eo loco morer; poteſt inter cæteros conſuli Ambroſius lib. de Parad. c. 8. vbi explicat, cur Deus *elegerit Iudam, quem proditorem ſciebat?* aítque quia *venerat Dominus Ieſus omnes ſaluos facere peccatores: etiam circa impios oſtendere ſuam debuit voluntatem ... & quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quòd omnes voluit liberare.*

Ipſum Auguſtinum, cuius auctoritate ſe tuentur Aduerſarij, videamus. ſic ille lib. de correp. & grat. cap. 15. *Neſcientes*

Digitized by Google

tes quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri: hoc fit, cùm ſingulos quoſque vt occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, vt iuſtificati ex fide, pacem habeant ad Deum .... Ad nos ergo qui neſcimus, quiſnam ſit filius pacis aut non ſit, pertinet nullum exceptum facere, nullúmque diſcernere, ſed velle omnes ſaluos fieri. Quibus quid efficitur aliud, quàm aliam eſſe debere orationis Chriſti pro omnibus, ac noſtræ rationem? cùm debeamus orare, vt ſalui fiant vniuerſi, Chriſtus verò vt ſalui quidem fiant prædeſtinati; cæteri verò ſalui fieri poſſint; ſic vt, quantùm in ſe eſt, ponat quidquid ad eorum ſalutem neceſſarium eſt, nec per ſe ſtet, quominùs gloriam obtineant.

Plus difficultatis videtur habere locus is lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 24. vbi refutat eos Auguſtinus, quos cap. 18. dixerat exiſtimare, damnatos Sanctorum precibus aliquando liberandos, *Nunc* (inquit) *Eccleſia pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ. Denique ſi de aliquibus ita Eccleſia certa eſſet, vt qui ſunt illi, etiam noſſet, qui licèt adhuc in hac vita ſunt conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in ignem æternum ire cum Diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipſo: ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis ſuis, in hoc corpore conſtitutis, nec tamen pro omnibus exauditur: pro his enim ſolis exauditur, qui etſi aduerſantur Eccleſiæ, ita tamen ſunt prædeſtinati, vt pro eis exaudiatur Eccleſia, & filij efficiantur Eccleſiæ.* Sed hic locus clarior eſt, quàm vt ſint nobis admonendi docti, de eâ tantùm hîc agi oratione, qua ſalus ipſa petitur, non ſalutis *poſſibilitas*, quod ſatis patet ex errore eo, quem ibi refutat Auguſtinus.

Quòd ſi quem ſcirem certò eſſe reprobum, quemadmodum certum habetur de Antichriſto, non orarem quidem vt ſaluus fieret, cùm iam id fieri minimè poſſe intelligerem; ſed vt bene ageret, adeóque de illius damnationis grauitate decederet aliquid, mitiúſque plecteretur, vel ſi gratiæ ope ſibi conceſsâ non vteretur, certè Dei iuſtitia in pœnâ ab eo ſumendâ commendaretur, idque in præ-

deſtinatorum bonum cederet. Certum eſt enim Deum commendari in eo, quòd impius *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnens theſaurizat ſibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Et hanc orandi rationem tenuit Chriſtus, qui *pro ſua reuerentia exauditus eſt.* Aliis enim precatione ſua prædeſtinationem ipſam, aliis fidem, & iuſtitiam, cuius ſua negligentia iacturam erant paſſuri, aliis vocationem obtinuit, ſic vt nec eadem gratiæ, ſalutíſque auxilia pro omnibus petierit, nec impetrauerit. Quòd ſi hunc Auguſtini locum accipi oporteat, vt placitum eſt Ianſenianis, conſequens eſt, Chriſtum non magis oraſſe pro iis, qui iuſtitiæ participes facti ſunt aliquando, quàm pro dæmone omnium, qui tenentur in inferis locis deſperatiſſimo, quod ſuperiùs ex Tridentino fuit demonſtratum erroneum.

Videant autem hîc Aduerſarij, quid illis concedendum putem. Sic enim ſtatuo Chriſtum non magis pro Iuda, quàm pro dæmone gloriam oraſſe. Cæterum pro Iuda vocationem, Apoſtoli munus, ſanctitatem, cæteráſque dotes, & ſalutis adiumenta poſtulaſſe, neque pro dæmone quicquam eiuſmodi ab eo fuiſſe factum. Ita Eccleſia cùm ſalutem pro reprobis orat, non impetrat, quamuis fidem vt plurimùm pro iiſdem, quam tamen non retinebunt, ſoleat impetrare. Ex qua reſponſione ſatisfieri poteſt difficultati, quam quarto loco opponunt.

Contendunt enim Chriſtum nec orauiſſe, nec eſſe mortuum, niſi pro iis quos diuiniſſimo ſuo amore complexus eſt, habuítque chariſſimos: neque quemquam amauiſſe, niſi quem iuſtum fecerit; neque Patrem aut Filium cuiuſuis ſalutem voluiſſe, niſi cuius gratia quippiam ad ſalutem pertinens fuerit operatus. Quid autem pro puero infanti, cui nihil ad ſalutem opis allatum eſt, vel Pater, vel Filius operatus cenſeatur? At quis dicat ſolos prædeſtinatos Deo charos eſſe, cùm pleriſque aliis non modò bene cupiat, ſed etiam iuſtitiæ, fideíque dona non neget, tametſi non ſtent in eodem gradu, quo cœperant? Niſi fortaſſe Caluinus hoc in loco audiendus ſit, qui ſolos prædeſtinatos veram fidem habere, eóſque coram Deo iuſtos eſſe velit.

Digitized by Google

Nec opinor ab eo multùm diſcrepant huius temporis nouatores, qui cùm docent Chriſtum non magis pro quibuſlibet reprobis, quàm pro dæmone ipſo oraſſe, fateantur quoque neceſſe eſt, eos ſolos Deo Chriſtóque charos acceptóſque eſſe.

Neque verò ſi dicam nullum gratiæ diuinæ donum quod ad ſalutem conſequendam conferre poſſit, niſi ex aliquo Dei amore, ſalutíſque eorum quibus datur ſtudio, ac voluntate cuiquam dari poſſe, idque totum Chriſti patientis laboribus eſſe partum, credo, nullus repugnabit, niſi qui Chriſto ſe profiteatur inimicum. Quamobrem cùm ex antè dictis manifeſtum ſit, nulli vnquam homini rationis vſu prædito, ſalutis adiumenta defuiſſe, & vnicuique ſemper aliquid adeſſe opis, quo bene vti poſſit, & ampliora gratiæ dona demereri; conſequens eſt, Chriſtum erga omnes adultos cuiuſuis ordinis ſint, ſemper eſſe bene affectum.

De ſolis pueris infantibus non baptizatis difficilis poteſt eſſe coniectura; in qua ſi quid eſſet negotij, illud ex anteà dictis expediri poſſet. Quibus addo, pueris illis ante & poſt Chriſti aduentum non modò inſtituta eſſe, paratáque à Deo idonea remedia, verùm etiam quoſdam pios motus eorumdem parentibus diuinitùs eſſe inſpiratos, quibus ſi morigeros ſe, vt par erat, præbuiſſent, proculdubio remediorum illorum vſum liberis ſuis impetraſſent. Quod laudatus à me, commendatúſque Proſper lib. 2. de vocat. gentium cap. 22. videtur inſinuare, *Non irreligioſè credi, quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa nationibus, qua vtique ſi bene eorum vterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuuarentur.* quibus ſatis manifeſtè declarat quid velit. Hac autem expedita difficultate, in quâ mirum quàm ſe ament aduerſarij, quantum ſupercilium attollant, non video quid præterea habere poſſint, in quo nobis negotium faceſſere queant. Certè meritò videbuntur infantiſſimi; ſi nihil habeant deinceps, præter pueros infantes, quod nobis opponant.

LIBERTATIS ET GRATIÆ CHRISTIANÆ DEFENSIO.

LIBER TERTIVS.

De diſcrimine gratiæ Adamo innocenti datæ, & Chriſtianæ.

PRÆFATIO.

QVAM *variè, multiplicitérque ſit erratum ab Aduerſario, quàm fœdè ac turpiter, cùm duobus ſuperioribus libris videatur ſatis eſſe explicatum; meæ iam partes eſſe debent, ſi factionis illius molitionem omnem funditùs euertere velim, vt ipſum errorum caput, turbidúmque illius doctrinæ fontem quæram; cuius peruestigatio non erit admodùm difficilis, cùm ipſo teſte Ianſenio ordinis illius duce, diſcrimen, quod eſt inter gratiam Angelis, & primo homini rebus integris datam, & eam quæ per Chriſti merita tribuitur, & eamobrem dicitur Chriſtiana, totius doctrinæ funda-*

Digitized by Google

mentum vulgò perhibeatur, vt libro primo cap. 17. *fusè fuit à me demonſtratum. Háncque vtriuſque gratiæ differentiam Aduerſarius ipſe libro de gratia primi hom. cap.* 17. *appellat* veram, & immobilem baſim, cui vniuerſa doctrina de gratia Chriſti Saluatoris incumbit; *quæ proinde ſi ſublata ſit, vel tantiſper è ſuo loco mota, nullus in Auguſtini doctrina patebit exitus; & eôdem loci profitetur duplicis illius gratiæ adiumenti diuerſitatem, ex diuerſi, in vtroque ſtatu, arbitrij diuerſa ratione profectam.*

Equidem video nihil frequentius iactari à Janſenianis, quàm primarium illud doctrinæ ſuæ fundamentum ab Auguſtino non ſemel eſſe propoſitum. Sed idem apertè manifeſtéque ab eodem traditum non video, niſi fortaſſe tribus illis libri de correptione, & gratia capitibus, decimo, vndecimo, & duodecimo, in quibus diſcriminis illius aliqua fit mentio. Nec poteſt dici, quàm ſæpe ab Aduerſario facta ſit, in omni gratiæ negotio, locorum illorum, quàm plena oſtentationis commemoratio; & quoties locus incidit habendi ea de re ſermonis, nunquam ſinit præteriri quin id repetat; quod facit lib. 8. *de hæreſi Pelag. cap.* 6. *vbi Maſſilienſium errorem in eo propriè ſitum eſſe vult; quòd aliquid libertatis primo homini conceſſæ, nobis ad credendum ſupereſſe crediderint, non excluſâ Adami gratiâ. Et lib.* 9. *de gratia Chriſti cap.* 15. *ſuam de Angelorum, Chriſtianorúmque prædeſtinatione planè diſsimili, doctrinam à me in ſecundo libro refutatam, in ſolâ hâc vtriuſque gratiæ differentiâ fundatam eſſe vult, quod ſatis declarat iis verbis*, diſcriminis iſtius, *de vtrâque prædeſtinatione eſt ſermo*, ratio non eſt alia, niſi diſcrimen adiutorij, *&c. vnde ſic ſubiicit*, Adiutorij vtriuſque

ſtatus ignoratio & permixtio ... pluſquam cimmeriis tenebris vniuerſam doctrinam de gratia, & prædeſtinatione compleuit, & veritas de prædeſtinatione reperiri poteſt apud illos ſolos, qui diſtinctionem illam duplicis adiutorij tutiſſimam, ſolidiſſimámque complexi ſunt. *Quod cùm ita ſit, in eo iam verſabor, vt quæſtionem hanc ſuperiùs à me, non ſemel quidem, ſed non ſatis accuratè diſputatam, in præſentia, & pro rei grauitate diligenter, & breuiter pro inſtituti mei ratione tractem.*

Verùm antequam progredior vlteriùs, celandum non videtur, quod vel maximè pertinet ad rem, quidquid ab Aduerſario in hanc partem dictum eſt, id è Caluinianorum ſchola totum eſſe depromptum. Caluinus enim lib. 2. Inſtit. cap. 3. §. 13. Auguſtinus, *inquit*, libro de correptione & gratia ad Valentinum fuſiùs exequitur .... gratiam perſiſtendi in bono Adæ fuiſſe datam ſi vellet; nobis dari vt velimus, ac voluntate concupiſcentiam ſuperemus; habuiſſe ergo illum poſſe, ſi vellet, ſed non velle vt poſſet; nobis & velle dari, & poſſe. *quæ voces tantùm habent cognationis cum Ianſeniana doctrina, vt haud ſcio, an quicquam eorum dictis magis conſentaneum afferri queat. Pleraque ſunt in hanc ſententiam alia, apud eundem, quibus, vt ad propoſitum argumentum properem, ſtatuo ſuperſedendum.*

Digitized by Google

CAPVT I.

De Gratia, ſeu Spiritu adoptionis, quem Chriſtus poſtquam receptus eſt in cælum dedit diſcipulis.

CERTVM habemus ex Patribus à Petauio lib. 8. de Trin. cap. 4. 5. 6. 7. & lib. 2. de Incarn. cap. 7. 8. 9. commemoratis, compertúmque, Chriſtum Dominum poſtquam in cælum receptus eſt, peculiari quodam modo, atque hactenus inuſitato Spiritum ſanctum hominibus dediſſe. Semel, iterum, ac tertiò Spiritum eſſe datum à Deo ſacris litteris accepimus; primò cùm peccata dimittebat toto illo, quod eius mortem, reſurrectionémque anteceſſit, tempore: ſecundò, cùm poſt reſurrectionem, dixit diſcipulis: *accipite ſpiritum meum* Ioan. 20. quem in eorum animos inſpirauit. Poſtremò, demùm cùm ipſo die Pentecoſtes in diſcipulos ſimul congregatos gratiam ſuam, cum ampliſſima, pleniſſimáque donorum ſuorum communicatione tam largiter effudit, ſic vt diuiniſſimum illud munus, toti deinceps Eccleſiæ vniuerſitati, commune factum ſit.

Neque quis exiſtimet illam ſpiritus donationem in ſola donorum creatorum communione fuiſſe poſitam, ſpiritúmque tunc datum κατ' ἐνέργειαν duntaxat, quemadmodum Patres loqui ſolent, hoc eſt ſecundùm operationem, ſed præterea primò οὐσιωδῶς, ſecundùm ſubſtantiam datus eſt, deinde non ad certum definitúmque tempus datus eſt, vt olim dabatur Prophetis, ſed in omnem conſequentium deinceps ætatum perpetuitatem. Tertiò eamobrem datus, vt hominum genus, quod lex ſeruum faciebat, amantiſſima adoptione in filiorum Dei numerum tranſcriberet, & duræ ſeruitutis inhoneſtum timorem, in ſuauiſſimos amoris, ac beneuolentiæ affectus commutaret. Quartò datus eſt gloriæ

immortalis, hæreditatiſque diuinæ non vt arrha modò, quæ rei promiſſæ pretio longè inferior eſt, ſed vt certiſſimum pignus, quo pacti, promiſsiſque muneris dignitas repræſentatur. Datus poſtremò vt perfectam, conſummatámque Chriſtianis ſanctitatem conferret; quæ ſingula, partim Scripturæ, partim Patrum auctoritate conſequenti oratione, vt plus habeant firmitatis, videntur eſſe ſtabilienda.

Nam quòd ea gratia ſit primùm ſingularis quædam ſancti Spiritus communicatio, & Chriſtianis peculiaris, diſertè docet Auguſtinus lib. 4. de Trin. cap. 20. vbi exponit illud Ioan. cap. 7. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Sic autem loquitur Auguſtinus: *Quomodo intelligitur, niſi quia certa illa Spiritus S. datio, vel miſsio poſt clarificationem futura erat, qualis nunquam antea fuerat? neque enim antea nulla erat, ſed talis non fuerat.* Addit Prophetas ſpiritus quidem diuini ardore animatos, plenos fuiſſe, cùm ore fatidico ventura pandebant, quid ergo cauſæ eſt, cur ſpiritus nondum is datus cenſeatur? *niſi quia illa datio vel donatio, vel miſsio Spiritus ſancti habitura erat quandam proprietatem ſuam in ipſo aduentu, qualis antea nunquam fuit. Nuſquam enim legimus, linguis quas non nouerant homines loquutos fuiſſe*, &c.

Quòd autem SS. Patres Spiritum S. tunc datum, non modò ſecundùm operationem, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam, omnino perſuadeant, fusè declaratur à Petauio lib. illo 8. de Trin. c. 4. quæ inſtitutæ breuitatis cauſa conſultus prætereo: hoc vnum aſſero, id ſatis ſignificari ab Apoſt. Rom. 5. cùm ait, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Eò etiam accedit quòd Chriſtus quoties pacti illius doni mentionem facit apud diſcipulos, toties ſe Spiritum S. miſſurum pollicetur, vt ſic ipſe ſoletur nos per ſe ſe, quemadmodum ipſe Chriſtus diſcipulos quando vnà cum illis verſabatur, ſolari ſolitus erat. Vnde Doni appellatio Spiritui ſancto perſonalis eſt, quòd ipſe ſecundùm ſubſtantiam donetur, nec proinde ipſa notio

notio ὑποστάσεως Spiritus ſancti intelligi poteſt, niſi ſub ratione doni; quod ex ſequentibus magis patebit. Quæ habet in hanc ſententiam Petauius, à curioſis & otioſis conſulantur.

At periculum eſt, cùm Spiritûs S. & animæ vnio fieri dicitur, ne id pro ratione vnionis illius, quæ eſt inter Verbum, & humanitatem Chriſti, ab imperitis accipiatur. Certè Cyrillus Alex. ne locum huic errori daret, vnionem illam Spiritûs S. lib. 33. Theſ. vocat μετοχὴν σχετικὴν participationem relatiuam, τῆς ἀνωτάτω πάσων οὐσίας μετάληψιν σχετικὴν, φυσικῶς διαβαίνουσαν παρὰ πατρὸς, δι' υἱοῦ, *ſupremæ omnium ſubſtantiæ communionem quandam relatiuam naturaliter à Patre per Filium tranſeuntem.* Ea videlicet vnio tametſi inter vnam, & alteram ſubſtantiam ſit, non propterea tamen ſubſtantialis habenda eſt, ſed accidentalis tantùm, vt aiunt, qualis eſt ea vnio, quæ animam inter & ſanguinem ſolet interuenire.

Fateor equidem Spiritum ſanctum interdum à Patribus animæ ipſius formam dici ſolere, & menti inſtar formæ vniri, non quòd partis ſubſtantialis rationem habeat, ſed principij cuiuſdam interni, vt ſe habet forma ſuis vnita qualitatibus, quibus vim ſibi innatam communicat, vt iis deinde tanquam inſtrumentis vtatur: aut quemadmodum anima rationalis calorem elementarem ita informat, & vi ſibi inſitâ afficit, vt eum vitalem efficiat, & idoneum qui vitæ operationibus inſeruiat. Quod qui, vt par eſt, attendat, non difficulter intelliget, qua demùm ratione Spiritus ſanctus non tantùm ſecundùm ſolam efficientiam, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam in mente iuſti inſit, vt eam conſecret, & vitali quodam ardore perfundat, quo demum animatus iuſtus vitæ æternæ opera operetur. Quod non valde abhorret ab Auguſtini opinione, qui ſerm. 186. de tempore cap. 4. ſic habet: *Quod eſt anima corpori hominis, hoc eſt Spiritus ſanctus corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia.*

Deinde quod Spiritus ſanctus datus dicitur, vt in perpetuum nobiſcum ſit, docet Chriſtus Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum … vos cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit …. ſi quis diligit me, ſermonem meum*

ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Hîc autem bene monet Auguſtinus in Ioan. tract. 76. ne *quis exiſtimet Patrem tantummodò, & Filium ſine Spiritu ſancto apud dilectores ſuos facere manſionem*, cùm nec Pater, nec Filius veniat ad nos, niſi per Spiritum ſanctum, nec niſi peculiari illo modo nobis detur Spiritus ſanctus, illi apud nos permaneant.

Tertiò quòd Spiritus ſanctus Chriſtianos à priſtina legis ſeruitute in libertatem aſſerat, eóſque efficiat filios adoptionis, ſatis apertè Paulus habet Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Itàque iam non eſt ſeruus, ſed filius, quòd ſi filius, & hæres per Deum.*

Quartò datus dicitur tanquam pignus gloriæ. Ita 2. Cor. cap. 1. *Vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Et Epheſ. cap. 1. *In Chriſto credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*, quod videtur inſinuare Auguſtinus ſerm. 43. de verb. Dom. cap. 2. in hæc verba: *Dedit dona hominibus. quæ dona? Spiritum ſanctum. Qui tale dat donum, qualis ipſe eſt? magna eſt autem miſericordia Dei: donum dat æquale ſibi, quia donum eius Spiritus ſanctus eſt, & vnus Deus tota trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Quid maius ſperari poteſt?*

Vnde promptum eſt demonſtrare, quod quinto loco dictum eſt, Spiritum ſanctum ideo datum Chriſtianis, vt eos perfectâ vitæ ſanctimoniâ donaret. Neque enim aliunde ſanctitas noſtra, quàm à perfecta Dei participatione conſtare poteſt. ſic Auguſtinus ſerm. 185. de tempore. *Spiritus ſanctus in hac die Pentecoſtes, ad præparata ſibi Apoſtolorum ſuorum templa, velut imber ſanctificationis illapſus eſt; non iam viſitator ſubitus, ſed perpetuus conſolator, & cohabitator æternus... affuit ergo in hac die fidelibus ſuis non iam per gratiam viſitationis, & operationis, ſed per illam præſentiam maieſtatis: atque in vaſa non iam odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit vnguenti.* Longum eſſet omnia quæ Patres in hanc ſententiam habent, recenſere.

Digitized by Google

CAPVT II.

Quo modo Spiritus ſanctus Chriſtianis donatus ſit?

LICET ipſa Spiritus ſancti ſubſtantia nobis donetur, vt ſuprà declaratum eſt, non neceſſe eſt tamen, vt ex illa diuiniſſimi huius doni communione diuinum exiſtat aliquid atque increatum. Verùm cùm ex Dei præſentia ſemper operatio conſequatur, non poteſt Deus exiſtere in nobis, quin continuò quidpiam efficiat. Neque enim fieri poteſt, vt diuina illa mens, cuius vi omnia animantur, vacua, ac otioſa vbiuis locorum eſſe queat.

Sic autem habendum, inter Deum, & hominem vnionem quandam exiſtere doni alicuius creati beneficio, quo tanquam arctiſſimo nexu Deus nobis coniungatur. Quid autem eſt illud, quod ea Spiritus ſancti præſentia & communione efficitur in mentibus noſtris, niſi nouus quidam amoris ardor, & eximia quædam vis charitatis, qua fit, vt rerum terrenarum ſatietas, ac faſtidium admirabili quodam modo capiat eos, quos diuinus ille conſolator ſemel complexus eſt? Eo fit vt nihil præter vnius gloriæ cæleſtis, ac hæreditatis diuinæ deſiderium ſpirent animo, quidquid mortale, ac caducum eſt, reſpuant, ad acerbitatum quarumlibet perpeſſionem veniant pleni animorum; nihilque de mum peræquè habeant optabile, quàm vt pro redemptore ſuo, ac ſeruatore facultates ſuas, honorem, vitam ipſam ſumma alacritate profundant.

Trifariam igitur, meo quidem iudicio, diuidi poteſt illud creatorum, quæ proficiſcuntur in nos à Spiritu ſancto, donorum genus. Primum complectitur omnia gratiæ tam habitualis, quàm actualis adiumenta, quatenùs non modò propter Chriſtum, ſed per Chriſtum etiam nobis conferri ſolent, & eamobrem habent quendam effectionis modum, ſiue ordinem, habitudinémque ad Chriſtum, vt noſtræ per-

Digitized by Google

fectionis exemplar & cauſa efficiens, adeo vt Chriſtus, quatenus beatus eſt, ſit iſtiuſmodi donorum auctor primarius, donatórque, de quo, quid lib. 1. cap. 11. fuerit à me obſeruatum, poterit recognoſci. Adde quæ D. Thom. habet 3. p. q. 57. art. 6. diſputans *vtrum aſcenſio Chriſti ſit cauſa noſtræ ſalutis.* & art. 1. ad 3. aſſerit, ideò nobis eſſe vtilem Aſcenſionem Chriſti, quòd per eam noua fiat ad fidem noſtram acceſſio, ſpémque nobis inſpiret certam, fore vt eò perueniamus, quò Chriſtus ipſe peruenit, poſtremiò nouo charitatis æſtu nos incendat, cuius beneficio nihil iam affectare poſſimus, quàm quod immortale, ac diuinum ſit. Vnde colligas, Chriſtum auctorem ſalutis noſtræ perfectum, conſummatorémque, vt loquitur Apoſtolus, non fuiſſe, niſi poſt Aſcenſionem ſuam, & gloriæ ſibi paratæ adeptionem.

Alterum verò donum eſt charitas ipſa, quæ vna rerum cæleſtium, ac diuinarum amorem, terrenarum faſtidium, ac ſatietatem parit. Vnde Paulus Rom. 8. ſemper ſpiritum adoptionis, qui nouæ legis eſt, opponit ſpiritui timoris, qui priſcæ, *qui ſicut ſeruitutem, ita ſpiritus charitatis facit libertatem filiorum. Facit enim hominem voluntariè ad honorem Dei operari*, & *qui ex charitate procedit timor ſanctus habet oculum ſolùm ad rem ſpiritualem, quia nihil timet niſi à Deo ſeparari*, inquit S. Thom. ad cap. 8. Rom. lect. 3.

Tertium donum eſt amor crucis; & illa quæ viget inter Chriſtianos, in acerbiſſimis quibuſque, duriſſimíſque cruciatibus perferendis æquabilitas animi, atque fortitudo. Ita nimirùm ſibi perſuadent nunquam ſe felices, fortunatóſque fore, quàm cùm ad Chriſti Domini ſui patientis ſimilitudinem quàm proximè accedere poterunt. Hinc manat illa afflictionũ deſpicientia, qua tantopere gloriantur Chriſtiani, vt habet Rom. 5. Paulus. *Per Chriſtum habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

Hîc autem non prætermittendum, quod à D. Thom. lect.

Digitized by Google

1. ibidem obſeruatur, *eum qui vehementer aliquid ſperat* (inquit) *libenter ſuſtinere propter illud etiam difficilia, & amara.* Porrò ſpes illa dicitur non confundere quæ non deficit. Eamobrem autem non deficit, quia fundata eſt in charitate, quæ cùm ſit cæterarum virtutum forma, ipſa per ſeſe ſtabilis eſt, ac firma. Et c. 8. hæc habet: *Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Is autem in carne non eſſe dicitur, quia non ea quæ carnis ſunt ſectatur, ſed quæ ſpiritus, illius nimirum qui non ſeruos facit, ſed amicos, adeóque filios, & *hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & glorificemur.* Quibus amorem patientiæ commendat.

Atque hîc animaduertendum velim ſpiritum illum adoptionis, Chriſtianis inſpirare amorem cæleſtis hæreditatis, eodem modo adipiſcendæ, quo Chriſtus eam adeptus eſt, tolerantiâ laborum, patientiâque ſingulari, vt ei *conformes* fiant, ſitque *ipſe primogenitus in multis fratribus.* Quia, vt ibidem monet lect. 6. S. Thomas, *nihil aliud eſt adoptio filiorum, quàm illa conformitas. Ille enim qui adoptatur in filium Dei, conformatur vero filio eius in iure participandæ hæreditatis;* Quod ius in Chriſto fuit ipſa crux, vi cuius diuinæ gloriæ hæres factus eſt.

Infinitus ſim ſi omnia Scripturæ loca perſequi velim, quibus ſpiritus is adoptionis eſſe declaratur. Vnum eſt, quod præteriri non debet ex ep. 2. ad Timoth. c. 1. *Non dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Spiritum virtutis* vocat D. Thom. *ſpiritum fortitudinis, quo dirigimur in malis, & contra aduerſa.* Spiritum dilectionis, quo qui præditus eſt, *omnia quæ diligit* refert in Deum. Spiritum denique ſobrietatis, *ſeu temperantiæ, quo ſeruatur modus & menſura in vſu bonorum temporalium,* quantùm ſatis eſt ad æternorum bonorum adeptionem.

Id autem maximè patuit in primis Chriſti diſcipulis, cùm primùm effuſum in ſe Spiritum ſanctum, ipſo die Pentecoſtes receperunt; de quibus ita ſermone illo 18. de temp. Auguſtinus. *Erat quidem in eis fides, ſed fiducia conſtantia deerat. Iam quidem Chriſtum per vniuerſa poterant prædicare, ſed adhuc pro Chriſto, vſque ad mortem certare non poterant ....*

non ſufficiebant, vt dignum erat, cæleſtia, & æterna cogitare: nec præualebant adhuc portare anguſta eorum pectora diuinorum ſenſuum magnitudinem, vt poſſent intelligere Chriſtum, quomodo erat Verbum Deus apud Deum .... Stephanus plenus Spiritu ſancto, iam non in terra Chriſtum requirit, ſed aperto cælo vidit gloriam Dei, neque iam de vindicta cogitat, ſed pro perſecutoribus ſuis exorat ... poſt illuſtrationem Spiritus ſancti, & confirmationem, cuſtodiis excruciati, verberibus affecti, ibant gaudentes, quia digni eſſent pro Chriſti nomine contumeliam pati ... & propter eum in ſuppliciis gloriantur ... Et qui antè verbis deterrebantur, nunc pœnis, & cruciatibus roborantur, & Chriſtum Dominum non iam vocibus, ſed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem, ſanguinis effuſione teſtantur. Tum verò hæc addit: *Iſtud verò nouum vinum non putemus ſolos Apoſtolos ſuſcepiſſe. hoc muſto inflammantur, & hoc præclaro poculo inebriantur etiam corda fidelium ... quod frequenter fieri videmus, quando pro deſiderio ſalutis ſuæ, parentes, & patriam fugiunt ... mortui huic mundo alios ſpiritaliter animarum inquirunt parentes, & liberi ſub iugo veniunt .... cupiunt eſſe quod antea deſpexerant, & odiſſe incipiunt, quod fuerant, præſentium hoſpites, futurorum appetitores, æternam illam patriam, contempta temporalium falſitate ſuſpirant .... abſtinentiam delitiis, vigilias dulcibus ſomnis, paupertatem diuitiis anteponunt; arduum contra vitia laborem iucundiſſimam computant voluptatem.*

Quàm aptè verò quinque illæ capite ſuperiori memoratæ conditiones, ſiue proprietates perfectæ donationis Spiritus ſancti reperiantur in illa eius Spiritus communicatione, qua bonorum cæleſtium amor, terrenorum deſpicientia, perfectæ cum Chriſto patienti ſimilitudinis ſtudium concilietur, nemo, opinor, eſt, qui non videat. nam ex ipſo Patrum Tridentinorum teſtimonio Spiritus ſanctus per eos pietatis ſenſus excitat mentes noſtras, quibus ad gratiam iuſtificationis accipiendam præparamur. quod vna charitate fit, non timore, qui tametſi per ſeſe vim habeat ad iuſtitiam obtinendam, vis illa tamen tenuis eſt adeò, ac exigua, vt præ charitate, quæ iuſtitiæ ipſius forma eſt, nullius momenti eſſe videatur; cùm charitatis beneficio ad

perfectam Dei ſimilitudinem quàm proximè fieri poteſt accedamus. Et eamobrem Baſilius apud Petauium Spiritus huius participes συμμόρφους vocat, ſiue *conformes* imagini Filij Dei.

Denique datio illa Spiritus ſancti gloriæ certiſſimum pignus eſt, vt antea dictum; quod & perfectiſſimam conferat animæ ſanctitatem, & illi ſpem faciat obtinendæ gloriæ, beatitudiniſque potiundæ firmiſſimam. Cùm autem charitas ea perfecta ſit, quæ Deum ſibi proponit vnum, quem amet, & in Deo proximum: is proximi maximè amans eſt, qui bona terrena, quæ non poſſunt poſſideri niſi diuiſa, aſpernatus, ea tantùm bona appetit, quæ pertinent ad ſpiritum, quæ quidam amicitiæ quaſi fomites ſunt, quia cum per ſeſe communia ſint, maximum ad communitatis vinculum afferre ſolent adiumentum. Teſtes illi maiores noſtri, qui primis Eccleſiæ temporibus tanta inter ſe animorum conſenſione conſpirabant, & quemadmodum habemus ex Actuum cap. 4. eorum *erat cor vnum & anima vna; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.*

CAPVT III.

Adamo ſano & felici data eſt gratia adoptionis.

QVòD adoptionis gratia legis nouę propria vulgò perhibeatur, non id ſic accipiendum, quaſi primę Adami conditioni non conuenerit, eâq; tanquam ſibi minimè conſentaneâ primus ille parens noſter caruerit. Nam licèt lex noua, veteri, naturaliſque legi per ſeſe opponeretur, non propterea ſtatui innocentiæ, in quo primus homo conditus eſt, oppoſita cenſeri debet. Quin etiam, tametſi tantùm eſſet inter legem Chriſtianam, & Moſaïcam diſcriminis, tamen in priſca lege quoſdam extitiſſe proditum eſt, qui charitatem illam, verámque Dei dilectionem, quæ nouæ legis propria eſt, vſque ad contemptum ſui, bonorúmque cæleſtium

Digitized by Google

deſiderium cum terrenorum deſpicientia, atque faſtidio habuerint; quod quidem donum non vi ſtatus in quo verſabantur, ſed peculiari quadam Dei ita ſtatuentis beneficentia, adepti ſunt.

Perſpicuum autem eſt hanc Chriſtianæ legis propriam gratiam, ab ea quæ fuit Adami propria, fuiſſe diuerſam, vt etiam clariùs paullò pòſt patebit. Verùm id vtrique fuit commune, quòd adoptionis diuinæ gratia fuerit, quæ tam Angelos, quorum par fuit quoad hoc, & Adami ratio, quàm Chriſtianos, filios Dei, & hæredes fecerit, non tamen cohæredes Chriſti, quem, niſi peccaſſet Adam, futurum fuiſſe non probabile eſt; certè morti, cæteríſque vitæ incommodis, atque ægritudinibus obnoxium minimè futurum, omnibus paſſim Theologis placitum eſt.

Vt autem ad inſtitutam diſputationem referat ſe oratio, certum eſt Adamum adoptionis gratia fuiſſe à Deo donatum, quia vi ſtatus illius innocentiæ, qua pollebat, in ſummâ rerum humanarum tranquillitate, bonorúmque huius vitæ abundantia verſabatur quidem; verùm non aliam propoſitam ſibi à Deo virtutis mercedem ſpectabat animo, quàm cæleſtem gloriam, patriæque hæreditatis poſſeſſionem, bona verò temporalia ſibi proponebat tanquam media, quibus vteretur, vt finem obtineret, non verò in quibus hærendum ſibi putaret; in quo poſita eſt vera adoptionis ſpiritus ratio; nam cætera diuinæ opis adiumenta, ad illius gratiæ perfectionem, atque ornatum videntur tantummodò pertinere.

Quòd autem ita res habet, perſuadent Patrum teſtimonia, cùm illud exponunt Geneſ. cap. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Baſilius inprimis apud Petauium lib. 8. de Trin. c. 5. § 4. ex lib. 5. contra Eunom. vult eiuſdem rationis inſpirationem illam fuiſſe cum ea, qua poſtea Spiritum ſanctum in diſcipulos inſpirauit, & *per quem Deus inſpirationem dedit, tunc quidem cum anima, nunc autem in animam.* Cyrillus Alex. dial. 7. de Trin. ſpiraculum vitæ ita interpretatur, vt vita illa, vera ſit natura diuinitatis, in qua viuebat homo Deo ſimilis per ſanctificationem: qui verò vitæ illius diuinæ

ſit

ſit particeps, haud dubiè filius adoptionis eſt. Et in dialog. 4. hac ſpiritus communione ornatum hominem, excellentiam ſanctitatis, & affinitatis cum Deo fuiſſe conſequutum docet. Tametſi autem Auguſtinus per illud vitæ ſpiraculum ſoleat intelligere ſpirabilem illam naturæ rationalis partem, qua ipſe fit homo ſpirabilis; tamen hanc adoptionis gratiam tribuit Adamo. Ita lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 9. interpretatur id, quod dicitur homo conſtitutus in paradiſo, vúltque per paradiſum plantatum ad Orientem, & per lignum pulchrum viſu, de quo eſt mentio cap. 2. Gen. *figuratè explicari ſpiritales, immortales, & intelligibiles delicias quas habet vita æterna, & gaudia noſtra ſpiritalia.* Et l. 6. de Gen. ad lit. cap. 20. & ſequentibus quærit *quomodo renouemur, ſi non ad hoc per Chriſtum renouamur, quod in Adam priùs eramus*, quia videlicet Coloſſ. c. 3. iubemur induere *nouum hominem eum, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum.* & Eph. c. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Quomodo autem renouari dicimur, ſi non recipimus quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc planè recipimus ſecundùm quendam modum, & non recipimus ſecundùm quendam modum. Non itaque immortalitatem ſpiritalis corporis recipimus, quam nondum habuit homo, ſed recipimus iuſtitiam, ex qua per peccatum lapſus eſt homo ... Renouamur ergo ſpiritu mentis noſtræ ſecundùm id, quod amiſit Adam, id eſt, ſecundùm ſpiritum mentis noſtræ .... hanc imaginem in ſpiritu mentis impreſſam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam iuſtitiæ.*

Ex quâ Auguſtini oratione duo rem in noſtram colligi poſſunt; alterum eſt, nobis reſtitui iuſtitiam eam & ſpiritum gratiæ, quem Adamus perdiderat; alterum verò, eundem in illo, atque in nobis gratiæ ſpiritum, eandem iuſtitiam, eandem Dei ſpeciem, imaginémque eſſe, & conſequenter ſpiritum adoptionis filiorum nobis cum illo eſſe communem. Vnde in eodem loco, dictum eſt ab Auguſtino: *Quibus dicitur renouamini ſpiritu mentis veſtræ, hoc eis dicitur, vt ſpiritales fiant. Quòd ſi ille nec in ipſa mente fuit, quomodo nos renouamur ad id quod nunquam fuit.*

CAPVT IV.

Gratia & iuſtitia Adami innocentis nobis per Chriſtum reſtituta eſt.

CVM gratiam ſanctitatis, & iuſtitiæ dico, intelligo eam, quæ tam habitus, quàm actus ſit, ita videlicet vt eadem dona virtutum fidei, ſpei, & charitatis accipiant qui per Chriſtum iuſti fiunt, & eundem liberi arbitrij, ſeu indifferentiæ ſtatum, à quo Adamus excidit, quod ab Aduerſario negari lib. 1. c. 17. demonſtratum eſt, oſtenſúmque non ſolùm propriam liberi arbitrij rationem ſeu eſſentiam, verùm etiam ſtatum indifferentiæ ad bonum Chriſti ope, & adiumento nobis priſtinum reſtitui.

Quæ autem eo in loco memorata ſunt à me ex Cæleſtino, Innocentio, Auguſtino, Proſpero, Fulgentio non repetam. Hîc vnum addam, hanc eſſe Patrum omnium Græcorum apud Petauium ſententiam, in eóque omnes conuenire, quòd eadem gratia, cuius nefario crimine ſuo iacturam fecit Adam, in nobis per Chriſtum reparetur. Baſilius lib. 5. contra Eunom. diſertè ait, cum ea nouitate, quæ fuit initio eſſe præſentem renouationem, eandémque virtutem, ac naturam diuinam, quæ per inſufflationem ad hominem ſcilicet Adamum data fuerat, rurſus à Chriſto per ſufflationem, reſtitutam eſſe; ita fermè Baſilius. Quid memorem Cyrillum Alexand. qui Dial. 7. de Trin. ait, Chriſtum per Spiritum ſanctum, & in ipſo hominem *priſtinam in ſpeciem tranſmutare*, εἰς εἶδος τὸ ἐν ἀρχαῖς, in ſpeciem quæ erat in primo illo ſtatu, in quo conditus eſt. tum ſubdit *poſtquam vniuerſorum conditor reuocare ad firmitatem, & decorem priſtinum voluit id, quod ad corruptionem prolapſum fuerat .... immiſit illi rurſus eum, qui abſceſſerat aliquando diuinum, ſanctúmque Spiritum.*

Quid dicam de Hieronymo, qui capitis 4. ad Eph. ex-

Digitized by Google

ponens hæc verba, *nolite contriſtare Spiritum ſanctum*, ita loquitur; *Signati ſumus Spiritu Dei ſancto, vt & ſpiritus noſter & anima imprimantur ſignaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & ſimilitudinem, ad quam in exordio conditi ſumus, hoc ſignaculum Spiritus ſancti iuxta eloquium Saluatoris, Deo imprimente ſignatur.*

Neque omittendus videtur, qui tantùm habet auctoritatis apud Aduerſarios Auguſtinus, qui vt ſuperiori cap. dictum eſt, *nos*, affirmat, *renouari per Chriſtum, ad id, quod in Adam priùs eramus*, ídque ex illo Apoſtoli loco colligit, vbi de ea mentis renouatione agitur: quæ renouatio non poteſt intelligi, niſi id, quod fuit antea, reparetur, quæ ſub finem Epiſt. 106. habet. Idem lib. de correp. & grat. cap. 11. non obſcurè docet, *parum eſſe homini per illam*, ſcilicet Chriſti gratiam, *reparare perditam libertatem*. Hæc autem can. 19. ſynodi Arauſ. II. quàm ſunt ad inſtitutam quæſtionem accommodata? *Natura humana, etiam ſi in illa integritate, in qua condita eſt permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Cùm igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire quam accepit: quomodo ſine Dei gratia poteſt reparare, quam perdidit?* Eadem igitur ſalus eſt, eadem ad bonum arbitrij, & voluntatis libertas, quam Deo adiuuante Adamus ſeruare poterat, quam perdidit, & perditam Chriſti gratia reparat in nobis.

Quid verò Proſper, qui ferè nunquam recedit ab Auguſtino? ſic ille in Epiſt. ad Rufinum ſub finem: *Homo, qui in libero arbitrio fuit malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt bonus, ſed per ſe malus, per Deum bonus, qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformauit, vt ei non ſolùm culpam malæ voluntatis, & actionis remitteret, ſed etiam bene velle, atque in eis permanere donaret.*

Ex quibus omnibus confici poteſt illud, quod à me contendebatur, idem reparari liberum arbitrium, quod priùs perierat, eandem gratiam reſtitui, vno verbo id, quod deformatum fuit, omnino reformari, quæ dici non poſſunt, ſi idem illud, quod deceſſit, non reſtituatur.

CAPVT V.

Quo ſenſu maior ſit gratia, quæ per Chriſtum reſtituta eſt, quàm ea quæ per Adamum amiſſa.

HOMINEM, bona quæ ſibi in Adamo erepta ſint, in Chriſto etiam maiori cum prouentu, ac fœnore recuperare, ita conſtans habetur inter Patres, vt pluribus id demonſtrare velle videretur inutile. Sic videlicet in l. 2. de vita contemp. c. 20. apud Proſperum habetur. *In illo*, ſcilicet Adamo, *omnia bona quæ potuimus habere, perdidimus; in hoc*, nimirùm Chriſto, *etiam maiora, & ſine fine habendâ recepturi ſumus, ſi perſeueranter eius veſtigia teneamus.* Quod cùm nulli dubium eſſe queat, hîc quæritur, quonam pacto gratia Chriſti maior ſit, quàm quæ fuit Adami?

Imprimis manifeſtum eſt, gratiam eam meritò dici poſſe maiorem, quæ indignis datur, ac immerentibus, quales ſunt ij, qui peccato inficiuntur. Eadem præterea, ſi per ſeſe plus habeat efficientiæ, plúſque intenſionis, vt loquuntur Theologi, illa procul dubio copioſior, vberiórque cenſebitur: quod vtrumque de gratia per Chriſtum data, ſine negotio poteſt demonſtrari. Nam quòd donis virtutum cùm habitualibus, tum actualibus, & pluribus abundet, & excellentioribus, promptum erit vnicuique, ſi conſiderare velit, intelligere. Vt enim omittam, quod video inter Doctores haberi probabile, virtutes, quæ malis medeantur, ab iis eſſe diuerſas, quæ conueniunt bonis, vt patet de pœnitentia: de qua, perinde ac de patientiâ, de tolerantia, & in rebus aduerſis perferendis æquanimitate, fueritne in Adamo necne diſputare ſolent Theologi. Quæ virtutes ſi revera in primo homine locum non habuerint, iam perſpicuum eſt, plures per Chriſtum nobis partas opes, quàm in Adamo fuiſſe ereptas.

Digitized by Google

Verùm quia pleriſque Theologis aliter viſum eſt, iique virtutum illarum habitus, in ipſis beatis ponunt, non is ſum, qui mihi ſumam quod video eſſe controuerſum, cùm præſertim non deſint pleraque alia, vnde id effici non difficulter poſſit. Nam quis non videat actus virtutum ab homine Chriſtiano longè nobiliores exerceri, præſtantioréſque, quàm ab Adamo? Quid excellentius illâ omnium commodorum, vitæque adeò ipſius deſpicientiâ, quæ viget apud Chriſtianos? Quid magis glorioſum, quàm ea, quæ videntur acerba, vt in hominum vita, ac fortuna multa contingere ſolent, ita ferre, vt etiam tecum præclarè actum putes, qui malè habearis? Quid magnificentius, quàm opes, facultatéſque contemnere, ſi non habeas, ſi habeas, ad liberalitatem conferre? Quæ ſunt eiuſmodi, vt haud ſciam, an quicquam ſit, quo perfecta virtus, animíque magnitudo illuſtriùs declarari poſſit.

Hæ ſunt porrò in quibus exercent ſeſe homines noſtri, virtutum exercitationes, adeò familiares in lege noua, quæ in ſtatu innocentiæ vel nullæ fuiſſent, vel inutiles. D. Thomas 1. p. quæſt. 95. art. 3. fatetur quidem *Adamum in ſtatu innocentiæ aliqualiter habuiſſe omnes virtutes*, quod vt oſtendat, ſtatuit duplex virtutum genus: alterum, quod *de ſui ratione nullam imperfectionem importet, vt iuſtitia, charitas, & eiuſmodi virtutes*, ait, *in ſtatu innocentiæ, ſimpliciter, & quantùm ad habitum, & quantùm ad actum fuiſſe*, quod negat de iis quæ ſtatus illius perfectioni repugnant, qualis eſt pœnitentia, & miſericordia. Tum concludit fortitudinem, & temperantiam, quoad *actus illos, qui ſuperabundantiam paſſionum repellunt*, in Adamo locum non habuiſſe. Idem de temperantia ſtatuit, de qua eodem loco hæc habet: *in illo erant actus temperantiæ, vt eſt moderatiua delectationum*, & fortitudinis, *vt eſt moderatiua audaciæ, ſiue ſpei, non autem ſecundùm quod moderatur triſtitiam, & timorem.* Manifeſtum eſt autem actus eos, qui in doloribus, timoribúſque moderandis occupantur, longè eſſe difficiliores, & vberioris proinde gratiæ auxilium deſiderare, quàm qui circa delectationem, & audaciam refrænandam verſantur. Non hîc repetam, quæ cap. 3. de gratiæ Chriſtianæ excellentia, & crucis amo-

Digitized by Google

re dicta ſunt à me, quibus manifeſtum eſſe poteſt, gratiam Chriſtianam, ea quæ data eſt Adamo innocenti, longè eſſe præſtantiorem.

CAPVT VI.

Memoratus à Ianſenio Auguſtinus non aliud inter gratiam hominis ſani, & ægri ponit diſcrimen.

VT nobis perſuadeat Aduerſarius, gratiam datam Adamo, longè fuiſſe diuerſam ab ea, quæ nobis per Chriſtum reſtituta eſt, vnum profert, illúdque ſingulare Auguſtini teſtimonium, petitum ex illis tribus toties commemoratis capitulis, decimo, vndecimo, & duodecimo lib. de corrept. & grat. quod totius doctrinæ ſuæ præſidium appellat, & in eo tanquam in arce munitiſſima, quæ nulla vi expugnari queat, fidenter quidem acquieſcit, ſed quàm parùm conſideratè, ſupereſt vt videamus, quod reliquo deinceps hoc opere nobis erit faciendum.

Ac primùm quod Auguſtinus ait nobis per Chriſtum dari ampliorem, copioſiorémque gratiam, quàm quæ data fuerat olim Adamo innocenti, oſtendo aliud eum nihil velle, quàm quod gratiæ vis debeat eſſe maior, quæ tentationum impreſſiones acerbiſſimas, difficillimóſque reluctantis carnis conflictus perdomet, quàm quæ tranquillitati ſeruiat; quod cùm ab vnâ, eadémque gratia præſtari poſſit, nihil eſt cauſæ, cur tantùm inter vtramque differentiæ ponatur ab Aduerſario, cùm certum ſit nos interdum confligtari tentationibus, interdum etiam omnia in nobis tranquillitatis eſſe pleniſſima; neque tamen diuerſum proinde pro diuerſo illo ſtatu, gratiæ Chriſtianæ adiumentum eſſe admittendum. At Auguſtini mentem ab ipſis eius verbis recognoſcamus.

Profitetur cap. 10. Adamum non accepiſſe donum perſeuerantiæ finalis. Neque enim habuit illud, quo in inno-

ſentia perſtitit, & non habuit, quia non accepit. Tale quippe donum eſt, vt eo recepto non perſeuerari non poſſit. Ideò autem non accepit, quia noluit, ſeu, vt loquitur, *per liberum arbitrium non ſtetit.* per quod ſi manere voluiſſet, perſeuerantiæ finalis donum ſibi à Deo oblatum accepiſſet; acceptúmque habuiſſet. Cùm autem ita de Adamo ſtatuat cap. 10. Auguſtinus, quærit cap. 11. num gratiam Dei habuerit? *Quid ergo*, inquit, *Adam non habuit gratiam Dei? imò verò habuit magnam, ſed diſparem*, Chriſtianæ videlicet, non cuilibet, ſed ei, quæ finalis eſt perſeuerantiæ donum.

In quo porrò poſita ſit gratiæ Chriſtianæ, & Adamo datæ differentia, ſic Auguſtinus pergit declarare, *Ille*, Adam videlicet, *in bonis erat, quæ bonitate ſui creatoris acceperat. Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparauerat.* Quæ autem bona ad ſalutem ſpectantia ſine meritis habentur, à Deo gratis data gratiæ rationem habent. Ille autem erat in bonis iuſtitiæ, & ſanctitatis, *in quibus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vitâ ad quos pertinet liberationis gratia hæc, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum, ſed libera nos à malo.*

Vbi obſeruandum non eum loqui niſi de liberationis gratia, quæ propria eſt Sanctorum, cùm ea ſit gratia qua perſeuerent, & fiant prædeſtinati: in quo verſatur omnis ea, quæ inducitur ab Auguſtino inter vtramque gratiam differentia. *Ille*, inquit, *in illis bonis Chriſti morte non eguit*, nec redemptione, peccatorúmque remiſſione: *iſtos à reatu & hæreditario, & proprio, illius Agni ſanguis abſoluit*, quod alterum diſcriminis caput eſt. *Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti cùm dicunt; video aliam legem*, &c. *atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari ſibi pugnandi, vincendíque virtutem per Chriſti gratiam poſcunt, ille verò nulla tali rixa, à ſeipſo aduersùs ſeipſum tentatus, atque turbatus in illo loco ſua ſecum pace fruebatur;* quod tertium eſt differentiæ caput. Cùm enim triplex malum patiantur Sancti, alterum quod externum ſit in variis tentationum probationibus, vnde peccato locus eſſe poſſit; alterum verò, peccatum præteritum, quod remitti nobis precibus flagitamus; tertium verò domeſticas inteſtináſque concupiſcentiæ conflictationes,

Digitized by Google

à quibus omnibus liber, & immunis erat Adamus, proinde *etſi non lætiore, verùm tamen potentiore gratia indigent iſti*, Sancti videlicet de quibus mentionem eo loco facit.

Quòd autem gratia hæc potentior ſit, probat ex ipſo Chriſto Domino, quem vocat gratiam Sanctis datam, *& quæ*, inquit, *potentior*; quàm *Dei vnigenitus pro eis factus homo? qui pertulit pro mortalibus mortem, qui mortuis præſtitit vitam, vt redempti eius ſanguine, tanto, ac tali pignore accepto dicerent, ſi Deus pro nobis ..... quomodo non & cum illo omnia nobis donauit.* Rom. cap. 8.

At caue, ne putes hîc cum Caluinianis Chriſtum eſſe gratiam & iuſtitiam noſtram, vt aiunt, formalem, ſed Sanctorum gratia eo ſenſu dicitur, quod ipſe quaſi quoddam gratiæ pignus ſit, ipſéque adeò eaſdem quas habuit, producat in ſuorum mentibus virtutes, eadémque gratiæ dona, quibus ornabatur, in nos conferat, quibus eundem mundi principem, quem ille vicit, vincere, atque profligare poſſimus.

Quapropter cùm gratia homini lapſo data id habeat commune cum gratia Adami, & bonam voluntatem, ſiue libertatem ad bonum, & adiutorium quo poſſit homo in bona voluntate permanere ſi velit, concedat, & præterea id etiam habeat ſibi peculiare, quod non habet altera, *vt non ſolùm adſit adiutorium*, *ſine quo* in bono *permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verùm etiam tantum, ac tale, vt velimus*: ſiue vt cum Auguſtino loquar, cùm tria ſint gratiæ dona, recipere bonum: poſſe in eo permanere, ſi libeat; & illud ipſum velle; cùm gratia Adami tertium illud non habuerit, habeat verò gratia Chriſti; videtur pro ſuo iure poſſe affirmare Auguſtinus hanc illâ eſſe præſtantiorem, atque excellentiorem, quod facit cap. 12. iis verbis. *Maior quippe libertas eſt neceſſaria aduerſùs tot, & tantas tentationes, quæ in paradiſo non fuerunt, dono perſeuerantiæ munita, atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus.* Hócque Sanctorum martyria docuiſſe probat fusè, quod ibidem perſequitur, cùm ait ſpiritum martyribus datum *virtutis, & charitatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia ſuperarent.*

CAPVT

CAPVT VII.

De Adiutorio ſine quo non, *& Adiutorio* quo *per Chriſtum dato, D. Auguſtini mens explicatur.*

EX iis quæ hactenùs dicta ſunt à me, manifeſtum habetur apud Cornelium Iprenſem, nullum adiutorium eorum, quæ nobis per Chriſti merita parta ſunt, quæque medicinæ vim habent, communem cum adiutorio *ſine quo non* rationem habere poſſe, cùm iſtud homini valenti proprium fuerit, illud verò, ægro, ac dolenti, alterius tanta ſit vis, & efficientia, vt voluntas creata nulla ſit, quæ ei reſiſtere queat, cùm detur iis, in quibus nihil ad bonum indifferentiæ relictum ſit; alterius verò ea ſit opportunitas, vt libero & ad bonum, malúmque indifferenti arbitrio permitteretur; cuius vnius Angelo, & Adamo integritate pollenti, copiam factam eſſe vult, non alterius. Vtriuſque autem adiutorij illius *quo*, & *ſine quo non* diſcrimen eſſe contendit totius doctrinæ ſuæ fundamentum; quod promptum ab Auguſtino ex tribus lib. de correp. & grat. capitibus 10. 11. & 12. ambitiosè gloriatur. nam non poteſt dici, quàm ſibi ea in parte placeat.

Tria porrò ſunt, quæ illi ſuper ea re breuiter oppono. primum incredibile planè videri, diſcrimen illud vtriuſque adiutorij fundamentum Catholicæ doctrinæ de gratia Chriſti, aduerſus Pelagianos, ab Auguſtino eſſe habitum, quod ipſos viginti annos contra eoſdem diſputans aut diſſimulauerit, aut ignorarit; cuius in libris de prædeſtinatione Sanctorum & de dono perſeuerantiæ, ad ſuum de correptione librum contra Maſſilienſes tuendum, & gratiæ rationem quæ tunc temporis obſcurior erat, magis explicandam, ne vel ſemel mentionem fecerit. Si tantopere diſcriminis illius cognitio neceſſaria erat ad gratiæ negotium omne exponendum, an debuerat à Concilio vel Arauſicano, vel Triden-

tino prætermitti? Quæſo vos Doctores Ianſeniani, qui in peruoluendis contra Pelagianos ſcriptis libris, eſtis ita diligentes, ſi quid habeatis à Patribus antiquis, aliiſque Eccleſiæ Doctoribus, quo nouum illud vtriuſque adiutorij diſcrimen confirmare poſſitis, illud proponite, quo nos, vti decet, perſuadeatis?

Alterum quod oppono, eſt, ſemel & iterum duplicis illius adiutorij mentionem ab Auguſtino duobus in locis lib. de corrept. & grat. cap. 10. 11. 12. & lib. de geſtis Pelagij cap. 1. eſſe factam. Locum vtrumque propono, vt quiuis æquitatis amans, de Ianſenio eiúſque fide iudicium, æſtimationémque ferre poſſit. Illorum alterum ex libro de geſtis ſic habet. Pelagius contendebat, *non poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui legis ſcientiam habuerit.* Verùm vt in Concilio Dioſpolitano errorem diſſimularet, dixit *hominem adiuuari per legis ſcientiam ad non peccandum.* Vt autem Auguſtinus eius fraudem aperiat. *Aliud*, inquit, *eſt hominem per ſcientiam legis ad non peccandum adiuuari*, (quod verum eſſe fatetur) *& aliud non poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui ſcientiam legis habuerit*, quod falſum eſſe demonſtrat Auguſtinus. Monet enim *adiutoriorum genera eſſe duo; alia quippe ſunt, ſine quibus illud, ad quod adiuuant effici non poteſt, ſicut ſine naui nauigat nemo, nemo ſine voce loquitur, nemo ſine pedibus graditur, nemo ſine luce intuetur, & multa huiuſmodi: vnde eſt etiam illud, quod nemo ſine Dei gratia rectè viuit.* Quam ille gratiam Chriſti haud dubiè intelligit, ſicque Chriſti gratiæ adiutorium *ſine quo non* eſſe vult, & appellat. *Alia verò ſunt adiutoria, quibus ſic adiuuamur, vt etiam ſi deſint, poſſit alio modo fieri propter quod ea requirimus ..... ſicut tribula ad fruges terendas*, &c. tale autem adiutorium ad non peccandum, ſcientiam legis eſſe vult, ita vt adiutorium *ſine quo non* ſit neceſſarium, aliud verò ſit tantùm vtile.

Non hîc diſputo, vtrum adiutoria, quibus ſic adiuuamur, *vt quamuis adiuuent, ſi adſint, ſi tamen deſint poſſit nihilominus id fieri ad quod dantur*, ſint adiutoria quibus fit, id ad quod iuuant; mihi ſatis eſt, quòd gratia Chriſti dicatur adiutorium non modò quo rectè viuitur, verùm etiam ſine quo non viuitur. Ex his certum eſt, eo in loco non eodem

in ſenſu vtrumque illud adiutorium accipi. Nam in lib. de corrept. & grat. vtrumque non vtile duntaxat, ſed neceſſarium eſſe dicitur. Præterea, vt poſtea oſtendam, *adiutorium quo* in lib. de corrept. dicitur id quod formalis cauſæ rationem habet, éſtque ipſa finalis perſeuerantia. In illo autem loco vtrumque adiutorium eſt cauſa efficiens, vt vel legenti patere poteſt. Cùm autem voces, duplicíſque illius adiutorij appellationes apud Auguſtinum ſignificationis ita ambiguæ ſint, non video, quomodo quicquam certi in illis ab Aduerſario fundari poſſit; aut quo pacto totius Auguſtinianæ de gratiâ doctrinæ primarium fundamentum eſſe queant; cùm ſemel & iterum tantùm ab Auguſtino, ídque in acceptionem diuerſam fuerint vſurpatæ.

Oppono tertiò, Auguſtinum tribus illis de corrept. & grat. capitibus, non de quauis Chriſti gratia ſermonem habuiſſe, ſed de vnica prorſus, ac ſingulari prædeſtinatorum propria, quæ eſt donum perſeuerantiæ finalis, & *adiutorium quo* minùs propriè ſumi. Nam adiutorium ad perſeuerandum, ſi propriè ſumitur, non eſt ipſa finalis perſeuerantia, ſed eius cauſa efficiens. At eo loco Auguſtinus per *adiutorium quo* non intelligit aliud, quàm ipſam perſeuerantiam finalem, qua prædeſtinatus formaliter fit perſeuerans. Quapropter errore lapſus eſt Ianſenius, tum quòd per *adiutorium quo* vult intelligi ab Auguſtino, illud quod ad bene vel agendum, vel perſeuerandum efficax eſt, cùm tamen ipſa perſeuerantia formalis ab Auguſtino appelletur *adiutorium quo*. Errat præterea turpiſſimè, quòd cùm gratia Chriſti multiplex ſit, operans, cooperans, præueniens, excitans, ſubſequens, aliúdque ſit auxilium poſſibilitatis, voluntatis, & actionis, hæc omnia diuinæ gratiæ adiumenta, vno illo *adiutorio quo*, velit ab Auguſtino ſignificari, cùm tamen nihil peræquè manifeſtum ſit, quàm Auguſtinum eo loci, non niſi de adiutorio perſeuerantiæ finalis ſermonem habere.

Atque vt etiam res liquidior ſit, tria breuiter oſtendo. Primùm Auguſtinum in illis tribus capitibus de gratia data prædeſtinatis ſermonem tantùm inſtituiſſe. Secundò, eum ne vel obiter quidem de alia quâuis gratia loqui, ſed de vna

duntaxat gratia perſeuerantiæ finalis. Tertium, per *adiutorium quo* intelligi ab Auguſtino ipſam perſeuerantiam finalem, non verò auxilium efficax ad perſeuerandum. de duobus poſtremis paullò pòſt ſuo loco; nunc de primo.

De primo res eſt procliuis. Nam quid magis perſpicuum ex cap. 10. in quo quæſtionem duobus capitibus, quæ conſequuntur, diſcutiendam ita proponit? *Quæritur à nobis, quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeuerare vſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus.* Et cap. 13. finita diſputatione, *Hæc*, inquit, *de iis loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei.* Tum cap. 11. ait loqui ſe *de ſanctis in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia.* Deinde poſtquam explicuit gratiam, quæ ipſi Chriſto Domino conceſſa eſt, & quæ eſt ipſe Chriſtus, *Per hunc*, inquit, *mediatorem Deus oſtendit eos quos eius ſanguine redemit, facere ſe ex malis deinceps in æternum bonos*, quos quis neget prædeſtinatos? Poſtremò cap. 12. poſtquàm explicuit adiutorium, quo Adamus in innocentia perſeuerare poterat, & ſine quo non poterat perſeuerare, non quoſlibet Chriſtianos, ſed ſolos proponit prædeſtinatos, quibus illud *adiutorium quo* dari vult. *Nunc verò Sanctis in regnum Dei, per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur.*

Quibus exploratis quid magis manifeſtum eſſe poteſt, quàm Aduerſarium eam, quæ in trium memoratorum capitum contextu continetur, doctrinam, ad omnem Chriſti gratiam extendere non poſſe, niſi cum Caluino dicat, gratiam Chriſti propriè dictam nemini niſi prædeſtinato dari ſolitam?

CAPVT IX.

De ſola finali perſeuerantia mentionem eo loci ab Auguſtino haberi.

ARTICVLVS I.

De duplici dono perſeuerantiæ.

TAMETSI prædeſtinatorum proprium gratiæ donum ipſa ſit perſeuerantia, ſiue auxilium illud, quo in iuſtitia, & ſanctitate gratis à Deo accepta ad extremum vſque finem perſeuerant; quia tamen alia gratiæ dona cum pleriſque reprobis illis communia ſunt, hîc breuiter oſtendo non de qualibet prædeſtinatorum gratia, ſed de ea ſola qua conſtat perſeuerantia finalis, diſputare Auguſtinum.

Obſeruandum imprimis perſeuerantiæ donum duplex intelligi poſſe. Alterum eſt, auxilium illud, quod datur ad perſeuerandum, quódque cauſa eſt efficiens perſeuerantiæ, quemadmodum gratia voluntatis, & actionis bonæ, non eſt ipſa vel volitio, vel actio bona, ſed eius cauſa effectrix. Alterum verò eſt ipſa perſeuerantia, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſa bona voluntas non deficiens per peccatum, ſeu eſt conſtans propoſitum, quo in inſtituto bono opere perſtat voluntas. D. Doctor 1. p. q. 95. a. 3. ad 4. cùm diſputat num Adamus, qui virtutibus omnibus dicitur fuiſſe ornatus, perſeuerantiæ donum habuerit, ſic reſpondet: *Perſeuerantia dupliciter ſumitur, vno modo prout eſt quædam virtus, & ſic ſignificat quendam habitum, quo quis eligit perſeuerare in bono: & ſic Adam perſeuerantiam habuit. Alio modo prout eſt circumſtantia virtutis, & ſic ſignificat continuationem quandam virtutis abſque interruptione, & hoc modo Adam perſeuerantiam non habuit.*

Obſeruandum 2. cùm facit hîc ſermonem Auguſtinus

Digitized by Google

uerantia, adeóque gratiæ donum, in quo demonſtrando totus ibidem eſſe videtur.

Inſtitutum de eadem perſeuerantia ſermonem perſequitur cap. 8. *Hic* (inquit) *ſi à me quæratur, cur eis Deus perſeuerantiam non dederit, quibus eam, qua Chriſtianè viuitur, dilectionem dederit, me ignorare reſpondeo.* Vbi de occultis Dei iudiciis multa ſubiicit, oſtendítque, *id non fieri humana voluntate faciente*, quòd perſeuerantia illa gratiæ donum ſit, pro qua Petro impetranda Chriſtus orauit. *Quando enim rogauit ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, potentiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem: voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam; ſed gratia potiùs libertatem, & vt perſeueret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Ita nimirùm de perſeuerantiæ finalis dono diſputat Auguſtinus, quemadmodum de gratia qualibet nobis per Chriſtum parta diſputant Ianſeniani, quod recténe, an ſecùs faciant, aliorum eſto iudicium. Certè hoc mihi videor poſſe nunc pro meo iure affirmare, quod & paullo pòſt mihi erit tenendum, non eandem omnino illius doni, & reliquorum gratiæ Chriſtianæ eſſe rationem. Quàm autem conſideratè, ac prudenter illud ignorare ſe reſpondeat Auguſtinus, eodem loci allatis aliis compluribus arcanis, occultíſque Dei iudiciis declarat.

Diſputat autem cap. 9. vtrum filiis ſuis aliquibus, ſic enim quæſtionem ipſe inſtituit, Deus non det iſtam perſeuerantiam: tum ſubiicit, ſi de prædeſtinatorum numero ſint, eam non negare: mox inſinuat, nullos alios eſſe filios Dei, quàm prædeſtinatos. Cæterum in iſtius capitis lectione cautio non mediocris adhibenda eſt, ne qua fiat ad Caluinianas partes declinatio. Nam procliue erit non attendenti, ex hoc loco exiſtimare, aut gratiam nunquam dari reprobis, aut iſtos nunquam verè iuſtos eſſe, aut prædeſtinatos non poſſe ſemper non eſſe Deo acceptiſſimos; à quibus omnibus quàm abhorreat Auguſtinus, tametſi videri poſſit iis, qui vel hac labe infecti, vel qui minùs conſiderati ſunt, partibus Caluinianis plus iuſto fauere. Quod cùm moneo cauendum, non negligendum puto fucum il-

lum,

lum, quem facit ex hoc capite Ianſenius, ex quo prompſit rationes, quibus ſi poſſit Chriſtum pro reprobis minimè mortuum eſſe perſuadeat.

Tum cap. 10. ex antea dictis de perſeuerantia finali prædeſtinatis data, ducit occaſionem diſputandi de Adamo innocente, & de gratia illi, Angeliſque conceſſa, non quacumque, ſed ea tantùm, quæ ſolius perſeuerantiæ finalis ſit. Certum quidem eſt Adamo datum eſſe varium, multiplexque donum gratiæ, fidei nimirùm, ſpei, charitatis, cæterorúmque eiuſmodi habituum ad perfectam hominis iuſtitiam conducentium; maximámque proinde gratiarum actualium illuminationis, inſpirationiſque copiam eſſe conceſſam: poſtremo eidem non negatam perſeuerantiam in fide & iuſtitia aliquam ad tempus; de quibus omnibus manifeſtum eſt, in his capitibus ab Auguſtino non haberi ſermonem, ſed de ea ſola perſeuerantia, quæ ad finem pertineat. S. enim Pater docet Adamum habuiſſe *adiutorium ſine quo non* poterat perſeuerare, & quo poterat perſeuerare in finem, non autem ipſum finalis perſeuerantiæ donum accepiſſe, quod martyribus, cæteriſque ad gloriam deſtinatis tribui ſolet, quod donum, vt præclarè obſeruatum eſt à Petauio, ab Auguſtino *adiutorium quo* hoc in loco appellatur; quod cuiuis non ſtupido, & attendenti, abſque negotio patebit. Sic enim cap. illo 10. vt ſuprà declaratum eſt, diſputat: *Quæritur à nobis, quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeuerare vſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus.*

Vnam autem hîc & alteram proponit difficultatem, priorem quidem, quæ minùs impedita ſit. *Si perſeuerantiam non habuit, quomodo ſine vitio fuit, cui tam neceſſarium Dei donum defuit?* poſteriorem verò, *operoſiorem*, vt ipſe profitetur, *ſi in illa rectitudine, in qua ſine vitio factus eſt, habuit perſeuerantiam, procul dubio perſeuerauit in ea, & ſi perſeuerauit, vtique non peccauit: Eum autem peccaſſe veritas clamat. non ergo habuit in illo bono perſeuerantiam, & ſi non habuit, non vtique accepit. porrò ſi propterea non habuit, quia non accepit, quid ipſe non perſeuerando peccauit, quia perſeuerantiam non accepit?* Perſpicuum eſt totam quæſtionem de hoc vnico perſeue-

EEee

rantiæ finalis dono inſtitui. Poſtquàm verò de Angelis reprobis controuerſiam mouit, mox docet eos, ipſúmque Adamum perſeuerare potuiſſe, neque donum illud, ſi libitum eſſet, iis defuturum.

Capite vndecimo, & duodecimo comparat Adamum cum prædeſtinatis hominibus, quantùm ſpectat ad hoc donum, & gratiam finalis perſeuerantiæ. Et verò cap. 11. docet Adamum habuiſſe Dei gratiam, eámque copioſam quidem, & vberem, ſed tamen diſparem perſeuerantiæ Sanctorum, *ad quos* (inquit) *pertinet liberationis hæc gratia*; quam cùm deſignat, non quamlibet, ſed duntaxat vnam, quæ eſt perſeuerantiæ finalis, gratiam ſolis prædeſtinatis conceſſam, intelligere ſe declarat. *Iſtam* (inquit) *gratiam non habuit homo primus, qua nunquam eſſet malus, ſed ſanè habuit, in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet*. Id eſt, habuit gratiam, quâ, ſi vellet, vſque in finem perſeuerare poſſet; non autem ipſam perſeuerantiam finalem, quâ fit, vt nunquam Sanctus aut velit, aut poſſit eſſe malus : *Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet*. Quis porrò non videat iuſtitiam non deſerere, ſed in ea permanere, eſſe perſeuerantiam? *poſſet ergo permanere ſi vellet, quia non deerat adiutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeueranter bonum tenere, quod vellet*. Non obſcurum eſt (opinor) de quo adiutorio loquatur Auguſtinus. Nam ſi reliqua quæ in eadem continentur contextus ſerie, conſulantur, patebit, eum loqui de ſolo hoc adiutorio, per quod Angeli boni conſtiterunt, *ſine quo manere non poſſent; Quibus autem datur adiutorium, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm meritum, & tantò ampliùs datur ... vt non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verùm etiam tantum, ac tale ſit, vt velimus. eſt quippe in nobis per hanc*, de qua mentio eſt, *Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeueranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus*.

Neque quis putet Auguſtini mentem de gratia, qua bonum recipitur, quæ non eſt gratia perſeuerantiæ finalis, ſed præueniens, aut concomitans, eſſe accipiendam. Eo enim

Digitized by Google

loco duo illa coniungit, in *bono recipiendo*, & *perſeueranter tenendo*, quæ ſeorſim non eſſe ſumenda declarant verba conſequentia. *Quod* (de adiutorio quo perſeueratur, ſeu de ipſa finali perſeuerantia eſt ſermo) *non fuit in homine primo: vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.* quæ planiora ſunt, opinor, quàm vt interpretem deſiderent. Quia verò acceptum bonum *nondum perdiderat*, eamobrem pro eo recipiendo, *gratia non egebat*, ſed *adiutorio gratiæ, ſine quo id* (in bono permanere) *omninò non poſſet*, & *acceperat* quidem *poſſe ſi vellet* perſeuerare, *ſed non habuit velle, quòd poſſet. Nam ſi habuiſſet, perſeueraſſet.* Vnde liquet agi eo locò de ſolo gratiæ adiutorio, ad perſeuerandum neceſſario.

Pergit porrò cap. 12. demonſtrare maiorem eſſe vim gratiæ Chriſti, quàm illius, quæ Adamo conceſſa eſt, ſic tamen, vt de ſola gratia finalis perſeuerantiæ loquatur. Agit enim de illâ gratia, qua Adamus *poterat non peccare, non mori, bonum non deſerere*, id eſt, qua in rectitudine poterat permanere. Poſtquàm autem duplex inſtituit illud libertatis, immortalitatis, & perſeuerantiæ diſcrimen; duo quoque auxiliorum genera ſtatuit, alterum, *ſine quo non aliquid fit; alterum, quo aliquid fit*, & de differentia illa accommodatè ad inſtitutum ſuum diſputans, de ſolo perſeuerantiæ adiutorio loquitur. *Primo* (inquit) *homini ... datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet; nunc autem ſanctis in regnum Dei, per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur, non ſolùm, vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm vt per hoc donum, non niſi perſeuerantes ſint.* Addit autem *maiorem libertatem eſſe neceſſariam aduersùs tot, & tantas tribulationes, quæ in paradiſo non fuerunt, dono perſeuerantiæ munitam, atque firmatam.* vt ſignificet ſe non de quauis, ſed de ſola perſeuerantiæ finalis gratia mentionem habere.

Cùm autem Sanctos prætereа minimè ſeruire peccato dictum ſit, agit de eo, quod dicitur ad mortem, quod eſt finale, ſeu *fidem, quæ per dilectionem operatur deſerere vſque ad mortem*; vt vel inde planum ſit eum de ſolo perſeuerantiæ

dono loqui. pleraque ſunt alia in hanc ſententiam, quæ ibidem legi poſſunt.

Cùm porro Auguſtinus diſcrimen inſtituit inter eam quæ data eſt Adamo gratiam, & Chriſtianam, de illa tantùm quæ ad perſeuerantiam pertinet, eo in libro loquitur; vt ab his verbis ſatis perſpicuum eſt. *Deus Sanctis non ſolùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poßint perſeuerare, ſi velint: ſed in eis etiam operatur & velle: vt quoniam non perſeuerabunt niſi & poßint, & velint, perſeuerandi eis poßibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur: tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poßint, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur, vt velint.* Ita videlicet perſeuerantiæ finalis donum datur homini; vt boni immutata voluntate, quoad viuat illius retinens ſit, neque vnquam ab eo quoquo modo decedat, niſi priùs è vita deceſſerit.

CAPVT X.

De merito perſeuerantiæ, quod in Adamo perditum, Chriſti gratia non reſtituit.

ARTICVLVS I.

Docet Auguſtinus aliquod humanum meritum periiſſe in Adamo.

NON repetam hoc loco quod fusè demonſtratum eſt lib. 1. cap. 18. omne tam bonum, quàm malum propriè dictum meritum nobis à Ianſenio eripi; quod ad eius de libertate doctrinam neceſſariò conſequens eſt, cùm tollat omnem libertatis indifferentiam, ſine qua nullum propriè dictum meritum conſtare poſſe, ſumma animorum conſenſione docent omnes Theologi. Vnde non mirum

Digitized by Google

videri debet, ſi vanum quoddam, atque inane libertatis ſimulacrum nobis relinquat, qui libertatem eam, quæ in indifferentia ſita ſit, putet homini lapſo eſſe eripiendam. Cùm enim triplex à Patribus, & Theologis vulgò libertas ſtatuatur, prima à peccato: ſecunda à miſeriâ: tertia à neceſſitate, ille lib. de gratia primi hominis caput 6. ſic inſcribit: *Adamus liberum habuit arbitrium. Quid liberum ſibi velit*, adeóque ſignificat non obſcurè, ſe de arbitrij libertate diſputare; tamen libertatem à peccato cùm iſta confundens, ſic habet: *Ipſe amor creatoris, ſiue veritatis, eſt formalis libertas eius*, ſcilicet naturæ creatæ. Quòd ſi res habet, vt dicis mi Corneli, certè dicas etiam neceſſe eſt, tam repugnare, libertatem arbitrij eſſe ſine amore Dei in homine peccati labe vitiato, quàm repugnat aquam ſine calore eſſe calidam. *Mobilis igitur libertas Adamo data eſt, vt ampliſſimus eſſet eius merito locus*. De libertate, credo, arbitrij ad meritum neceſſariâ loquitur. Quid deinde? *Adamum dum neſcio qua imagine libertatis Deo ſeruire noluit, ... in veram ſeruitutem amiſſa libertate* (ſcilicet arbitrij) *præcipitatum eſſe*. Quæ nimirum relicta eſt poſt peccatum libertas Adamo, ea à Doctore noſtro *vmbratica quædam ſpecies libertatis*, *& fallax vmbra* appellatur, adeóque meritum omne noſtrum, vt iam res ſunt, vel bonum, vel malum, quod liberi arbitrij conditionem ſequatur, minimè verum, germanúmque ſit, ſed ſpecies quædam, & fallax vmbra meriti. Quod cùm audiunt Lutheri, Caluiníque fautores, habent enimuerò, in quo ſecum præclarè factum exiſtiment, gratiáſque habeant Cornelio Ianſenio, quod tam amicè, ac liberaliter id ſibi concedat.

Nunc verò vt aliquid efficiam, vnum, & alterum breuiter oſtendo. Primum eſt, aliquod meritum, quod in Angelo fuit, & poterat eſſe in Adamo, homini lapſo non eſſe conceſſum: alterum eſt, meritum illud, cuius iacturam per Adami peccatum paſſa eſt natura humana, nec per Chriſti gratiam fuit reſtitutum, non eſſe aliud quàm quod ad perſeuerantiam finalem pertinet.

Vtriuſque dicti confirmatio habetur manifeſta Enchir. cap. 105. 106. 107. nam cap. 105. diſputat de libertate arbi-

trij, *quòd omnino non poterit ſeruire peccato.* & de immortalitate, *in qua homo non poterit mori.* Cap. autem 106. de ea ſic loquitur, *Illam natura humana ſic perdidit per liberum arbitrium, & hanc eſt acceptura per gratiam, quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum.* Quòd autem illam, de qua agit, immortalitatem nolit eſſe ipſam beatitudinem, habetur ſatis clarè ex cap. 107. in quo *vitam æternam bonorum operum mercedem eſſe* dicit.

In lib. de corrept. & grat. cap. 6. docet *perſeuerantiam in bono proficientem vſque in finem magnum Dei eſſe munus, nec eſſe niſi à Deo ... nam ſi ab homine homini eſſet, à Deo poſcenda non eſſet ... nullo dubitante, quiſquis à Domino, vt in bono perſeueret, precatur, donum eius talem eſſe perſeuerantiam confitetur.* Cap. 8. *Sicut* (illi contra quos diſputat) *coguntur fateri donum Dei eſſe, vt finiat homo vitam, antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant; ita Dei donum eſſe in bono perſeuerantiam .... fateantur nobiſcum, & cur aliis detur, aliis non detur ſine murmure aduersùs Deum dignentur ignorare nobiſcum.* Quibus ſignificat bonum non magis mereri perſeuerantiam, quàm priuſquàm peccet, emori. Cap. 10. in Angelis qui *ſteterunt in veritate*, diſtinguit *permanſionem in bono à ſumma beatitudinis plenitudine, quòd hæc illius præmium ſit*, & in eo poſita, quòd *Angeli magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlteriùs omninò non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè noſſent.* Quod non ita planum eſſe videtur. Nam pij illi fidelium manes, qui flammis expurgantur, & *cadere omnino non poſſunt*, & *hoc de ſe certiſſimè norunt*, adeóque donum perſeuerantiæ finalis habent, nec tamen habent beatitudinis plenitudinem. Verùm quia id ad noſtrum inſtitutum non pertinet, in eo non moror diutius.

Cap. 11. Adamus *quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt ſancti Angeli, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa eſſe manſuros.* In quo notandum quòd cùm Angeli dicuntur perſeue-

Digitized by Google

rare per liberum arbitrium, non debeat excludi adiutorium gratiæ *ſine quo manere non poſſent; nunc autem quibus deeſt tale adiutorium*, (ſine quo videlicet non perſeuerare in bono quiſquam poteſt) *iam pœna peccati eſt; quibus autem datur ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm meritum, & tanto amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus dare id Deo placuit, vt non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, verùm etiam tantum, ac tale ſit, vt velimus.* Sed quod maximè ad rem noſtram facit, ſic concludit. *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato?* (quod eſt perſeuerantiæ donum) *quæ futura erat, & homini*, ſano nimirum, & valenti, *ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito*, non quocumque, ſed merito perſeuerantiæ illius, *in iis, qui liberantur factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

Neque omittendum quod in hanc rem cap. 12. fusè habetur. *Vt non acciperet hoc donum Dei, id eſt in bono perſeuerantiam primus homo, ſed perſeuerare, vel non perſeuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas ... nunc verò poſtquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam maioribus donis adiuuandâ remanſit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maximè humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret, vt non glorietur omnis caro coram ipſo, id eſt, omnis homo. Vnde autem non glorietur omnis caro, niſi de meritis ſuis? quæ quidem potuit habere, ſed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt, per liberum arbitrium: propter quod non reſtat liberandis, niſi gratia liberantis.* Ea ſunt nimirùm merita, quæ per liberum arbitrium gratiâ diuinâ adiutum potuit habere Adamus, quibus perditis iam nobis nihil relictum eſt præter gratiam liberatoris. Porrò inter merita amiſſa quæ non apud nos reparantur, minimè cenſenda videntur ea omnia, quæ Lutheri, Caluiníque ſectatores comminiſcuntur; ſed donum illud ita pretioſum perſeuerantiæ finalis, quemadmodum ex toto orationis illius contextu manifeſtum eſt.

Non autem hîc dicam, quantùm offenſionis Maſſilienſibus hac ſuâ, de perſeuerantiâ, ſententiâ mouerit Auguſtinus: Ita enim Hilarius in epiſt. ſua de illis ſcribit. *Moleſte ferunt, ita di-*

Digitized by Google

duntaxat gratia perſeuerantiæ finalis. Tertium, per *adiutorium quo* intelligi ab Auguſtino ipſam perſeuerantiam finalem, non verò auxilium efficax ad perſeuerandum. de duobus poſtremis paullò pòſt ſuo loco; nunc de primo.

De primo res eſt procliuis. Nam quid magis perſpicuum ex cap. 10. in quo quæſtionem duobus capitibus, quæ conſequuntur, diſcutiendam ita proponit? *Quæritur à nobis, quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeuerare vſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus.* Et cap. 13. finita diſputatione, *Hæc*, inquit, *de iis loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei.* Tum cap. 11. ait loqui ſe *de ſanctis in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia.* Deinde poſtquam explicuit gratiam, quæ ipſi Chriſto Domino conceſſa eſt, & quæ eſt ipſe Chriſtus, *Per hunc*, inquit, *mediatorem Deus oſtendit eos quos eius ſanguine redemit, facere ſe ex malis deinceps in æternum bonos*, quos quis neget prædeſtinatos? Poſtremò cap. 12. poſtquàm explicuit adiutorium, quo Adamus in innocentia perſeuerare poterat, & ſine quo non poterat perſeuerare, non quoſlibet Chriſtianos, ſed ſolos proponit prædeſtinatos, quibus illud *adiutorium quo* dari vult. *Nunc verò Sanctis in regnum Dei, per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur.*

Quibus exploratis quid magis manifeſtum eſſe poteſt, quàm Aduerſarium eam, quæ in trium memoratorum capitum contextu continetur, doctrinam, ad omnem Chriſti gratiam extendere non poſſe, niſi cum Caluino dicat, gratiam Chriſti propriè dictam nemini niſi prædeſtinato dari ſolitam?

Digitized by Google

CAPVT IX.

De ſola finali perſeuerantia mentionem eo loci ab Auguſtino haberi.

ARTICVLVS I.

De duplici dono perſeuerantiæ.

TAMETSI prædeſtinatorum proprium gratiæ donum ipſa ſit perſeuerantia, ſiue auxilium illud, quo in iuſtitia, & ſanctitate gratis à Deo accepta ad extremum vſque finem perſeuerant; quia tamen alia gratiæ dona cum pleriſque reprobis illis communia ſunt, hîc breuiter oſtendo non de qualibet prædeſtinatorum gratia, ſed de ea ſola qua conſtat perſeuerantia finalis, diſputare Auguſtinum.

Obſeruandum imprimis perſeuerantiæ donum duplex intelligi poſſe. Alterum eſt, auxilium illud, quod datur ad perſeuerandum, quódque cauſa eſt efficiens perſeuerantiæ, quemadmodum gratia voluntatis, & actionis bonæ, non eſt ipſa vel volitio, vel actio bona, ſed eius cauſa effectrix. Alterum verò eſt ipſa perſeuerantia, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſa bona voluntas non deficiens per peccatum, ſeu eſt conſtans propoſitum, quo in inſtituto bono opere perſtat voluntas. D. Doctor 1. p. q. 95. a. 3. ad 4. cùm diſputat num Adamus, qui virtutibus omnibus dicitur fuiſſe ornatus, perſeuerantiæ donum habuerit, ſic reſpondet: *Perſeuerantia dupliciter ſumitur, vno modo prout eſt quædam virtus, & ſic ſignificat quendam habitum, quo quis eligit perſeuerare in bono: & ſic Adam perſeuerantiam habuit. Alio modo prout eſt circumſtantia virtutis, & ſic ſignificat continuationem quandam virtutis abſque interruptione, & hoc modo Adam perſeuerantiam non habuit.*

Obſeruandum 2. cùm facit hîc ſermonem Auguſtinus

de perſeuerantia, loqui eum non de actu aliquo bono, ſed de perſeuerantia in iuſtitia, & ſanctitate habituali, cuius Sancti etiam inter dormiendum retinentes ſunt, neque ab illo iuſtitiæ ſuæ, ac ſanctitatis ſtatu dimoueri niſi peccando poſſunt.

Obſeruandum 3. ex eodem Doctore perſeuerantiam in bono, & in virtute eſſe duplicem, alteram, quæ præſentis vitæ ſit, qua v. g. Ioannes Baptiſta toto vitæ ſuæ decurſu in iuſtitia ab vtero matris accepta ſibi conſtitit; alteram verò, quæ non tam præſentis vitæ ſtatum quàm exitum complexa ſit, nullámque præterea peccandi relinquat poteſtatem; quod donum ab ipſa beatitudine diuerſum cenſeri debet, cùm etiam ad pios illos, qui flammis purgantur manes, pertineat, ipſíſque adeò diuiniſſimis cæleſtium ſpirituum mentibus conceſſum ſit in illa certa animi inductione, qua ſe Deo addixerunt; cùm ex communi ſcholæ ſententia, voluntas Angelorum ſit eiuſmodi, vt quo ſemel incubuerit, ibi conſiſtat.

Quòd autem duplicis illius perſeuerantiæ donum Auguſtino non ignotum fuerit, patet ex lib. de dono perſeuerantiæ, cap. 1. & 6. In primo enim annorum aliquot, &, vt ipſe loquitur, *temporis ſui* perſeuerantiam poſſe dici fatetur. At diſputans num perſeuerantia ſit donum Dei gratuitum, profitetur loqui ſe de perſeuerantia, qua vſque in finem perſeueratur in Chriſto. *Finem autem dico, quo vita iſta finitur, in qua tantummodò periculum eſt, ne cadatur. Itaque vtrum quiſque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertum eſt.* Et cap. 6. *Non dicant homines, perſeuerantiam cuiquam datam vſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis, & perſeueraſſe cui data eſt repertus fuerit vſque in finem.* Hinc ille conficit; *multos eam poſſe habere, nullum amittere; hócque donum ſuppliciter emereri poſſe; ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poſſe .... Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit, vt non amittatur etiam quod poſſet amitti?* quod deinde pluribus probat. Vnde non mirum, ſi de hoc dono mentionem faciens Auguſtinus, aſſerat irritum eſſe non poſſe, nec vel per contumaciam deſeri. *Atenim (*inquit*) voluntate ſua quiſque deſerit Deum, vt meritò deſeratur à Deo. Quis hoc negauerit? Sed ideo petimus,*

ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat, & ſi exaudimur vtique non fit, quia Deus non permittit, vt fiat. Nihil enim fit, niſi quod, aut ipſe facit, aut fieri ipſe permittit. quæ verba in primis obſeruari velim, pro iis quæ mihi deinceps dicenda ſunt, intelligendis.

ARTICVLVS II.

De ſolo perſeuerantiæ finalis dono dicta Auguſtini lib. de correp. & gratia, eſſe accipienda.

QVOD non ſemel monuimus, quoties ita tulit occaſio, Auguſtinum in illis tribus cap. de nullo planè alio gratiæ adiumento egiſſe, quàm de dono finalis perſeuerantiæ, hoc loco magis ex inſtituto incumbit faciendum, fuſiúſque declarandum, eum per *adiutorium ſine quo non* perſeuerantiæ ſufficiens auxilium intelligere, quo poterat Adamus perſeuerare, per *adiutorium* verò *quo*, ipſam perſeuerantiam finalem, quæ non niſi in ſupremo mortalis huius vitæ exitu obtineri queat, non autem de auxilio gratiæ vel ſufficientis, vel efficacis, quemadmodum à pleriſque video diſputari; ſeries autem omnis doctrinæ ab Auguſtino eo loco traditæ, ſic habenda.

In capite ſexto quærit, vtrum qui in bono non perſeuerat, ſit reprehendendus, ſic enim ſibi opponit: *Quid ego feci, qui non accepi? accepi enim fidem, quæ per dilectionem operatur, ſed in illa vſque in finem perſeuerantiam non accepi:* quam deinde profitetur eſſe *magnum Dei munus*, quod fusè ibidem probat. Ex quo patet, non de alio gratiæ dono, quàm perſeuerantiæ in finem, ibi eſſe ſermonem: Quemadmodum & in totius capitis ſeptimi contextu videre eſt, in quo pergit oſtendere, licèt perſeuerantia finalis ſit donum Dei, nihilominùs meritò reprehendi eos, qui in iuſtitia non perſeuerant, quia *ex bona in malam vitam, ſua voluntate mutati ſunt;* cùm poſſent non mutari, ſi quidem apud Aug. aliquid in voluntate habere, ſit idem atque in poteſtate ſua poſitum habere. præterea de gratuita prædeſtinatione diſputat, quòd prædeſtinatorum propria ſit illa perſe-

uerantia, adeóque gratiæ donum, in quo demonſtrando totus ibidem eſſe videtur.

Inſtitutum de eadem perſeuerantia ſermonem perſequitur cap. 8. *Hîc* (inquit) *ſi à me quæratur, cur eis Deus perſeuerantiam non dederit, quibus eam, qua Chriſtianè viuitur, dilectionem dederit, me ignorare reſpondeo.* Vbi de occultis Dei iudiciis multa ſubiicit, oſtendítque, *id non fieri humana voluntate faciente*, quòd perſeuerantia illa gratiæ donum ſit, pro qua Petro impetranda Chriſtus orauit. *Quando enim rogauit ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, potentiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem: voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam; ſed gratia potiùs libertatem, & vt perſeueret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Ita nimirùm de perſeuerantiæ finalis dono diſputat Auguſtinus, quemadmodum de gratia qualibet nobis per Chriſtum parta diſputant Ianſeniani, quod recténe, an ſecùs faciant, aliorum eſto iudicium. Certè hoc mihi videor poſſe nunc pro meo iure affirmare, quod & paullo pòſt mihi erit tenendum, non eandem omnino illius doni, & reliquorum gratiæ Chriſtianæ eſſe rationem. Quàm autem conſideratè, ac prudenter illud ignorare ſe reſpondeat Auguſtinus, eodem loci allatis aliis compluribus arcanis, occultíſque Dei iudiciis declarat.

Diſputat autem cap. 9. vtrum filiis ſuis aliquibus, ſic enim quæſtionem ipſe inſtituit, Deus non det iſtam perſeuerantiam: tum ſubiicit, ſi de prædeſtinatorum numero ſint, eam non negare: mox inſinuat, nullos alios eſſe filios Dei, quàm prædeſtinatos. Cæterum in iſtius capitis lectione cautio non mediocris adhibenda eſt, ne qua fiat ad Caluinianas partes declinatio. Nam procliue erit non attendenti, ex hoc loco exiſtimare, aut gratiam nunquam dari reprobis, aut iſtos nunquam verè iuſtos eſſe, aut prædeſtinatos non poſſe ſemper non eſſe Deo acceptiſſimos; à quibus omnibus quàm abhorreat Auguſtinus, tametſi videri poſſit iis, qui vel hac labe infecti, vel qui minùs conſiderati ſunt, partibus Caluinianis plus iuſto fauere. Quod cùm moneo cauendum, non negligendum puto fucum il-

lum

lum, quem facit ex hoc capite Ianſenius, ex quo prompſit rationes, quibus ſi poſſit Chriſtum pro reprobis minimè mortuum eſſe perſuadeat.

Tum cap. 10. ex antea dictis de perſeuerantia finali prædeſtinatis data, ducit occaſionem diſputandi de Adamo innocente, & de gratia illi, Angeliſque conceſſa, non quacumque, ſed ea tantùm, quæ ſolius perſeuerantiæ finalis ſit. Certum quidem eſt Adamo datum eſſe varium, multipléxque donum gratiæ, fidei nimirùm, ſpei, charitatis, cæterorúmque eiuſmodi habituum ad perfectam hominis iuſtitiam conducentium; maximámque proinde gratiarum actualium illuminationis, inſpirationíſque copiam eſſe conceſſam: poſtremo eidem non negatam perſeuerantiam in fide & iuſtitia aliquam ad tempus; de quibus omnibus manifeſtum eſt, in his capitibus ab Auguſtino non haberi ſermonem, ſed de ea ſola perſeuerantia, quæ ad finem pertineat. S. enim Pater docet Adamum habuiſſe *adiutorium ſine quo non* poterat perſeuerare, & quo poterat perſeuerare in finem, non autem ipſum finalis perſeuerantiæ donum accepiſſe, quod martyribus, cæteríſque ad gloriam deſtinatis tribui ſolet, quod donum, vt præclarè obſeruatum eſt à Petauio, ab Auguſtino *adiutorium quo* hoc in loco appellatur; quod cuiuis non ſtupido, & attendenti, abſque negotio patebit. Sic enim cap. illo 10. vt ſuprà declaratum eſt, diſputat: *Quæritur à nobis, quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeuerare vſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus.*

Vnam autem hîc & alteram proponit difficultatem, priorem quidem, quæ minùs impedita ſit. *Si perſeuerantiam non habuit, quomodo ſine vitio fuit, cui tam neceſſarium Dei donum defuit?* poſteriorem verò, *operoſiorem*, vt ipſe profitetur, *ſi in illa rectitudine, in qua ſine vitio factus eſt, habuit perſeuerantiam, procul dubio perſeuerauit in ea, & ſi perſeuerauit, vtique non peccauit: Eum autem peccaſſe veritas clamat. non ergo habuit in illo bono perſeuerantiam, & ſi non habuit, non vtique accepit. porrò ſi propterea non habuit, quia non accepit, quid ipſe non perſeuerando peccauit, quia perſeuerantiam non accepit?* Perſpicuum eſt totam quæſtionem de hoc vnico perſeue-

rantiæ finalis dono inſtitui. Poſtquàm verò de Angelis reprobis controuerſiam mouit, mox docet eos, ipſúmque Adamum perſeuerare potuiſſe, neque donum illud, ſi libitum eſſet, iis defuturum.

Capite vndecimo, & duodecimo comparat Adamum cum prædeſtinatis hominibus, quantùm ſpectat ad hoc donum, & gratiam finalis perſeuerantiæ. Et verò cap. 11. docet Adamum habuiſſe Dei gratiam, eámque copioſam quidem, & vberem, ſed tamen diſparem perſeuerantiæ Sanctorum, *ad quos* (inquit) *pertinet liberationis hæc gratia ;* quam cùm deſignat, non quamlibet, ſed duntaxat vnam, quæ eſt perſeuerantiæ finalis, gratiam ſolis prædeſtinatis conceſſam, intelligere ſe declarat. *Iſtam* (inquit) *gratiam non habuit homo primus, qua nunquam eſſet malus, ſed ſanè habuit, in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet.* Id eſt, habuit gratiam, quâ, ſi vellet, vſque in finem perſeuerare poſſet; non autem ipſam perſeuerantiam finalem, quâ fit, vt nunquam Sanctus aut velit, aut poſſit eſſe malus : *Tale quippe erat adiutorium, quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet.* Quis porrò non videat iuſtitiam non deſerere, ſed in ea permanere, eſſe perſeuerantiam? *poſſet ergo permanere ſi vellet, quia non deerat adiutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeueranter bonum tenere, quod vellet.* Non obſcurum eſt (opinor) de quo adiutorio loquatur Auguſtinus. Nam ſi reliqua quæ in eadem continentur contextus ſerie, conſulantur, patebit, eum loqui de ſolo hoc adiutorio, per quod Angeli boni conſtiterunt, *ſine quo manere non poſſent ; Quibus autem datur adiutorium, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm meritum, & tantò ampliùs datur ... vt non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verùm etiam tantum, ac tale ſit, vt velimus. eſt quippe in nobis per hanc,* de qua mentio eſt, *Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeueranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus.*

Neque quis putet Auguſtini mentem de gratia, qua bonum recipitur, quæ non eſt gratia perſeuerantiæ finalis, ſed præueniens, aut concomitans, eſſe accipiendam. Eo enim

Digitized by Google

loco duo illa coniungit, in *bono recipiendo*, & *perſeueranter tenendo*, quæ ſeorſim non eſſe ſumenda declarant verba conſequentia. *Quod* (de adiutorio quo perſeueratur, ſeu de ipſa finali perſeuerantia eſt ſermo) *non fuit in homine primo: vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.* quæ planiora ſunt, opinor, quàm vt interpretem deſiderent. Quia verò acceptum bonum *nondum perdiderat*, eamobrem pro eo recipiendo, *gratia non egebat*, ſed *adiutorio gratiæ, ſine quo id* (in bono permanere) *omninò non poſſet*, & *acceperat* quidem *poſſe ſi vellet* perſeuerare, *ſed non habuit velle, quod poſſet. Nam ſi habuiſſet, perſeueraſſet.* Vnde liquet agi eo locò de ſòlo gratiæ adiutorio, ad perſeuerandum neceſſario.

Pergit porrò cap. 12. demonſtrare maiorem eſſe vim gratiæ Chriſti, quàm illius, quæ Adamo conceſſa eſt, ſic tamen, vt de ſola gratia finalis perſeuerantiæ loquatur. Agit enim de illâ gratia, qua Adamus *poterat non peccare, non mori, bonum non deſerere*, id eſt, qua in rectitudine poterat permanere. Poſtquàm autem duplex inſtituit illud libertatis, immortalitatis, & perſeuerantiæ diſcrimen; duo quoque auxiliorum genera ſtatuit, alterum, *ſine quo non aliquid fit; alterum, quo aliquid fit*, & de differentia illa accommodatè ad inſtitutum ſuum diſputans, de ſolo perſeuerantiæ adiutorio loquitur. *Primo* (inquit) *homini ... datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet; nunc autem ſanctis in regnum Dei, per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur, non ſolùm, vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm vt per hoc donum, non niſi perſeuerantes ſint.* Addit autem *maiorem libertatem eſſe neceſſariam aduersùs tot, & tantas tribulationes, quæ in paradiſo non fuerunt, dono perſeuerantiæ munitam, atque firmatam.* vt ſignificet ſe non de quauis, ſed de ſola perſeuerantiæ finalis gratia mentionem habere.

Cùm autem Sanctos præterea minimè ſeruire peccato dictum ſit, agit de eo, quod dicitur ad mortem, quod eſt finale, ſeu *fidem, quæ per dilectionem operatur deſerere vſque ad mortem* ; vt vel inde planum ſit eum de ſolo perſeuerantiæ

dono loqui. pleraque ſunt alia in hanc ſententiam, quæ ibidem legi poſſunt.

Cùm porro Auguſtinus diſcrimen inſtituit inter eam quæ data eſt Adamo gratiam, & Chriſtianam, de illa tantùm quæ ad perſeuerantiam pertinet, eo in libro loquitur; vt ab his verbis ſatis perſpicuum eſt. *Deus Sanctis non ſolùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeuerare, ſi velint: ſed in eis etiam operatur & velle: vt quoniam non perſeuerabunt niſi & poſſint, & velint, perſeuerandi eis poſſibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur: tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur, vt velint.* Ita videlicet perſeuerantiæ finalis donum datur homini; vt boni immutata voluntate, quoad viuat illius retinens ſit, neque vnquam ab eo quoquo modo decedat, niſi priùs è vita deceſſerit.

CAPVT X.

De merito perſeuerantiæ, quod in Adamo perditum, Chriſti gratia non reſtituit.

ARTICVLVS I.

Docet Auguſtinus aliquod humanum meritum periiſſe in Adamo.

NON repetam hoc loco quod fusè demonſtratum eſt lib. 1. cap. 18. omne tam bonum, quàm malum propriè dictum meritum nobis à Ianſenio eripi; quod ad eius de libertate doctrinam neceſſariò conſequens eſt, cùm tollat omnem libertatis indifferentiam, ſine qua nullum propriè dictum meritum conſtare poſſe, ſumma animorum conſenſione docent omnes Theologi. Vnde non mirum

videri debet, ſi vanum quoddam, atque inane libertatis ſimulacrum nobis relinquat, qui libertatem eam, quæ in indifferentia ſita ſit, putet homini lapſo eſſe eripiendam. Cùm enim triplex à Patribus, & Theologis vulgò libertas ſtatuatur, prima à peccato: ſecunda à miſeriâ: tertia à neceſſitate, ille lib. de gratia primi hominis caput 6. ſic inſcribit: *Adamus liberum habuit arbitrium. Quid liberum ſibi velit*, adeóque ſignificat non obſcurè, ſe de arbitrij libertate diſputare; tamen libertatem à peccato cùm iſta confundens, ſic habet: *Ipſe amor creatoris, ſiue veritatis, eſt formalis libertas eius*, ſcilicet naturæ creatæ. Quòd ſi res habet, vt dicis mi Corneli, certè dicas etiam neceſſe eſt, tam repugnare, libertatem arbitrij eſſe ſine amore Dei in homine peccati labe vitiato, quàm repugnat aquam ſine calore eſſe calidam. *Mobilis igitur libertas Adamo data eſt, vt ampliſſimus eſſet eius merito locus.* De libertate, credo, arbitrij ad meritum neceſſariâ loquitur. Quid deinde? *Adamum dum neſcio qua imagine libertatis Deo ſeruire noluit, ... in veram ſeruitutem amiſſa libertate* (ſcilicet arbitrij) *præcipitatum eſſe*. Quæ nimirum relicta eſt poſt peccatum libertas Adamo, ea à Doctore noſtro *vmbratica quædam ſpecies libertatis*, *& fallax vmbra* appellatur, adeóque meritum omne noſtrum, vt iam res ſunt, vel bonum, vel malum, quod liberi arbitrij conditionem ſequatur, minimè verum, germanúmque ſit, ſed ſpecies quædam, & fallax vmbra meriti. Quod cùm audiunt Lutheri, Caluiníque fautores, habent enimuerò, in quo ſecum præclarè factum exiſtiment, gratiáſque habeant Cornelio Ianſenio, quod tam amicè, ac liberaliter id ſibi concedat.

Nunc verò vt aliquid efficiam, vnum, & alterum breuiter oſtendo. Primum eſt, aliquod meritum, quod in Angelo fuit, & poterat eſſe in Adamo, homini lapſo non eſſe conceſſum: alterum eſt, meritum illud, cuius iacturam per Adami peccatum paſſa eſt natura humana, nec per Chriſti gratiam fuit reſtitutum, non eſſe aliud quàm quod ad perſeuerantiam finalem pertinet.

Vtriuſque dicti confirmatio habetur manifeſta Enchir. cap. 105. 106. 107. nam cap. 105. diſputat de libertate arbi-

trij, *quòd omnino non poterit ſeruire peccato.* & de immortalitate, *in qua homo non poterit mori.* Cap. autem 106. de ea ſic loquitur, *Illam natura humana ſic perdidit per liberum arbitrium, & hanc eſt acceptura per gratiam, quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum.* Quòd autem illam, de qua agit, immortalitatem nolit eſſe ipſam beatitudinem, habetur ſatis clarè ex cap. 107. in quo *vitam æternam bonorum operum mercedem eſſe* dicit.

In lib. de corrept. & grat. cap. 6. docet *perſeuerantiam in bono proficientem vſque in finem magnum Dei eſſe munus, nec eſſe niſi à Deo ... nam ſi ab homine homini eſſet, à Deo poſcenda non eſſet ... nullo dubitante, quiſquis à Domino, vt in bono perſeueret, precatur, donum eius talem eſſe perſeuerantiam confitetur.* Cap. 8. *Sicut* (illi contra quos diſputat) *coguntur fateri donum Dei eſſe, vt finiat homo vitam, antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant; ita Dei donum eſſe in bono perſeuerantiam .... fateantur nobiſcum, & cur aliis detur, aliis non detur ſine murmure aduersùs Deum dignentur ignorare nobiſcum.* Quibus ſignificat bonum non magis mereri perſeuerantiam, quàm priuſquàm peccet, emori. Cap. 10. in Angelis qui *ſteterunt in veritate*, diſtinguit *permanſionem in bono à ſumma beatitudinis plenitudine, quòd hæc illius præmium ſit*, & in eo poſita, quòd *Angeli magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlteriùs omninò non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè noſſent.* Quod non ita planum eſſe videtur. Nam pij illi fidelium manes, qui flammis expurgantur, & *cadere omnino non poſſunt*, & *hoc de ſe certiſſimè norunt*, adeóque donum perſeuerantiæ finalis habent, nec tamen habent beatitudinis plenitudinem. Verùm quia id ad noſtrum inſtitutum non pertinet, in eo non moror diutius.

Cap. 11. Adamus *quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt ſancti Angeli, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa eſſe manſuros.* In quo notandum quòd cùm Angeli dicuntur perſeue-

rare per liberum arbitrium, non debeat excludi adiutorium gratiæ *ſine quo manere non poſſent; nunc autem quibus deeſt tale adiutorium*, (ſine quo videlicet non perſeuerare in bono quiſquam poteſt) *iam pœna peccati eſt; quibus autem datur ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm meritum, & tanto amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus dare id Deo placuit, vt non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, verùm etiam tantum, ac tale ſit, vt velimus.* Sed quod maximè ad rem noſtram facit, ſic concludit. *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato?* (quod eſt perſeuerantiæ donum) *quæ futura erat, & homini*, ſano nimirum, & valenti, *ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito*, non quocumque, ſed merito perſeuerantiæ illius, *in iis, qui liberantur factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

Neque omittendum quod in hanc rem cap. 12. fusè habetur. *Vt non acciperet hoc donum Dei, id eſt in bono perſeuerantiam primus homo, ſed perſeuerare, vel non perſeuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas … nunc verò poſtquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remanſit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maximè humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret, vt non glorietur omnis caro coram ipſo, id eſt, omnis homo. Vnde autem non glorietur omnis caro, niſi de meritis ſuis? quæ quidem potuit habere, ſed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt, per liberum arbitrium: propter quod non reſtat liberandis, niſi gratia liberantis.* Ea ſunt nimirùm merita, quæ per liberum arbitrium gratiâ diuinâ adiutum potuit habere Adamus, quibus perditis iam nobis nihil relictum eſt præter gratiam liberatoris. Porrò inter merita amiſſa quæ non apud nos reparantur, minimè cenſenda videntur ea omnia, quæ Lutheri, Caluiníque ſectatores comminiſcuntur; ſed donum illud ita pretioſum perſeuerantiæ finalis, quemadmodum ex toto orationis illius contextu manifeſtum eſt.

Non autem hîc dicam, quantùm offenſionis Maſſilienſibus hac ſuâ, de perſeuerantiâ, ſententiâ mouerit Auguſtinus: Ita enim Hilarius in epiſt. ſua de illis ſcribit. *Moleſte ferunt, ita di-*

Digitized by Google

uidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perſeuerantiam, non quâ fieret, vt perſeueraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adiutorium perſeuerantiæ detur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur.. quo in loco, pro gratiâ, *adiutorium perſeuerantiæ* vſurpatur, quia non de quâlibet gratia, ſed de iſta tantùm, quæ finalis eſt perſeuerantiæ, ab Auguſtino diſputatur.

At verò ne quem relinquat ambiguitati locum, capite primo libri de dono perſeu. monet, ſe non loqui de quauis perſeuerantiâ, ſed de eâ ſolâ, *qua vſque in finem perſeueratur in Chriſto. finem autem dico, quo vita iſta finitur.* cap. 2. probat illam eſſe quoddam peculiare donum Dei, *ſicut & initium fidei, quia vtrumque dictum eſt eſſe donatum.* Philipp. 2. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm vt credatis in eum, verùm etiam vt patiamini pro eo.* Addit autem non tantùm prædeſtinatis, qui pro Chriſto mortem oppetunt, donari perſeuerantiam, verùm etiam iis, *qui ægritudine corporis, vel quocumque caſu moriuntur in Chriſto.* idem perſequitur pluribus cap. 3. 4. 5.

At cap. 6. reſpondet quibuſdam Maſſilienſium, ſuper ea re, querelis. *Nolunt* (inquit) *vt ſcribitis, iſti fratres hanc perſeuerantiam prædicari, vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit.* tum oſtendit eos, *quid dicant, parùm diligenter attendere. De illa enim perſeuerantiâ loquimur, qua perſeueratur vſque ad finem ... quæ non eſt data niſi cùm venerit ipſe finis .... quam quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeuerauerit vſque ad finem, multi eam poſſunt habere, nullus amittere ... hoc ergo donum ſuppliciter emereri poteſt, ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt.* Et refutat cap. 17. eoſdem Maſſilienſes quòd *fidem incipere habere, & in ea vſque in finem perſeuerare, tanquam id non à Domino accipiamus, noſtrum eſſe contendunt.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

Homo lapſus perſeuerantiam finalem non meretur, quam & meritus eſt Angelus, & Adamus mereri poterat.

QVI recipitur ex bono opere, ab homine iuſto in Chriſto & eius virtute facto, fructus, is triplex à Theologis vulgò cenſeri ſolet, ſatisfactio, meritum, & impetratio. Satisfactionem autem cùm dico, aliquid à reſtitutione diuerſum intelligo. Neque enim qui peccator Deo reſtituitur, idcircò plenè ei facere ſatis dici debet. Meritum verò bifariam diuidunt, alterum enim congruum, condignum alterum vocant. Satisfactio condigna, vt & condignum meritum, non poteſt eſſe, niſi opus bonum ab homine iuſto factum. At peccator fidei, ſpeíque beneficio, multa bona impetrat à Deo, quæ impetratio apud Auguſtinum non rarò confundi ſolet cum merito congruo, adeò vt ille nos fide, quæ primæ gratiæ opus eſt, cætera quæ ad iuſtificationem pertinent dona, & impetrare, & mereri à Deo dicat; quemadmodum qui vel mediocriter in eo verſati ſunt, ſatis intelligunt.

Nunc verò exiſtimo ſecundùm Auguſtini doctrinam poſſe dici, hanc ineſſe iuſtis omnibus poteſtatem, vt finalis perſeuerantiæ donum orationum ſuarum vi impetrare queant. quod innuit ſatis lib. de dono perſeu. cap. 6. ipſe Auguſtinus: *hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt.* quod ſic eſt accipiendum vt pro dignitate orationum ſuarum, illud iuſtus non conſequatur, ſed congruè tantùm, vt aiunt; quemadmodum fidelis, qui tametſi ex fide imperfecta, & informi agat, vulgò tamen cætera iuſtitiæ dona promereri, &, vt loquuntur Patres Tridentini, ad iuſtificationis gratiam accipiendam præparare ſe dicitur. Cùm autem morigerum præbuit Angelus ſe Deo, eiúſque dictis audientem, finalem eam, de qua diſputatur, perſeuerantiam meritus eſt, quia vi illius actus ſe in eò demùm conditionis ſtatu collocauit, in quem nulla mutationis viciſſitudo cadere poterat, nec pro-

Digitized by Google

inde ita conſtitutus magis peccare poterat, quàm poteſt damnatus in deſperatiſſima rerum ſuarum conditione non peccare. Adamus verò ſi præceptioni diuinæ paruiſſet, dignus Deo fuiſſet viſus, qui ab omni deinceps tentationum conflictu, peccatíque periculo liberaretur, ſeu, vt loquuntur Theologi, in ſtatu iuſtitiæ, quem volens acceperat, confirmaretur. Iſtud autem video apud omnes paſſim Theologos de Angelorum peccato, & merito diſputantes, planè compertum, atque exploratum: idémque ſuprà memoratus à me cum diſcipulis ſuis Auguſtinus inſinuat, cùm docet Adamum in ſtatu primo innocentiæ, potuiſſe bonum, quod illius animo libitum erat, operari, adeovt velle bonum & poſſe, apud illum idem eſſet; cùm nos in hoc miſerabili ſtatu præter auxilium quo volumus bene, præterea egeamus auxilio, quo faciamus, ſintque diuerſa iſta tria gratiæ bona & adiutoria; quorum primo poſſimus bonum, ſecundo velimus, tertio faciamus.

Quòd autem iuſtus non magis promereatur perſeuerantiæ finalis donum, quàm qui eſt infidelis meretur primam gratiam, ſi meritum propriè ſumitur, nec quemadmodum idem iuſtus cætera iuſtitiæ dona, quæ primam inter gratiam & finalem perſeuerantiam media ſunt, docet ſanctus Auguſtinus libro de don. perſeu. cap. 21. *Quiſquis dicere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, ſicut Catholicus fidelis exhorret, nec ipſam fidem ſubtrahat Dei gratiæ, qua miſericordiam conſequutus eſt, vt fidelis eſſet: ac per hoc gratiæ Dei tribuat perſeuerantiam quoque vſque in finem, qua miſericordiam conſequitur, quam poſcit quotidie, vt non inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei, & perfectionem perſeuerantiæ, media ſunt illa, quibus rectè viuimus, quæ ipſi etiam donari nobis à Deo, fide impetrante, conſentiunt,* Maſſilienſes nimirum, de quibus hîc agitur. Eò accedit, quod, toto illo libro, Auguſtinus parem, quantùm ſpectat ad meritum fidei *initialis*, & perſeuerantiæ finalis, rationem eſſe videtur vèlle, & vtrumque donum illud in eo tantùm differre, quòd fidei initium ne quidem orando impetrare poſſum, quia niſi fides ipſa acceſſerit, orare, quemadmodum oportet ad impetrandum, non poſſum.

Cùm verò pro prædeſtinationis, & iuſtitiæ gratuitæ ratione, tam frequenter pueros infantes, in quibus nihil meriti eſſe poſſit, in exemplum proponat, vt perſeuerantiæ finalis donum gratuitum demonſtret; non video quamobrem de eius mente ſuper ea re dubitari poſſit. Quòd autem eodem modo diſputet de ſalutis initio, ac de perſeuerantia finali, quantum ſpectat ad vtriuſque meritum, colligo ex lib. de dono perſeu. cap. 17. *Videte iam à veritate quàm ſit alienum, negare Dei donum eſſe perſeuerantiam vſque in finem huius vitæ: cùm vitæ huic, quando voluerit, ipſe det finem: quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeuerare vſque in finem: ſed mirabilior, & fidelibus euidentior largitas bonitatis Dei eſt, quod etiam paruulis, quibus obedientia non eſt illius ætatis vt detur, datur hæc gratia..* Denique hanc doctrinam ſatis inſinuat Tridentinum, cùm Seſſ. 6. can. 32. docet *iuſtificatum bonis operibus, verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.* Nam cùm tam accuratè, támque diligenter recenſeat ea bona, quæ iuſtificatus meretur, nec inter ea perſeuerantiam finalem numeret, non obſcurè profitetur eam non eſſe boni alicuius operis mercedem.

ARTICVLVS III.

Quamobrem in miſerabili, quæ nunc eſt, naturæ lapſæ conditione, iuſtus perſeuerantiæ finalis donum non promereatur.

SI conſulatur Auguſtinus, vt in inſtituta re conſuli debet, is quæſtionem breuiter definit lib. de don. perſeu. cap. 17. hàncque rationem affert, quòd homini datur donum illud, cùm viuendi finem facit, & lib. de correptione & gratia cap. 8. recenſens innumerabilia, quæ *aliis dantur, aliis non dantur hominibus à Domino Deo, apud quem non eſt acceptatio perſonarum, nec tribuuntur iſta meritis voluntatum, ſicut ſunt celeritates, vires... ingenia mirabilia, & multarum*

artium capaces natura : ad extremum quid de perſeuerantiâ ſtatuendum ſit, concludit, eámque donari contendit à Deo, *in cuius poteſtate eſt, quamdiu quiſque in hac vitâ maneat, quæ tentatio dicta eſt ſuper terram:* ſic vt velit eam eſſe donum Dei efficientis, *vt finiat homo vitam iſtam, antequam ex bono mutetur in malum.* ex quo loco ſic rationem meam inſtituo. Eatenùs homo iuſtus perſeuerantiam illam finalem in bono accipit à Deo, quatenùs iuſtitiæ illius retinens viuendi finem facit. Quapropter ſi aliquo opere bono perſeuerantiam iſtam mereretur, is profectò meretur, vt quo temporis momento bene agit, viuere deſinat. Quod quis ſanus homo dicat, cùm non modò mercedis rationem mors habere non poſſit, ſed reipſa pœnæ loco deputetur. Nam ſi iuſtus primo quoque tempore, quo iuſtitiam adeptus eſt, eſſe homo deſinat, quanta illi bene merendi de Deo copia, quæ ſeges bonorum operum, quæ virtutis amplificandæ facultas perit?

Vnde mirum videri non debet, ſi viſum ſit aliquando Pelagianis, hominem perſeuerantiam finalem mereri poſſe, qui contendebant eum vitam hanc inculpatam per liberum ſuum arbitrium poſſe viuere. Quod cùm negent omnes Catholici doctores, debent conſequenter tenere illud, quod tuemur, mortalium neminem, hoc perſeuerantiæ donum, de quo in præſentiâ diſputamus, meritis ſuis parare poſſe. Nam de ſuperiori propoſitione ſic Aug. l. de don. per. cap. 2. *In quantacumque iuſtitia, ſiue qualibuſcumque peccatis; in hoc corruptibili corpore neminem viuere.* Quapropter cùm ipſa corporis huius mortalis & peccati contagione mens ipſa vitietur, ſempérque periclitetur, qui tot inter tentationum conflictus verſetur, qui nullo opere ſuo quantumuis bono, atque excellenti non poteſt mereri, vt ab hoc vitæ diſcrimine tótque vndique impendentibus malis liberetur, conſequens eſt, vt dignum ſe exhibere non poſſit, qui illam ab omni peccato immunitatem conſequatur, quæ eſt felix illa perſeuerantiæ finalis neceſſitas, de quâ diſputatur.

Adde, quòd homo in ea, quam agit, miſerabili, atque calamitoſa vitæ conditione, perpetuis iactatur immoderatarum cupiditatum æſtibus, tabeſcit dolore, ægritudine contrahitur, cæcatur erroribus; vnde pugnæ exiſtunt innume-

rabiles; & in periculis verſatur pæne dicam ſempiternis. Quapropter fieri non poteſt, vt iuſtus perſeuerantiam finalem opere bono mereatur, niſi illam ab omni mala cupiditate liberationem pleniſſimam vel immortalitate, vel repentinâ morte promeritus ſit.

Poſſet quæri hoc loco, quid cauſæ ſit, cur omne peccatum letale in hac vita perpetratum, per ſe ſe reparari non poſſit, adeóque ſit quodammodo ſempiternum; habitus verò charitatis diuinæ, qui ex aduerſo illi opponitur, per ſe viciſſitudini ſubiaceat, & tam difficulter retineri poſſit? De qua quæſtione, aliorum eſto iudicium. Certè ſi legitima inter vtrumque inſtituatur comparatio, meo iudicio, dicendum potiùs videtur, vt nullus eſſe poteſt ita vitiis inquinatus, qui diuinæ gratiæ beneficio non valeat aliquando è peccato emergere, ſéque ad meliorem frugem reuocare; ita nullum tam exploratæ virtutis, iuſtitiæque adeò confirmatæ in hac vitâ reperiri, vt præterea peccare non poſſit: ídque & iuſto, & peccatori ob caducam vitæ iſtius conditionem eſſe commune, vt pendentes quodammodo, & quaſi ſuſpenſas habeant agendi, viuendíque vel in iuſtitia, vel in peccato vices: cùm aliter Angeli Deum amantis, & peccantis habuerit ſe conditio, habuiſſétque homo, ſi in primo innocentiæ ſtatu perſtitiſſet.

CAPVT VLTIMVM.

Ex dictis, Ianſenianæ gratiæ fundamentum conuellitur.

CVM ex iis, quæ ſuperiùs diſputata ſunt, compertum habeatur, omnem, de gratia Chriſti, traditam à Ianſenio doctrinam, hoc præſertim nixam eſſe fundamento, quòd non ſit alia Chriſti gratia, quàm quæ ab Auguſtino toto paſſim lib. de correp. & gratia, præſertímque tribus illis adeò celebratis capitibus 10. 11. & 12. tam dili-

genter, vt ait, & accuratè eſt expoſita; nullúmque adeò ab Auguſtino admitti Chriſti adiutorium, quàm illud *quo*, ab adiutorio *ſine quo non*, quod vult conceſſum Adamo, longè diuerſum; vt dicendi finem faciam aliquando, quid inde colligat, breuiter aperio.

Hoc primum, ex tam mirabili, támque nouo doctrinæ principio conficit, nullam Chriſti gratiam vllo ſuo effectu fruſtrari poſſe. Secundum, gratiæ Chriſti, ſiue *adiutorij quo* vſum libero hominis arbitrio minimè eſſe ſubiectum, vt erat illud, quod datum eſt Angelo, & primo homini, quo vterque poterat vti, ſi vellet. Tertium, diuinâ Chriſti gratiâ voluntatem ita affici, vt ei nec reſiſtere, ſi oblata ſit, nec ei non conſentire poſſit; ídque ſoli gratiæ vel Angelo, vel Adamo datæ fuiſſe proprium, vt eius vſus liberæ voluntatis arbitrio ſubiaceret.

At quàm vana ſit, futiliſque hæc doctrina, declaratum credo ſatis abundè, & ex ipſius Auguſtini ſententiâ manifeſtum, qui tribus illis adeò famoſis capitibus, non de quâuis Chriſti gratiâ, vllóve gratiæ diuinæ adiumento propriè dicto, vt tam multis ſuprà demonſtratum eſt, ſed de ſola finali perſeuerantia ſermonem inſtituit. Nam cùm ipſo teſte paſſim Auguſtino varium, multipléxque ſit Chriſti adiutorium, aliud eſt imprimis *poſſibilitatis*, quo res fieri poſſit; aliud *voluntatis*, quo quis, quod poteſt bonum, illud velit; aliud denique *actionis*, quo munitus, adiutúſque qui vult bonum, hoc faciat. His accedunt gratiæ adiumentum præueniens, comitans, & ſubſequens. *Deus enim volentem præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit.* Enchir. c. 32. Verùm inter cætera gratiæ diuinæ auxilia, eſt & vnum imprimis nobile, quo non ſolùm voluntas bene agit, ſed ita in bono confirmatur, vt non deficiat, ſed vſque ad vitæ exitum conſtanter perſeueret, quod auxilium haud dubiè non eſt illa finalis perſeuerantia, quæ non datur niſi cùm nullum eſt prætereà tentationum, quibus vndique conflictamur, periculum, & quâ fit, vt peccare in poſterum non poſſimus. At quid pluribus opus, vbi tam apertè duplex perſeuerantiæ donum lib. de don. perſ. c. 1. & 6. ſtatuit Auguſtinus, quemadmodum ſuprà fuit à me declaratum?

Enimuerò Auguſtinus tribus iis capitibus, non niſi de vtraque perſeuerantia agit, ita vt per *adiutorium ſine quo non* diuinæ opis adiumentum illud intelligat, quod datum eſt in hac vita ad perſeuerandum: per *adiutorium quo* ipſam perſeuerantiam finalem, quæ non niſi in ſupremo vitæ exitu datur, vúltque Adamum, vt perſeueraret, alio gratuito Dei dono non indiguiſſe, quàm priore, quo ſi vti voluiſſet, meritus eſſet & poſterius: cùm nos qui deteriori conditione ſumus, præter adiutorium ſine quo non poſſumus perſeuerare, debeamus præterea & ipſius perſeuerantiæ finalis donum expectare à Deo, quod, vt à me dictum eſt, nullo modo meritorum noſtrorum dignitate parare nobis poſſumus.

Quo in loco non poſſum præterire, quod ita ad inſtitutam rem eſt accommodatum Auguſtini teſtimonium petitum ex c. 21 lib. de dono perſeuerant. vbi obſeruat Pelagianos, *vt initium fidei nos à nobis habere* probarent contendiſſe, *à nobis eſſe perſeuerantiam noſtram, non à Domino, ſic argumentantes. multò magis nos habere à nobis iſtud initium fidei, ſi à nobis habemus permanere vſque in finem, cùm perficere, quàm inchoare ſit maius. ac ſic identidem concludunt gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. ſi autem vtrumque Dei donum eſt, & hæc Deus dona ſua (quod negare quis poteſt?) daturum ſe eſſe præſciuit: prædeſtinatio prædicanda eſt, vt poßit vera Dei gratia, hoc eſt, quæ non ſecundùm noſtra merita datur, inſuperabili munitione defendi.*

Eiuſmodi argumentatione, quæ à perſeuerantia finali ad initium fidei ducta ſit, nî mea me fallit coniectura, vſos eſſe aliquando priores Pelagianos non exiſtimo, certè nihil quod eò pertineat vſpiã reperio. Hoc igitur S. Auguſtini dictum de Semipelagianis intelligendum videtur, ideóque Auguſtinum hoc de perſeuerantiæ dono caput vix attigiſſe, niſi in lib. de correp. & gratia, & duobus poſterioribus libris, altero de prædeſtinatione SS. in quo de fidei initio diſputat, altero de dono perſeuerantiæ; quo vtroque totam, de gratia contra eius inimicos, diſputationem feliciter admodum concludit, adeò vt Maſſilienſes ex omnibus Auguſtini libris vix alios quàm tres ſuprà memoratos carperent. Sed redeo ad Auguſtinum, à quo deflexeram vt

hæc obiter monerem. Is autem, ad ea, quæ ſuprà attuli, hæc addit in illo cap. 21. *Et ego quidem in illo libro, cuius titulus eſt, de correp. & grat. qui ſufficere non potuit omnibus dilectoribus noſtris, puto me ita poſuiſſe, Donum Dei eſſe etiam perſeuerare vſque in finem, vt hoc antea, ſi me non fallit obliuio, tam expreſſè, atque euidenter vel nuſquam, vel penè nuſquam ſcripſerim.*

Non te hîc vexabo, Corneli, etſi fortaſſe locus ſit; ſed quia parùm liberale eſt hominem deuium exagitare velle, agam tecum paullò magis moderatè, modò Auguſtinum audire velis. Nam fieri nunquam poterit, vt conſentias cum Auguſtino, quandiu ſuſceptam de tuo illo *adiutorio quo*, quod vnum gratiam Chriſti vocas, doctrinam retinebis. Tu vis vnicam, quæ ſit *adiutorium quo*, præterea nullam. Quid verò Auguſtinus? *puto me* (inquit) *ita poſuiſſe donum Dei eſſe etiam perſeuerare vſque in finem*, &c. vbi inter vos conuentum erit, tum te profitere Auguſtini ſtudioſum. Iam, credo, intelligis Ianſeniane? quod de gratia Chriſti, doctrinæ caput, in illo libro primum expreſsè, & euidenter tractarit, non de quouis gratiæ Chriſtianæ adiumento, ſed de ſolo dono perſeuerantiæ, quo vſque in finem perſeueratur, illud reliquæ, de gratiâ Chriſti, doctrinæ non *caput*, non *fundamentum*, non *clauim*, vt Cornelius tuus ſolitus erat appellare, ſed faſtigium, & quaſi ſummum apicem facit.

Quod autem de hoc dono dicitur, reliquis gratiæ donis ita velle accommodare, vt illud nihil peculiare, atque ſibi proprium habeat, inepti prorſus ac inconſiderati hominis eſt; cùm nec gratiæ præuenientis auxilium idem ſit, ac ſubſequentis, neque gratia operans, cum cooperante permiſceri confundíque poſſit, neque poſtremò, vt ipſe ſuprà memoratus Auguſtinus obſeruat lib. de dono perſ. c. 21. initij fidei, perſeuerantiæ finalis, & cæterorum, quæ media, donorum gratiæ, ratio par ſit.

Quod autem per *adiutorium quo*, ipſam perſeuerantiam, qua homo poſt exactam hanc mortalem vitam fit in bono perſeuerans, ita vt non poſſit ampliùs peccare, intelligat Auguſtinus, & liquet ex dictis, & ex iis quæ cap. illo 12. de bea-

beatitudine habentur, quam vocat adiutorium *quo* fit homo beatus. *Beatitudo* (inquit) *quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus: Adiutorium eſt enim non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiam quo fit* (formaliter ſcilicet, non efficienter) *propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quo fit, eſt, & ſine quo non fit, quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit.*

Quod exemplum cùm adhibet accommodatè ad ſuum illud perſeuerantiæ adiutorium *quo* homo *formaliter* fit perſeuerans poſt ſupremum vitæ exitum, ait hominem primum *accepiſſe poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere,* quia *datum ei erat adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret vt perſeueraret,* quod eſt ipſa perſeuerantia, ſed *ſine quo, per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet.* Addit: *Sanctos per hoc donum non niſi perſeuerantes eſſe.* Hæc autem perſeuerantia, licèt in hac vita principium habeat, cùm ſit firma in iuſtitiæ ſtatu conſtantia, non eſt tamen eiuſmodi, qua perfectæ, atque finalis perſeuerantiæ nomen obtineat, niſi in ſummo vitæ diſceſſu, cùm iuſtus habet, vt peccare præterea atque à bono deficere non poſſit.

Quæ cùm ita habeant, non iam difficile erit oſtendere, quæ de hoc dono, quatenus cum libero arbitrio comparatur, ab Auguſtino dicuntur, aliis gratiæ Chriſtianæ auxiliis nullo modo conuenire. Certè tale eſt illud donum, vt perſeuerantis arbitrio non ſubiaceat, ſic vt illo, pro voluntate ſua vti aut non vti poſſit; cùm ſit ipſa *in fide liberrima, fortiſſima, inuictiſſima, perſeuerantiſſima voluntas.* vt lib. de correp. & gratia c. 8. loquitur Auguſt. & cap. 12. *Voluntas humana diuina illa gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter agatur. & Deo donante* Sancti, *inuictiſſimè quod bonum eſt velint, & hoc deſerere inuictiſſimè nolint.* Tametſi eadem de quouis gratiæ diuinæ adiumento efficaci ita dici poſſint, vt nullam vim libertati inferant. Poſtremò licèt nullum eiuſmodi perſeuerantiæ finalis donum ſit tantùm ſufficiens, quod tot clamoribus contendunt Aduerſarij, non habent propterea, vnde nullum

gratiæ Chriſti auxilium, eſſe non efficax, demonſtrare poſſent; Quòd ſi animum velint aduertere, vt intelligant, ſpes erit vt ſapiant aliquando; & Eccleſiam, quam turbant factionibus ſuis, ſinant, vt erat, antequam emerſiſſent, pacatiſſimam.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
quæ in hoc opere continentur.

A

ADAMVS. V. Gratia.
De gratia Adamica Caluinus, p. 240
Adamo Ianſenius tribuit omnia dona gratiæ quæ ſunt poſſibilitatis. 242
Gratiæ triplicis, 1. quæ dat poſſe, 2. dat velle, 3. operari, ſolam primam Adamo neceſſariam fuiſſe Ianſenius ait, 244
Adamum potuiſſe per libertatem arbitrij non donante gratia diligere Deum Ianſenius ait, 244
Adiutorium, *lege* Gratia.
Adiutorium quo malè tribuitur à Ianſenio omni gratiæ Chriſti, & adiutorium ſine quo non omni gratiæ Adami., 580
Adiutorij ſine quo non, & quo, diſcrimen eſt Auguſtino non fundamentum, ſed faſtigium doctrinæ de gratia, 600
Per Adiutorium quo S. Auguſtinus lib. de correp. intelligit ipſam perſeuerantiam finalem, 600. *& ſeq.*
De Adiutorio ſine quo non, & quo, ex Aug. lib. de correp. & gr. c. 10. 11. 12. *vide* p. 577. *& ſeq.*
Diſcrimen illud ab Auguſtino ignoratum vſque ad extrema vitæ tempora. De eo nulla mentio in Conciliis, PP. & Doctoribus. S. Auguſtinus bis illius meminit in ſenſu diuerſo, 578
Ab Auguſtino in lib. de geſtis Pelag. gratia Chriſti dicitur adiutorium ſine quo non, 578. 579
In illis tribus cap. 10. 11. 12. Auguſtinus loquitur tantùm de dono perſeuerantiæ finalis, ſine quo perſeuerari non poteſt, & quo perſeueratur, 579. 580
Adiutorium quo ſumitur minùs propriè, ſcilicet pro perſeuerantia ipſa. 579. 581. *& ſeq.*
Vtriuſque Adiutorij diſcrimen Ianſenio eſt vnicum fundamentum doctrinæ de gratia, quod eſt Caluini. 558
Adiutorium quo nec ſemel ab Auguſtino nominatum in libris de præd. SS. & de dono perſeu. 388
Angelus erat obnoxius ſuperbiæ, 263
Angelo Ianſenius negat datum adiutorium vt vellet & operaretur, & refutatur ex Aug. 245. 262, 263. 264. 265. 266. 267. 268.

Digitized by Google

& ſeq. ibi mala fides Ianſenij oſtenditur.
Angeli bonum actum Ianſenius non aliter Deo tribuit, quàm tentatori peccatum, 246
Angelo ſtanti adiutorium ſpeciale datum, 272. 273. *& ſeq.*
Auguſtinus, V. Adiutorium, Gratia, Chriſtus, Deus, Prædeſtinatio.
Eius mens in lib. de grat. Chr. exponitur, 342. *vſque ad* 350. Cur ibi ferè totus eſt in Adiutorio gratiæ efficacis, 243. *& ſeq.*
Locus eius ex illius libri c. 13. & 14. explicatur, 345. *& ſeq.*
Amor eſt ſoboles amantis & rei amatæ vnitæ illi per cognitionem, 321
Vis productrix proxima Amoris ſupernaturalis eſt donum habituale gratiæ, 321. 322
Amorem boni temporalis Ianſenius damnat peccati mortalis cum Pelagio, 124. 125. *& ſeq.* 150. 152. refutatur, 105. 106
Amorem & dilectionem perſonæ cum Amore obiecti Ianſenius malè confundit, 125
Amor proximi verus eſt in contemptu rerum terrenarum, 567

B

BONVM naturæ triplex eſt: 1. natura, 2. naturalia, 3. ſupernaturalia complectitur, 419

C

CHARITAS inchoata, perfecta, quæ Auguſtino, 319
De Concupiſcentia, V. Peccatum originale.
De Corruptione operum noſtrorum Caluini ſententia, 20
Quid Dordraceni Caluiniſtæ, 21
Quid Ianſenius velit eſſe illam Concupiſcentiam. vult eſſe habitum qui vitiat ipſum mentis noſtræ apicem, & è diametro opponi charitati Theologicæ, vrgere nos inuitos ad peccatum ſimile ei, quod Adamus commiſit, 21. 22
non ponit peccatum medium inter mortale & Charitatem puram Dei, 23
quænam Concupiſcentia maneat in baptizato, 54
de Concupiſcentiæ labe Caluin. & Janſ. conſentiunt, 17. refutantur, 18. 19
Cupiditas cogens ex Aug. explicatur à S. Thom. 331. 332
donum Chriſti duplex. prius ille meritus eſt, poſterius etiam efficit, p. 98. 99. omne propter, aliquod etiam per Chriſtum, *ibid.* 100. 101
nullum ex Adamo nobis relictum donum eſt gratiæ, aut Chriſti donum, 96
omne noſtrum donum gratiæ, & aliquatenùs iuſtificans eſt Chriſti, 97
Chriſtus an mortuus pro iis quos moriens damnatos videbat, 100
Chriſtus reſtituit nobis quæcumque Adamus perdidit, 286. 287
Aſcenſio Chriſti cauſa noſtræ ſalutis, 564
Chriſtus orauit pro iis quos præſciuit reprobos, 552. Auguſtinus, 553. 553. 554
Chriſtum pro ſolis electis mortuum docent Caluiniani, 478.

Digitized by Google

Ianſenius, 479. *vſque ad* 482
Chriſtum ſincerè velle omnes ſaluos fieri docet S. Thomas, 488. 489
Chriſtum maximè doluiſſe, quia pro omnibus doluit, ait S. Th. 489
Chriſtus caput eſt infidelium aliter quàm dæmonum ex D. Th. 490
Deum & Chriſtum velle omnium omninò hominum ſalutem docent S. Bonauentura, & Eſtius, 491. *& ſeq.* apud Bonau. Doctores illius temporis, 494
ſtatus quæſtionis clarè proponitur, 495
ibi quatuor reproborum claſſes afferuntur: expenditur doctrina Tridentini, 496. 497
Chriſtum pro nonnullis reprobis mortuum eſſe dogma fidei eſt, 496
Eadem doctrina ad omnes reprobos etiam paruulos extendenda videtur, *ibidem* 497
quid in libris de vocat. gent. habeatur de Chriſto pro omnibus mortuo, 528. *& ſeq.*
de paruulis quid dicat, 530. 531.
ſynodum Cariſiacam, Lugdunenſes, Viennenſes, & alios quos Ianſeniani ſuos iactant, oſtenditur iiſdem aduerſari, 534. *& ſequentibus.*
Vtrum & quomodo Chriſtus ſit mortuus pro iis quos moriens damnatos inuenit, 358
omnis compos rationis aliquod Chriſti donum oblatum habet, 539. habet notitiam Dei ex Aug. 541. *& ſeq.*
omnis voluntas Dei de ſalute hominum poſt lapſum Adæ, eſt donum Chriſti, 540
Chriſtus tunc damnatis nihil dedit vt cauſa phyſica, ſed fuit cauſa moralis donorum gratiæ, quæ viuentes habuerant, 540. 541
Vtrum Chriſtus ſit mortuus pro omnibus paruulis, Aug. videtur dubitare, hæc quæſtio habetur, 542. *& ſeq.* quid ſentiam cum Proſpero, 555
ſcriptura Chriſtum pro omnibus reprobis etiam paruulis mortuum, & eorum ſalutem à Deo procurari docet, 497. 498. *ibidem* nonnulla notantur. Auguſtinus, 516. 517. 518. 519. 520. *& ſeq.* De ea re Patres antiqui proferuntur, 499. *& ſeq.* vide Cypriani teſtimonium illuſtre, 500. & 501. ab Auguſtino comprobatum, *ibid.*
Chriſtus iudex erit omnium, & dominus eſt, quia ſaluator eſt, 499. ex Auguſtino, 518
de Chriſto pro omnibus mortuo, déque Dei voluntate erga omnes ſaluandos Proſper, 525. *& ſeq.* Fulgentius, 533
quorum ſalutem procurare debemus, eos ſaluos eſſe voluit Chriſtus, ex Cypriano, Ambroſio, Paulo, 501. 502
Ambroſius, Hieronymus, Paulinus, Leo, laudantur, 502. 503. 504

D

DEvs agit vt bonus, & vt iuſtus, 209
Deum ſalutem omnium nolle docet Caluinus, 477. Ianſenius, 479. *& ſeq.*

De Dei voluntate circa omnium ſalutem quæſtio malignè proponitur à Caluino, 477. à Ianſenio & Arnaldo, 480. 481
De Auguſtini doctrina notantur nonnulla, 505. Quare loca Scripturæ de prædeſtinatis exponit contra Semipel. & quare gratiam efficacem vnam afferre videtur, *ibid.*
Quibus in locis S. Aug. diſputat de illa quæſtione, 506. locus ex c. 33. lib. de ſpir. & litt. exponitur 519. 520. *& ſeq.*
De ſalute omnium à Deo volita locum Pauli poſſe intelligi Auguſtinus fatetur, 506
agnoſcit voluntatem Dei antecedentem quæ non conſequitur effectum, quæque eſt conditionata, 507. 508. 518
Deus vult ſe orari pro omnium ſalute ex Aug. 509. vult igitur eorum ſalutem, *ibid.* 512. 513. 514. 515. 516. ex Proſp. 527
Qui Deum velle omnes & ſingulos ſaluos fieri & non ſolos prædeſtinatos dicunt, Semipelagianos eſſe vult Ianſenius, 481. 482. 483. 484
Voluntas Dei antecedens de omnium ſalute quæ à Ianſenio, 481. contra S. Thom. 487. S. Bonauenturam, 493. 494
D. Pauli de voluntate diuina ſalutis omnium expoſitiones quatuor, 481. quatuor D. Thom. 487. *& ſeq.* octo ab Eſtio, 492. *& ſeq.*
Chriſtum non magis pro reprobis quàm pro Dæmone oraſſe & mortuum eſſe docet Ianſen. 483. 484
Pelagiani Deum æquè omnium ſalutem velle docuerunt, 484. *& ſeq.*
Quòd non omnes ſaluantur non defectu Dei volentis, ſed creaturæ impedientis fieri docet D. Th. 488. 490
Semipel. de diuina voluntate circa omnium ſalutem, 485. 486. de initio ſalutis, *ibid.* Fauſti, 486
Fauſtus Rheg. de diuina voluntate ſalutis omnium, 486
Ianſenianorum obiectiones contra vniuerſalem Dei voluntatem de ſalute omnium, ſoluuntur, 550. *& ſeq.*
Ianſeniani licèt videantur concedere Chriſtum pro aliquibus reprobis mortuum, id tamen verè negant & errant, 551
Debitum, V. Gratia, Natura.
Quid eſt homini debitum, 210. vtrum Deus debitor ſit, *ibid.* & 211

E

ECCLESIA huius temporis audienda, 491
Eccleſia etiamnum iudex, 189
de eius infallibilitate, 190
Eccleſia vt ſtatueret aliquid de libertate arbitrij, & de gratia primum eius fundamentum ſcire debuit, 191
illud ab Eccleſia diu ignoratum ait Ianſ. 191. 192
Ianſenij error de Eccleſia, 192. 193. 194

F

FIDES eſt prima gratia Chriſtiana, 319
& vocatur ab Auguſtino charitas inchoata, *ibid.*

Digitized by Google

in Deum credere & noſtrum eſt, & datum à Deo, 388
Ianſ. Fidem informem Chriſti eſſe negat, 316
Fidem temporalem reprobis concedit Caluinus, 477. Caluiniani, 478. Ianſenius, 482
Finis datur propter merita quæ ſunt cauſa moralis, 415
Quid ſit dare, aut velle propter, aut per aliud, 415

G

GRATIA.
Pelagius veram Chriſti gratiam negauit, 85
Chriſti beneficia recenſentur, 88. 89
omne donum Gratiæ eſt à Deo vt reparatore, 89. habet ordinem ad beatitudinem, *ibid.*
eſt effectus diuinæ beneuolentiæ qua Deus vult hominem beatum eſſe, aut poſſe eſſe, 90
Gratia, & adiumentum Gratiæ differunt, 91
adiumenta Gratiæ quæ, 92. *& ſeq.* 598
omne adiumentum Gratiæ eſt ſupernaturale, vel quoad eſſentiam, vel quoad modum, 92
tria ſunt in Gratia Chriſti ex Aug. 391. *& ſeq.*
boni poſſibilitas, liberi arbitrij ſanitas eſt gratia habitualis, 392
Gratia Chriſtiana, nec natura, nec quidquam ad eam ſpectans eſt, 321
Vnius Gratiæ & habitualis virtutis actiones multiplices eſſe poſſunt, 102
eadem dona virtutum in nouo & vetere teſtamento fuerunt, 103
Gratia noui teſtamenti datur per Chriſtum, 103
Gratia Sacramentalis quæ, 104
Gratiæ noui teſtamenti actuales ſunt excellentiores, quàm quæ dabantur antea, 104
Gratia orationis, eſt etiam voluntatis, 173
Gratia oblata, & data differunt, 174
diſcrimen inter Gratiam Chriſti & Adæ, ſuæ doctrinę caput Ianſenius facit, 557
Gratiam Adami homini dari vt ſeueriùs puniatur, Ianſ. ait, 295
inter dona Gratiæ Chriſtianæ eſt aliquis ordo, 318
Gratia ſanans, quæ, 264
homo Gratia Chriſti vtitur ſi vult ex Aug. 335. 336. 337. 338. 339. *& ſeq.*
quomodo qui non facit, is ſecundùm legem diſcit, non ſecundùm Gratiam, 346. 347
Gratiæ dona Adamo data nobis reddi, ſed non per Chriſtum vult Ianſ. 289. 290. 291
Gratiam Adami Chriſtianæ opponit Ianſ. 292. 293. 294
Calumniæ à Ianſ. factæ Theologis, quòd Gratia ſufficiens ſit debita, 248
Ianſ. Gratiam naturæ innocenti debitam ait, 248. refutatur, 251. Angelo & Adamo fuiſſe naturalem, 252. 253
decens cum debito confundit, 329
debitum ſine iure ponit Ianſ. *ibid.* refutatur, *ibid.*
debitum quid ſit ex D. Thom. 250
Gratiam habitualem Chriſti eſſe negat Ianſ. 300. remiſſionem

Digitized by Google

peccati ad bonum Chriſti eſſe negat, 302. 303
Vnde hi eius errores exiſtunt, 304. 305
amor ſupernaturalis liber eſt conſenſus cum obiecto, poſtulat cognitionem obiecti, & ſenſum qui voluntatem illi accommodatam per donum Gratiæ habitualis ſupponit, 322
Hinc duplex Gratiæ adiutorium ſcientiæ, & delectationis, 322
Pelagius agnouit ſolum ſcientiæ adiutorium, 322
de Gratia ſufficiente, & efficace, 262. 263
Non omnem Gratiæ ſenſum ſequitur conſenſus, 323
omne adiutorium Gratiæ in ſenſu poſitum ad conſenſum eſt ſufficiens ex ſe, & efficax, licèt non ſemper efficiens, 323. ita D. Thom. 324
Quid ſit adiutorium efficax, quid efficiens, *ibid.* & quæ Gratia effectiua ſit, quæ efficiens, *ibid.*
Gratia Chriſti deficiens ob voluntatem, & ſcientia non certa, & delectatio non victrix aliqua eſt, 324 325
eam Ianſ. non negat dari, ſed eſſe Chriſti, 325
Gratiam ſufficientem, non efficientem conſenſus liberè DD. Catholici vulgò agnoſcunt, 326
Peccans ſępe habet ſenſum Gratiæ, 326. Cauillatio Ianſenij refutatur, *ibid.*
Confeſſio peccatorum Ianſeniana, 326
Iudas habuit ſenſum Gratiæ vacuum, 327. Pharao habuit motum pœnitentiæ, 328. obduratio ſupponit inſpirationem, *ibid.*
Paulus calcitrans contra ſtimulum habebat Gratiæ interioris adiutorium, 328
Eadem Gratia deficiens probatur ex Trid. 328. 329
Gratiam intimam vacuam agnoſcit D. Thom. 329. 330. & *ſeq.* 525.
Vis Gratiæ indeclinabilis, inſuperabilis, nec tamen neceſſitat voluntatem, 334. 355
Etſi omnis Gratia Chriſti diceretur ab Aug. efficaciſſima, nihilominùs poſſet per nos deficere, 354. 355
Vocatio Dei eſt potentiſſima, licèt ei voluntas reſiſtat. 355
Gratia inſuperabilis comparatur cum tentatione, non cum voluntate, 356. 360
Gratia ſufficiens ab Aug. eſt admiſſa, 332. & *ſeq.* voluntas per ſenſum Gratiæ bona dicitur ab eo inualida, 335. 336. 337. à Proſp. 530
Qualis fuit in Adamo, talis nobis conceditur ex Aug. 333
Per Gratiam Chriſti recuperamus ſtatum priſtinæ libertatis, 60. 61
Gratiæ habitualis dona quæ, 64
Spiritus adoptionis datus eſt Adamo innocenti, 568. 569
Gratia adoptionis, *lege* Spiritus.
Adoptio Chriſtiana, *lege* Spiritus.
Gratia adoptionis Chriſtiana differt ab Adamica, 568
ſpiraculum vitæ datum Adamo quid, 568. 569
Gratiæ Adæ, & indifferentiæ arbitrij ſtatus nobis reſtituitur per Chriſtum, 570. 571
Quonam modo Gratia Chriſti
maior

Digitized by Google

maior eſt ea quæ Adamo data fuit, 572. 573
Actus virtutum Chriſtiani nobiliores quàm ques Adamus exercuit, 573
Quid ea de re S. Auguſtinus, 574. 575. 576
Quomodo Chriſtus dicitur ab Aug. gratia Sanctorum, 576
Gratiæ dona tria ex Aug. recipere bonum, permanere ſi velit homo, velle, 576
Gratiæ doni cauſa duplex, efficiens, recipiens, 497. efficiens alia principalis, alia inſtrumentalis, 498
Nullum impedimentum eſt ex parte efficientis cauſæ principalis, *ibid.*
Voluntatis diuinæ antecedentis effectus eſt Gratia oblata: conſequentis Gratia recepta, 497. Conſequens complectitur etiam media, quæ per cauſas ſecundas adhibentur, 498
quas Gratiæ Chriſtianæ conditiones eſſe vult Ianſen. 50
Non omne Dei donum peccato Adæ amiſſum, eſt Gratia, 50. 93
Gratiæ Chriſti finis eſt hominem dignũ efficere gloria, 52. idcirco ea eſt ſupernaturalis, 53. 93. 94. omnis Gratia eſt aliqua charitas, 53
Gratia datur principaliter, vt anima hominis Deo per charitatem iungatur D. Th. 53
Cur homo indiget Gratia in ſtatu integro, & ægro, 54
Gratia habitualis à D. Th. dicitur, actualis verò auxilium, 54
Gratiæ Chriſtianæ effectus quinque ſunt ex D. Thoma, 54
Gratia habitualis operans & cooperans dicitur à S. Thom. 54. 55
Gratia dat libertatem arbitrij ad bonum, 55
Minima Gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri gloriam ex S. Thoma, 55
Gratiam Chriſti non eſſe neceſſariam niſi contra ignorantiam, & cupiditatem Caluiniſtæ, & Ianſen. cenſent, 56. 57. 58. 59
Ianſenius negat Gratiam Chriſti requiri ob ſupernaturalitatem operis, aut meritum, 57
Ianſen. negat veram Chriſti Gratiam, & falſam inducit, 44. 45
Ianſenij defenſio deſtruitur, & oſtenditur eum ſuam fictam Chriſti Gratiam ſolam eſſe velle, & non tantùm eximiam quandam, 46. & ſeq. 82. 83. 84. & ſequentibus.
Ianſenius ſuam non ſolius Chriſti, ſed ſolam Gratiam eſſe docet, 47. & ſeq. negat aliam eſſe medicinalem, 84. 86. 87
Gratiæ actuales quænam ſint, 64
Ex Ianſenio Adamus cum Gratia, non per Gratiam, ſed per voluntatem agebat; nos per gratiam cum voluntate non per voluntatem, aut cum Gratia, 65
de Gratia Chriſti quid ſentiant Caluiniſtæ, 66. 67. quænam illorum fides iuſtificans. *ibid*
Ea eſt actualis volitio prædeſtinati, *ibid.*
Solam volitionem, quæ ſit Dei dilectio perfecta Chriſti Gratia dicitur à Ianſenio, 68. 69. 71. 72.

Digitized by Google

73. refutatur, 74. 75. 76.
Gratia voluntatem velle & operari licèt nihil agat, facere dicitur à Ianſ. 70
Adiutorium quo, non uuare hominem ſi velit, dicitur à Ianſenio, 73

H

HÆRETICVS quis, 189

I

IANSENIVS V. adiutorium, amor, Adamus, Deus, fides, gratia, lex, libertas, præcepta, peccatum, prædeſtinatio, reprobatio, voluntas.
Ianſenij doctrinæ catena, 2. & & ſeq.
Ianſenius ſe Caluinianum fatetur, 36. & ſeq.
ſi Ianſenius pugnantia dicit, nouatorum more facit, 48. 49
Ianſenij blaſphemiarum contra Chriſtum ſumma, 296. & ſeq.
Ianſenium aliter quàm Caluinum de libero arbitrio ſenſiſſe quomodo Ianſeniani dicunt, 5
Ianſenianæ doctrinæ fundamentum Caluinianum eſt, 195. 196. 197. 198
Ianſ. doctrinæ compendium ex Caluino, 197
Fundamentum illud Ianſ. ignotum Arauſicano II. 199. ab eo refutatur, 201. Ignotum Cæleſtino & PP. Tridentinis, 202
Ianſen. doctrinæ fundamentum eſt diuerſus ſtatus liberi arbitrij in homine ſano, & ægro, 184. 185
In quo diuerſitatem illam Ianſ. ponit, 186. 187
Ianſ. Eccleſiam damnat, 188
Ianſenius vult quod eſt orig. peccati formale manere in iuſto baptizato, 34
Vult per gratiam opus, non voluntatem ſanctificari, etſi aliud innuere videatur, 35
non eſſe aliam iuſtitiam quàm opus iuſtum Ianſ. docet, 35. 36
Infidelium opera eſſe verè & propriè dicta peccata vult Ianſ. 14. confutatur, 16. Aug. explicatur, *ibid.*
In eo Ianſ. Auguſtinum & Conc. Arauſ. II. deprauat, 16
Ianſenius Pelagianus eſt, 38. 40 41. 42. quia Deo vt creatori tribuit dona Chriſti, 39. 63. 78. 79. 80. 81
legi & doctrinæ ſoli tribuit pios motus, 43. quærere medicum, 44
Ianſenius Pelagio deterior, 206. 207
doctrinam eſſe adiumentum gratiæ Chriſti negat Ianſen. 154. 155
vult eſſe eandem rationem legis Moſaïcæ, & cuiuſuis ſcientiæ, 155
Ianſen. omni doctrina impoſſibilem fieri iuſtitiam ait, 156. idem de gratia quauis intellectus ſentit, 157
Omnem gratiam Pelagian am è Chriſti donis excludit Ianſen. 158. 159. 160. 161
Ianſenius peior hoſtis eſt gratiæ Chriſti, quàm Pelagius, 162. 163. ſecum pugnat, 163. 164. 165
legem vtilem ad ſalutem fatetur Ianſ. 164. idque ſine gratia legi

tribuit, 165. 166. refutatur, 167
Ianſenij doctrina confutatur ex D. Thom. 490. 491
Ianſenius refutatur, 60. 61. 62. 63. 597. & ſeq.
Ignorantiam legis æternæ & naturalis innatam licèt inuincibilem, eſſe verè & propriè peccatum Ianſenius docet, 14. etiam in baptizatis, 15
Inſpiratio quotuplex intelligi poteſt, 401
cur remiſſio peccatorum antecedit Iuſtificationem, 319. 320
Quomodo omnis iuſtificatio eſt voluntaria iuſto, 320
Iuſtitiam non aliam quàm opus iuſtum eſſe ait Ianſen. & notatur erroris, 292
Iudiciorum Dei abyſſum tollunt Pelagiani, & Ianſeniani, 544. 545
Operum miſericordiæ Dei cauſa manifeſta, 546. 549
Iuſtitiæ vltricis operum arcanum quodnam ſit, 546
ſi peccatum originale vnum eſt cauſa reprobationis, cauſa huius patet, 546
In reprobatione paruulorum quod eſt occultum, 546. 547. aliquando reuelabitur, 549
de adultorum reprobatione non hæret Auguſt. 548
Iudæi V. Lex.

L

Lex naturalis Moſaïca, Euangelica, quæ, 107. 108. 109.
quomodo fides in illis fuit, 110
Lex quomodo auget peccatum, aut contra illud iuuat, 111
De Lege Moſaïca Caluini doctrina, 122
ſacramenta Legis Moſaïcæ paria noſtris facit, ibid.
de Lege Moſaïca Ianſenij doctrina, 123. & ſeq.
Lex noua quomodo opponitur naturali, & Moſaïcæ, non ſtatui innocentiæ, 567
Iudæis bona terrena promiſſa ſunt, 105. 106. 107
Chriſtianis propoſita bona cæleſtia tanquam merces, 107
Quomodo Iudæi ſub elementis ſeruiebant, 111. 112. vtrum pauciſſimi erant boni, 113. 114. Aug. explicatur, & Paulus, cùm aliquando Legem Moſaïcam laudant, & vituperant, 114. 115. 116
de Iudæis Auguſtinus loquutus expenditur, 127. 128. 129
Iudæorum triplex ordo fuit, 129. 130. 131
Ianſenius vult teſtamentum vetus ad ſola carnalia ſpectaſſe, 132. & ſeq. ſentit cum Luthero, 134.
Idem ſenſit P. Aurelius, 135.
Error ille refutatur, 135. & ſeq. nam Lex Moſaïca ſuadebat pietatem, & veri Dei cultum.
Vetus teſtamentum fuit figura & ſignum noui, 136
de Legis Moſaïcæ fine error Ianſenij, 137. & ſeq.
refutatur ex D. Thoma, 139. & ſeq.
quomodo lex ſubintrauit, vt abundaret delictum, 140
de Legis Moſaïcæ vtilitate S. Aug. doctrina, 140. & ſeq.
Non eo ipſo quo datur Lex, gratia quoque datur, éſtque calumnia Ianſenij nos ea de re accuſantis, 142.

Digitized by Google

Lex Moſaïca ad ſalutem fuit vtilis, 142. *& ſeq.*
de Iudæorum proborum paucitate Ianſenius errat, 145. *& ſeq.* refutatur, 148. *& ſeq.*
Libertas triplex, à peccato, à miſeria, à neceſſitate, 589. Ianſenius primam confundit cum libertate arbitrij, *ibid.* hanc peccato perire, *ibidem.*
Libertas arbitrij noſtri eſt vmbratica Ianſenio, *ibidem.*
de Libertate voluntatis diuinæ, & creatæ doctrina Ianſen. confutatur dicto D. Th. 421
Libertas in Adamo amiſſa reparatur per Chriſtum, 203. 204. Ita S. Aug. 205. Cæleſtinus, 206. Proſper, 207. D. Thomas, 208
Ianſ. negat ex Gratia habituali pullulare Libertatem ad bonum, 247
Libertas alia voluntatis, alia liberi arbitrij, 5
Volitionem omnem eſſentialiter Liberam eſſe ait Ianſen. 6
Solam coactionis neceſſitatem pugnare cum Libertate arbitrij, *ibid.*
Idem Caluinus docet, *ibid.*
Ianſ. voluntatem ait maximè Liberam circa finem, non media, quàm media, 7
Electionem medij eſſe actum miniſterialem ſeruiliſſimum, aliqua coactionis neceſſitate extortum, *ibid.*
Indifferentiam ad ſtatum non eſſentiam liberi arbitrij pertinere, 8. illam Deo indignam, *ibid.*
Liberationem arbitrij formalem eſſe charitatem non habitualem, ſed actualem, 33
Illa Liberatione non fieri voluntatem habitualiter liberam, nec tolli concupiſcentiam, ſed impediri, 34
Solam coactionem pugnare cum Libertate arbitrij Ianſ. & Caluinus aiunt, 9
Ianſ. ſuam doctrinam de Libertate à 500. annis damnari aut ignorari fatetur, & confutatur, 10. 11
Quomodo ait Aug. neceſſe eſſe vt operemur ſecundùm id quod ampliùs delectat, 357. *& ſeq.*
Quomodo Deus in nobis operatur velle & perficere bonum, 362. *& ſeq.*
Deus voluntatem trahit, agit, nec neceſſitat, 363. 364. Id de malis Auguſt. affirmat, 365. 366. 367. 368
Aliqua neceſſitas conditionata perimit Libertatem arbitrij, 433
de Libertate arbitrij, & quid ſit habere aliquid in ſua poteſtate contra Ianſenium Aug. 520. 521
Quod Deus operatur velle non tollit indifferentiam arbitrij Aug. 524
homo agit bene per Liberum arbitrium, & per gratiam inquit Aug. contra Ianſenium, 524. 525
Quomodo Deus non fruſtratur dans gratiam, 351
Certitudo ſcientiæ diuinæ, quam neceſſitatem infert voluntati Liberæ, 352
Deus infallibiliter agit per gratiam, nec tamen voluntatem neceſſitat, 353
Dei ſcientia infallibilis eſt, etiam de peccatis, *ibid.*

Digitized by Google

M

MEritvm, V. Perſeuerantia. Meritum nullum eſt ſine libertate indifferentiæ, 211
Opus bonum eſt rectum, laudabile, Meritorium, 211
Meritum omne noſtrum à Caluino negatur, 212. *& ſeq.* & à Ianſenio, 215. 216. 217. 218. falsò laudat Auguſtinum, 216
Meritum congruum à Trident. dicitur diſpoſitio, 219
Meritum bonum fundatur in opere, quod Deo placet, 210. 212
Meritum naturæ quodnam, 210
Iuſtitia tam mea eſt, quàm Adami ſani erat, 220
Ianſenius confutatur ea de re diſputans, 221
Meritum tam meum, quàm Adami 221. 222. 224. ex Aug. 225. 226. 227. 228. 229
Citatus à Ianſ. Aug. eidem opponitur, 230. 231. 232. 233
Meritum perſeuerantiæ finalis, quod Adamus habere poterat, nobis periit, 234. 235. S. Auguſtinus exponitur, 236. 237
Meritum aliquod quod Adam habere potuit, non recuperamus per Chriſtum. Iſtud eſt perſeuerantiæ finalis, 589. 590. *& ſeq.*
Operis boni fructus triplex, Meritum, ſatisfactio, impetratio. ſatisfactio à reſtitutione differt, 593

N

ALivd eſt poſſe aliquid in Natura & per naturam, 244
Amor Dei vt finis Naturalis differt ab amore Dei ſupernaturali, ex D. Th. 252
Charitatem Naturalem ſimul & ſupernaturalem Ianſenius facit, 254. 255. Naturaliſſimam imagini Dei, 256. quo ſenſu ſupernaturalem vocat & gratiam, 258
Beatitudinem modo ſupernaturali per potentiam Naturalem acquiri ait, 254
Scotus malè à Ianſ. profertur, 255
Naturalis gratia quomodo dicitur à S. Th. & PP. 256. 278
Ianſenius faciens gratiam debitam Naturæ Angelicæ refutatur, 259. 260. 261. 278. 279. *& ſeq. vſque ad* 286.
Quomodo Adamus ſanus potuit Naturaliter credere, 393 *& ſeq.*
Omne donum Chriſti eſt aliquatenùs ſupernaturale, 94. & ordinem habet ad gloriam, 95

O

ORatio habet vim meriti & impetrationis, 510
Quanta ſit illa vis ex D. Th. *ibidem.* valet etiam pro aliis, ex Aug. 514
Orationis, vt impetret, quatuor conditiones, *ibidem* & 511
Oratio noſtra pro reprobis eſt vtilis, 552

P

EX Peccato originali vitia quatuor contracta, 12

Digitized by Google

Concupiſcentia eſt pars materialis peccati originalis, ex S. Thom. illam eſſe peccatum originale formaliter ſumptum cum Caluino Ianſ. vult. 12.13
Deum peccati auctorem facit Ianſenius cum Caluino, 469. & 470. Caluinus aliquando negat, 464
Ex Ianſenio ſequitur peccatum tam eſſe opus Dei, quàm bonum opus, 474. 475.
omne opus noſtrum vel charitatis puræ, vel amoris ſui vſque ad contemptum Dei eſſe vult, 23. 24
habitum prauum oppoſitum charitati in iuſto manere ait, 25. 29. 30. ex parente propagari, 31. 32. 33.
Peccati originalis pars formalis eſt priuatio originalis, materialis ignorantia, & concupiſcentia, non mors, 27
Peccatum originale quomodo communicatur per carnem peccati, 28
Pelagius negabat Chriſti donum ante eius aduentum fuiſſe datum, 98. 99
Pelagij errores de gratia refutantur, 342. *& ſeq.*
Pelagius gratiam ponebat in doctrina, 154
Initium fidei & perſeuerantiam finalem nobis gratis dari vult Aug. Adamo verò hanc non fuiſſe futuram gratuitam, 394.
Semip. Adamo initium ſalutis abſque gratia tribuerunt, 396
Gennadius explicatur, 400. *& ſeq.*
Quam inſpirationem agnouit Fauſtus, 329
Semipelagiani cur ita appellati, 372
Poſteriores Pelagiani liberaliores in gratia admittenda, 372
Ianſenius Semipelagianos duplices facit, 373
Mitiores admiſſis auxiliis gratiæ quæ DD. Catholici admittunt, erraſſe, quòd Ianſenianum negauerint pro initio ſalutis, 374.
Omnes Semipel. bonum initiale abſque vlla gratia interna admiſerunt, 375. *& ſeq.* 388. *& ſeq.*
Semipelagiani negarunt gratuitam Prædeſtinationem, 376.
Duos ordines Semip. Proſper aſſignat, 377
Quæ ſemina virtutum reliqua ex Adamo nobis eſſe Semip. voluerint, 378. *& ſeq.*
Semipelagiani aliquorum ſuſceptorem, aliorum ſaluatorem Chriſtum faciunt, 382
Errorum Semipel. ſumma, 382
Semip. pro initio ſalutis Pelagianis conſenſerunt, 383. *& ſeq.*
Semip. initium fidei non donari à Deo, eſſe ex nobis dixerunt, 386. *& ſeq.*
Non ſunt reprehenſi quòd negarent Ianſenianam gratiam, 386
ſolam doctrinam libero arbitrio addunt pro fidei initio, 388
Ita S. Aug. cùm errabat, 388
Semip. alios gratia Dei ſaluari, alios lege & natura iuſtificari dixerunt, 389
Quare Semipel. negarunt gratiam pro initio ſalutis, 404. *& ſeq.*
Semipelag. error capitalis, 439. 440
Semipel. doctrina de Prædeſtinatione, 440. 441. 442. diuerſa

eſt à recentiorum doctrina, 442
Perſeuerantia ex D. Thoma duplex, 581
Perſeuerantia duplex ex S. Aug. 582
S. Aug. de Perſeuerantia quæ non niſi poſt hanc vitam habetur, diſputat in tribus illis capitulis 10. 11. 12. lib. de cor. & gr. 583. *& ſeq.* & quando diſputat vtrum illa ſit gratuitum Dei donum, 582
illud donum amitti non poteſt, 582
de dono Perſeuerantiæ dato Adæ, 585. 586. S. Aug. de eo ſolo dato Angelis & Adæ, déque eo quod datur Prædeſtinatis diſſerit in illis capitibus lib. de cor. & gr. 586. 587
Angelus bonus Perſeuerantiam finalem eſt meritus, 593. Adamus poterat mereri, 594
Angelo velle bonum, & operari erat eadem gratia, fuiſſet Adam, at non nobis, 594. 599
Iuſtus nunc non magis meretur Perſeuerantiam finalem, quàm primam gratiam, licèt illam poſſit impetrare. Ita Auguſtinus, 594. 595. Trident. ſignificat, 595. Quare hoc ita ſe habet, 596. 597. 600
Pelagiani aiebant nos poſſe mereri Perſeuerantiam finalem, 599
Potentia alia paſſiua quæ capacitas, alia actiua, quæ vis, & facultas, 318
Capacitas remota per diſpoſitionem fit proxima vel certè impedimento ſublato, *ibid.*
Capacitas ſeu Potentia remota gratiæ eſt natura. ita poſſe habere fidem, 319. quare in damnato non eſt, 320
Præcepta Dei iuſto eſſe aliquando impoſſibilia Ianſ. docet, 168. 169
Primos motus concupiſcentiæ reum facere vult Ianſen. 169. 170
Poſſibilia illa præcepta quatuor modis eſſe docet, 170
de Præceptorum impoſſibilitate Caluinus, 171
Qui non ſeruans Præcepta Dei peccat, ex Ianſ. non fit reus nouæ culpæ, ſed originalis, 172. 173
Quomodo Præcepta Dei ſunt poſſibilia peccanti, 174. explicatur Trident. *ibid.* & 175
cum Præcepto offertur gratia ex S. Aug. 176. quatuor propoſitiones de eius mente, *ibid. & ſeq.*
Deus Præcipiens ſaltem monet hominem vt oret, & ad orandum offert gratiam, 180. 181
Proſper & Hilarius ſcribentes ad Aug. quinam fuerint, 438
Ad Prouidentiam Dei non ſpectat propriè naturarum inſtitutio, 420
Prouidentia Dei erga creaturas rationales peculiaris eſt, 419. 420
Alia eſt Prouidentia, qua homo poteſt eſſe, & qua eſt beatus, 420
Prædeſtinatio eſt amantiſſima Dei prouidentia, 420. 421.
Ea ad communem Prouidentiam addit quatuor peculiares rationes, 421
Prædeſtinatio continet tres actus Dei circa perſonam prædeſtinatam, 422. illi ſunt, dilectio, ele-

ctio, ordinatio, ſeu præparatio propriè ſumpta, *ibid.*
Dilectio diuina Prædeſtinati eſt abſoluta, electio eſt comparatiua cum reprobis, 423
Amoris Dei erga res amatas ordo, 423
Electio illa eſt perſonarum duntaxat, Prædeſtinatio etiam gratiæ donorum, 424
Prædeſtinatio ſpectat perſonas, non naturam, 431
Quomodo Chriſtus eſt Prædeſtinatus, 434. 435
Omnis hominum Prædeſtinatio eſt ex Chriſto, 434
Chriſti Prædeſtinatio eſt exemplar cuiuſuis alterius, 435
Angelorum Prædeſtinatio noſtræ ſimilis, 436. Eadem eſt omnium hominum, 437
Prædeſtinantis voluntatis ſeries affertur, 415
de Prædeſtinatione nouem capita ſunt, 416
Prædeſtinatio apud D. Th. ſumitur dupliciter, 417
Prædeſtinatio, præſcientia, liber vitæ differunt, 417. quid præſcientia, propoſitum, *ibid.*
Prædeſtinatio eſt in Deo æterno, non in creatura, 418. quomodo eſt præparatio gratiæ, *ibid.* vbi & duplex præparatio, materiæ, agentis.
Prædeſtinatio quid ſit, 419. 422
de Prædeſtinatione, Pelagij error, 439
de Prædeſtinatione non gratuita error Manichæorum, Pelagij, Semipelag. 438. *& ſeq.*
de Prædeſtinatione Ianſenius contra D. Thom. ſentit, 443. 444. 445. 446
Triplicem Prædeſtinationem propriè ſumptam ſtatuit Iudæ, ad fidem temporalem, ad pœnam, & ſaluandorum ad gloriam, 447. *& ſeq.* 451
damnatum à Deo ad pœnam Prædeſtinari propriiſſimè vult Ianſ. 447. 448. refutatur, *ibidem vſque ad* 452
Angelorum Prædeſtinationem gratuitam eſſe negat Ianſenius, 452. *& ſeq.*
Angelos beatos nihil plus Deo debere, quàm damnatos ait Ianſ. 454. 455
Aug. de Angelorum Prædeſtinatione doctrina, 455. *& ſeq.*
Auguſtini rationes de gratuita Prædeſtinatione, valent in Angelis, 460. *& ſeq.*

R

de Reprobatione Caluini opinio 462. *& ſeq.*
Ianſenius probat doctrinam Caluini de Reprobatione, 465. 466
Negans vllos Prædeſtinatianos hæreticos fuiſſe, abſoluit Lutherum & Caluinum, *ibid.*
Omnem Reprobationem poſitiuam eſſe vult Ianſen. 467
ob ſolum originale peccatum omnes Reprobos ponit, 468
Quid Reprobatio ſit ex D. Thom. 472. hanc negat S. Thom. eſſe intentionem pœnæ, vt eam vocat Ianſen. *ibid.*
In Reprobatione tria ſunt ex D. Thom. permiſſio culpæ, derelictio à Deo, retributio pœnæ, hoc tertium, non alia, à Deo cauſari ait S. Th. 473
Quomodo peccatum originale

eſt

Digitized by Google

eſt cauſa reprobationis hominum, 473
Ianſenius negat Reprobis præparata generalia ſalutis auxilia, 480
de Reprobatione Caluini & Ianſenij doctrina confutatur, 472. & ſeq.
Prædeſtinatianos damnat Arauſ. I I. 475. 476. damnat Ianſenium, 476.

S

SPIRITVS S. à Chriſto datus Eccleſiæ quinque modis, 559 560. & ſeq.
datus eſt ſecundùm ſubſtantiam, ibid.
Quare Spiritus S. perſonaliter donum dicitur, 560
Ea vnio inter animam, & ſubſtantiam Spiritus S. non eſt hypoſtatica, 561
Spiritus S. dicitur forma animæ, 561. datur vt permaneat, 562.
vt faciat filios adoptionis, ibid.
quis ſit ille ſpiritus, 565. 668
Non tantùm vt arrha, verùm etiam vt pignus gloriæ, ibid.
datur vt Chriſtianos perfectè ſanctificet, ibid.
Vnio illa fit mediante dono creato, 563
illud eſt eximia quædam vis charitatis, ibid.
Eſt gratiæ hab. & actualis donum per Chriſtum vt efficientem, 564. Eſt charitas attollens ad gloriæ deſiderium. ibid Eſt amor crucis, ibid.
Spiritus adoptionis, eſt virtutis, dilectionis, ſobrietatis ex Paulo, 565
Spiritus S. aliter per, quàm propter Chriſtum datus eſt, 101
Spiritus adoptionis datus die Pentecoſtes vt pote finis myſteriorum Chriſti, 120
Spiritus adoptionis, & gratia Chriſto facit ſimilem Chriſtianum in contemptu rerum terrenarum, 119
Spiritus timoris, & amoris ſeu adoptionis quis ſit, 117
Scientia Dei, lege Libertatem.
Spes non confundens quæ, 565.

T

TESTAMENTVM nouum, vetus. lege Lex.
Timor Dei, V. Spiritus.
Timor Dei quomodo eſt conſiderandus, 117. 118
Timorem pœnæ, bonum & vtilem ad ſalutem Ianſenius eſſe fatetur, & ſimul Chriſti donum eſſe negat, 312
Eundem Timorem ille damnat, 313. 314

V

QVo ſenſu S. Auguſt. Virtutes naturales negat eſſe veras, 95. 96
Virtutes acquiſitæ dant facilitatem, infuſæ facultatem, ſuntque boni poſſibilitates, 64
Voluntas Dei eſt multiplex, 404
Multiplex eſt ex parte rerum volitarum, 408
Inter res à Deo volitas ordo duplex, 426
Voluntas ſigni quæ, 408
Voluntati ſigni aliqua beneplaciti reſpondet, 409
Voluntas ſigni & beneplaciti de re eadem poteſt eſſe, 409

de Voluntate permittente Dei, 409
Voluntas operationis ſemper eſt beneplaciti, 410
de Voluntate præcepti, prohibitionis, conſilij, 410
Voluntas diuina beneplaciti antecedens, conſequens, 410
Quæ Deus vult antecedenter tantum, vult ſecundùm quid, & quaſi ſub conditione, 411. 412. 413
Voluntas vnius rei antecedens alterius poteſt eſſe conſequens, 411
Quod Deus vult voluntate conſequente fit ſemper, non quod antecedente, ſed aliud quod vult, 411
Quod Deus vult independenter à creaturis, vult voluntate conſequente, 412
Quomodo Voluntas antecedens dicitur velleitas, 412. Velle propriè, & ſimpliciter malè ab Arnaldo confunditur, 551
Deus poteſt tantùm permittere, non impedire conditiones Voluntatis antecedentis, 412
Quid ſit contra, præter Voluntatem Dei, 413. nihil contra conſequentem, at aliquid contra & præter antecedentem, 413
Voluntas Dei abſoluta & efficax, conditionata & inefficax differunt, 413. 414
Dei Voluntas eſt intentionis, electionis, effectionis, 414
Cauſa finis alia moralis, alia phyſica, 414
Intentio finis eſt abſoluta ſimpliciter, efficax ſecundùm quid, 414
Intentio eſt per, non propter media, 414

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA PRÆCIPVA.

IN *Præfat. pag.* 3. *v.* meam libertatem *lege* liberalitatem
P. 79. *v.* abripi. auerſos *leg.* auerſi
Pag. 80. *v.* nullam *poſt verb.* Semipelagianis, *adde* pro initio ſalutis
Pag. 88. *v.* prope, temporis *leg.* inſtituti
Pag. 129. *v.* vltimo *poſt* æternas *adde* res
Pag. 130. *v.* neutri *leg.* ventri
Pag. 141. *v.* quę *adde* vi
Pag. 154. *v.* iutorium ſumimus *leg.* ſummum
Pag. 161. *v.* ſoli medius *leg.* medicus
Pag. 175. *v.* orabant *leg.* orabunt
Pag. 188. *v.* conciliat *leg.* conciliaret
Pag. 192. *v.* cæcos. vtatur *leg.* vtar
Pag. 198. *v.* nus. Valentium *leg.* Valentinum
Pag. 199. *v.* exprimi, fuiſſe *leg.* fuit
Pag. 209. *v.* ſi is, baptiſmi *leg.* baptizati
Pag. 210. *v.* beat *leg.* à D. Thoma
Pag. 218. *v.* vnde *dele* non
Pag. 236. *v.* per. *adde* non recepiſſe
Pag. 243. *v.* perſp. noluiſſe *leg.* voluiſſe
Pag. 256. *v.* lectionis *leg.* dilectionis
Pag. 267. *v.* pta, naturam *leg.* materiam
Pag. 310. *v* prorſus, *dele* aut, aut
Pag. 339. *v.* la ferendas *leg.* terendas
Pag. 349. *v.* trem, nolentem *leg.* volentem
Pag. 357. *v.* animum *poſt* ruat *adde* Quod enim ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.
Pag. 366. *v.* tiſſimum Amaſxi *leg.* Amaſai
Pag. 370. *v.* ni. *leg.* inſtitutóque
Pag. 387. *v.* rationis *leg.* & fideles in eo quod eſſe cœperant eius munere perſeuerent.
Pag. 465. *v.* varietas, fide *leg.* fine
Pag. 481. Cap. IX. *leg.* VIII.
Pag. 514. *v.* 84. *adde* in Ioannem
Pag. 520. *v.* illa proprius *leg.* propius
Pag. 534. *v.* ne abeſt *ſic leg.* ſi vel ipſis Lugdunenſibus & Viennenſibus fides habeatur ...Patrum enim in Valentina Synodo, &c.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII REGIS Chriſtianiſſimi.

CAVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in regno eius, aliiſve locis eius ditioni ſubiectis, librum qui ſic inſcribitur: *Libertatis & Gratiæ Chriſtianæ defenſio, aduerſus Caluinum, & Pelagium in Cornelio Ianſenio Batauo rediuiuos, Vindice* THOMA AVGVSTINO. quouis charactere, aut formâ excudere, aut alibi excuſum vendere, alióve quolibet modo diſtrahere poſſit intra nouem annos, computandos à die abſolutæ primæ editionis : præter Sebaſtianum Cramoiſy, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon Vrbis Exconſulem. Qui ſecùs fecerit, mulcta eſt indicta, prout fuſiùs in diplomate regio continetur. Datum Turonibus 12. Martij 1652. Sic ſignatum, De mandato Regis, CRAMOISY.

Prima editio abſoluta fuit die 25. *Ianuarij* 1653.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google